

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiadogmati0000vari

THEOLOGIA DOGMATICO-MORALIS

POLEMICA ET SCHOLASTICA

THEOLOGIA

DOGMATICA-MORALIS

POLEMICA ET SCHOLASTICA

AUCTORE

MICHAELE ROSSET

S. THEOLOGIÆ PROFESSORE

IN SEMIN. CAMBERIENSI

NUNC

EPISCOPO PARIENSI I. P. I.

ECCLESIÆ MAURIAN. ADMINISTRATORE APOSTOL.

DE SANCTISSIMO AC DIVINISSIMO

EUCHARISTIÆ MYSTERIO

ALMA COLLEGE
236.302
LIBRARY
R735
Alma, California

S. Thomæ sententiæ quacumque in re libentissime adhæremus.
(BENEDICTUS XIV, præf. *de Festis et de sacrificio Missæ*, n. 5.)

ODONIS LUGDUNENSIS SOC. JESU

CAMBERII

EX TYPIS CHATELAIN, SUCCESSORIS F. PUTHOD

24, VIA VERNEY, 24.

1876

32673

REVERENDISSIMI ARCHIEPISCOPI CAMBERIENSIS

EPISTOLA AD AUCTOREM

Monsieur le Professeur,

J'ai pris moi-même connaissance de votre grand et beau *Traité de l'Eucharistie*, en latin; laissez-moi vous dire, en français, que j'en ai été on ne peut plus satisfait. C'est un *cours complet* sur la matière, et on y trouve résumé, avec beaucoup de précision, d'ordre et de clarté, tout ce que les princes de la théologie ont écrit de mieux touchant cet ineffable mystère. La doctrine y coule à pleins bords; les règles les plus utiles et les plus sages y sont proposées; la piété elle-même découvre un aliment dans des pages où la foi et l'esprit seuls paraissent devoir y chercher le leur. Celui qui vous lira avec attention saura à peu près tout ce que l'on peut souhaiter et dire sur l'Eucharistie comme *sacrement* et comme *sacrifice*. Il y a, sans doute, des questions controversées, des propositions qui ne sont pas de foi, des explications que tous les théologiens et les philosophes, même catholiques, n'acceptent pas également: mais vous avez si bien choisi et vous présentez si bien les choses, que l'on se sent disposé à partager votre manière de voir et à penser comme vous. Je n'hésite donc pas à vous accorder l'*imprimatur* que vous me demandez, et je suis persuadé que ce travail savant et consciencieux ne peut que faire honneur à celui qui l'a entrepris et au clergé de la Savoie, qui est fier de le compter dans ses rangs.

Recevez, cher Monsieur le chanoine et directeur, avec mes sincères félicitations, la nouvelle assurance de mon affectueux dévouement.

† PIERRE-ANASTASE,

Archevêque de Chambéry.

Dedicatio operis immaculatæ Virgini.

O Domina et mater mea, sancta Virgo Maria, propitius respice super egenum servum filiumque tuum humillime ad pedes tuos prostratum. Sine ut tractatum de sanctissimo ac divinissimo Eucharistiæ mysterio tibi offeram dicemque : non enim minus ineffabili fœdere cum Eucharistia, quam cum Incarnatione constricta manes. Tu es domus quam Sapientia ex margaritis omnium virtutum lepidissime coruscantibus sibi ædificavit, ut immolaret jugiter victimam salutis, et proponeret mensam suam! Tu es amœnissimus et rationabilis Dei paradisus, benevolentissima et omnipotenti ejusdem dextera hodie ad Orientem plantatus, in quo lignum vitæ efflorescit! Tu es præpinguis et umbrosus mons in quo enutritus est agnus rationalis quotidie ac indesinenter mactatus ad tollenda peccata mundi! In sinu tuo verus cibus nobis præparatus est igne Spiritus Sancti; ac simul tu es urna ex purissimo auro conflata, et suavissimam animarum nostrarum dulcedinem, Christum scilicet, qui manna est, continens! Tu quasi vitis fructificasti vinum germinans virgines! Tu denique flagrantissimo amore cum dilectissimo filio tuo nos invitas ad sacrum illius corporis et sanguinis convivium : *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* (*Proverb.* 9, 5.) Quocirca Redemptor noster pendens in cruce te in testamento suo, quod jam nocte supremæ cœnæ condiderat, inseruit tanquam codicillum, et ultimum sui amoris argumentum, dum nos tibi in filios, et te nobis in matrem dederit. Unde primis Ecclesiæ sæculis, una cum sacrosancta Eucharistia, permansisti quadamtenus obvoluta, sicut arcanum quod soli noverint christiani. Mundus tenebris idololatriæ obfucatus atque ad terrena summe gravatus impar erat, quam ut ad tanta amoris et sancti-

tatis mysteria erigeret mentem; immo, catechumeni ipsi illa felici exitu capere non potuissent. Accipe igitur, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria, accipe libellum meum! Rogo te per charitatem qua sanctam Elisabeth cognatam tuam visitasti; ut ipse, speciali ac potenti tua fretus tutela, aliquantulum laudis et amoris sanctissimo Sacramento reportet, et ego misellus peccator adeam cum majori fiducia ad thronum gratiæ, misericordiam consequar et gratiam inveniam in auxilio opportuno.

Amen.

In majori seminario Camberiensi, festo Visitationis B. M. Virginis, 1875.

MICHAEL ROSSET.

AUCTOR LECTORI.

Tractatus quem fiducia penitus non egens tibi offero, benevole lector, complectitur universam materiam quam dogmatico-moralis theologia more solito versat de sanctissimo ac divinissimo Eucharistiæ mysterio. Est igitur in se completus. Attamen est pars integrans *institutionum theologicarum* quas in seminario Camberiensi edoceo. In ipsis haud secus ac in mea *Philosophia Catholica*, D. Thomæ vestigia terere enixissime allaboro. Qua de causa in ipsamet operis fronte insculpsi celeberrimum hoc Benedicti XIV dictum : « S. Thomæ sententiæ quacumque in re libentissime adhæremus. » *Præf. de Festis et de sacrif. Missæ*, n° 5. Admodum protraxi limites compendiorum quæ in Galliis diffunduntur, quia, sicut jam alibi [1] dixi, juvenes perfacile compendiant quæstiones, difficillime

[1] Monitum in secundam edit. *Philosophiæ Catholicæ*.

vero illas evolvunt. Aliunde copiosa materia fusius explicata fit jucundior, lectorisque mentem acuit : præterea tractatum ita confectum forsan non absque ullo emolumento ipsimet sacerdotes qui duntaxat compendia plus æquo coarctata emensi sunt, perlegent : demum altissime in animo mihi defixum est quod vix suppetit alia via instaurandi vegetiorem disciplinam quæ non mediocri splendore enituit apud majores nostros. Et hic brevissimus sermo satis sit, quoad nunc, benevole lector : mentem meam latius tibi aperiam in præfatione ad totum cursum, cujus singulos tractatus suo tempore typis committentur, quum ii ad quos pertinet, opportunum judicarint. Ideo aliquandiu permanebunt adhuc in arca mea, ubi ea, si benignissima Dei providentia vires et otia fecerit, satagam revocare ad trutinam, sicut par est, concinnare et perficere, ut magis veritatis catholicæ incremento et propugnaculo consulam. Nunc vero tractatum *de sanctissimo ac divinissimo Eucharistiæ mysterio* in lucem emitto veluti candidissimam columbam, quæ si inveniat ubi requiescat pes ejus, mihique portet ramum olivæ virentibus foliis in ore suo, cæteri tractatus, expectato aliquo tempore, et ipsi egredientur.

Vale.

TRACTATUS

DE

SANCTISSIMO AC DIVINISSIMO

EUCHARISTIÆ MYSTERIO

PRÆNOTIONES

I. — Eucharistiæ sedes in Theologiâ.

1. Eucharistia, ratione usus et finis, tertium obtinet locum inter sacramenta ; quippe homo per Baptisma generatur ad vitam supernaturalem ; per Confirmationem quasi in statu virili et perfecto constituitur, atque fit capax Eucharistiæ, quæ est cibus perfectorum ; ipsa enim vitam gratiæ nutrit et consummat. Recollige dicta superius, ubi *de Sacramentis in genere* (528, 529 et 530).

II. — Hujus tractatus dignitas et præstantia.

2. *Primo*, intrinsece et ratione sanctitatis, Eucharistia præstat omnibus aliis sacramentis ; cætera enim sunt sancta duntaxat habitudine, quatenus sunt « symbola rei sacræ, et invisibilis gratiæ forma visibilis. » (Trid., sess. 13, cap. 3.) Eucharistia verò hoc sanctitatis genus sibi vindicat, sed præterea in se et formaliter sanctissima est : « Illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctifi-

candi vim habent, cùm quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. » (Trid., sess. 13, cap. 3.) Unde Concilium, in capite secundo, dicit quod Christus Dominus « divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum » ; et ideò, in tota sessione 13, hoc sacramentum vocat divinum ac mirabile, sacrosanctum ac sanctissimum ; qui est communis modus loquendi Sanctorum totiusque Ecclesiæ. Quis enim, etsi Angelorum linguis loquitur, par sit ad exprimendam Salvatoris nostri infinitam benignitatem in tam excellenti mysterio? Unde S. Chrysost., *Hom. 60 ad pop. Antioch.* : « Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem ? Os quod igni spirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt neque libere audent intueri, propter emicantem inde splendorem : hoc nos pascimur, huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus et una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves proprio pascit cruore ? Et quid dico, pastor ? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus : sed ipse nos proprio sanguine pascit et per omnia nos sibi coagmentat. »

3. *Secundo*, Eucharistia est simul fons et finis seu consummatio aliorum sacramentorum, quæ, ratione rei contentæ, referuntur omnia ad illam. Omnia enim sacramenta ordinata sunt, ut perfectius Christo uniamur. Porrò Christus ipse continetur in Eucharistia, atque per illius sumptionem ineffabiliter Christiani perficitur consummaturque unio, ita ut S. Chrysost., *Hom. 83 in Math.*, fatus fuerit : « Nos secum in unam massam redigit ; nec solum fide, sed et reipsa corpus suum efficit. » Unde Catechismus Romanus Eucharistiam fonti, et cætera sacramenta comparat totidem rivulis qui a Christo, fonte cœlestium charismatum et auctore donorum omniumque sacramentorum, scaturiunt. Ideo Eucharistia meritò dici potest, sicut et Christus, *alpha* et *omega*, *principium* et *finis*.

4. *Tertio*, Eucharistia cæteris sacramentis præstat etiam quasi

infinite ratione modi quo fit, et miraculorum quibus ejus consecratio stipatur, necnon uberiorum fructuum, de quibus postea agemus ex professo. Quocirca Zacharias tanti facit bonitatem et pulchritudinem Eucharistiæ, ut, respectu illius, cætera omnia Dei mirabilia habeat tanquam nec bona, neque pulchra, eodem ferme pacto quo nostra substantia est nihilum ante Deum, atque exclamat : *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?*

III. — Varia Eucharistiæ nomina.

5. Adeo optima et excellentissima est Eucharistia, ut valde bonitatis ac misericordiæ Dei naturam sapiat ac imitetur; unde sicut Dei perfectiones, licet in se sint summa et simplicissima unitas, nequeunt dici et intelligi, nisi multiplicatis nominibus et conceptibus; ita Eucharistia varia ex sacris scripturis, et non pauca ex pietate patrum ac usu Ecclesiæ sortita est nomina, pro vario aspectu sub quo habita est.

6. I. Ratione actionis qua conficitur. Dicitur *primo*, *Eulogia* seu *Benedictio;* Christus enim in consecranda Eucharistia benedictionem adhibuit. Unde, I *Cor.* 10 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Eulogiæ dicebantur etiam Eucharistiæ partes quæ olim ad absentes episcopos et presbyteros mitti solebant in signum mutuæ communionis et charitatis. Imo interdum hoc nomen accipiebant partes benedicti panis, quas sacerdos distribuebat his qui, ob aliquod impedimentum, non potuerant ad sacram mensam accedere.

7. *Secundo, Liturgia :* quæ vox, licet generatim significet Officium ecclesiasticum publicum, tamen apud Græcos significat maxime partem Officii in qua consecratur Eucharistia. Apud Latinos hæc pars communius audit *Actio.*

8. II. Ratione materiæ ex qua conficitur. Dicitur *primo*, *Panis* simpliciter, I *Cor.* 10, 16 : *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Et ipse Dominus, *Joan. 6, 52 : Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ*, etc.

9. *Secundo, Panis cœlestis, mysticus, Dominicus, animæ supersubstantialis, panis Angelorum, panis sanctus vitæ æternæ*, etc. (Canon Missæ). « Mirandum non est, si post consecratio-

nem *panis* etiam vocetur : hoc enim nomine Eucharistia appellari consuevit, tum quia panis speciem habeat, tum quia naturalem alendi et nutriendi corporis vim, quæ panis propria est, adhuc retineat. Eam autem esse sacrarum Litterarum consuetudinem, ut res ita appellent, cujus modi esse videantur satis ostendit quod in *Genesi* (18, 2) dictum est, *tres viros Abrahæ apparuisse*, qui tamen tres Angeli erant, et *duo illi* qui Apostolis, ascendente in cœlum Christo Domino, apparuerunt, quum essent Angeli, *viri* dicuntur (*Act.* 1, 20). *Catechismus Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 40.

10. III. Ratione temporis institutionis. Dicitur *primo*, *Cœna dominica*, quia in novissima Cœna, pridie quam pateretur, Christus illam instituit. Hoc nomen habet etiam, quia est commemoratio ultimæ Cœnæ Domini cum Apostolis, vel etiam quia in sacro Eucharistiæ convivio mens impletur gratia, atque spiritualiter reficitur ac saginatur. Hoc nomen valde placet Protestantibus, qui nomen Eucharistiæ uti exosum horrent; atque illo abutuntur, ut suadeant, hoc sacramentum non esse aliquid permanens, sed totum consistere in usu, nec esse conficiendum, nisi multo recumbentibus, neque ad infirmos esse deferendum. Quapropter, ne videamur impio ac hæretico dogmati astipulari, vel omnino abstinendum, vel saltem sobrie et prudenter illo nomine utendum est, sicut notavit conc. Coloniense.

11. *Secundo*, *Pascha* : tum quia Christus tempore Paschatis Eucharistiam instituit; tum quia continet Christum, qui est Pascha nostrum (I *Cor.* 15, 7).

12. *Tertio*, *Novi Testamenti Sacramentum*, per excellentiam: quæ appellatio desumpta est ex Christi verbis, *Luc.* 22, 20, et I *Cor.* 11, 25; quatenus scilicet Testamenti nomine intelligitur dispositio qua Christus moriturus postrema sua voluntate bona sua hæredibus reliquit, suoque testamento, nobis suum corpus in Eucharistia legavit.

13. IV. Ratione loci institutionis. Dicitur *primo*, *Mensa Domini*, quia Christus mensæ recumbens cum Apostolis sacramentum hoc instituit. Unde I *Cor.* 10, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes fieri et mensæ dæmoniorum.*

14. *Secundo*, *Sacramentum altaris*, quia in altari consecratur et offertur in Sacrificium.

15. *Tertio*, *Agapa* seu *Dilectio*, quia præcedebat convivia fra-

terna ecclesiastici conventus, quorum scopus erat vel fovere inter Christianos mutuam dilectionem, vel succurrere pauperibus ; propterea hæc convivia dicebantur agapæ.

16. V. Ratione rei contentæ. Dicitur *Corpus Domini*, *Sacramentum corporis et sanguinis Domini*, *Celebratio corporis et sanguinis Domini*, *Sacramentum Sacramentorum*, *Sanctissimum Sacramentum*, etc.

17. VI. Ratione suscipientium. Dicitur *primo*, a Græcis *Synaxis* seu *Collectio*, quia maxime per Eucharistiam fideles unum corpus Christi fiunt ; sive etiam quia primitus Christiani simul convenire ac in unum congregari solebant, ut sacræ mensæ participes fierent, juxta illud I *Cor.* 11, 20 : *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.*

18. *Secundo, Sacramentum fidelium :* tum quia solis fidelibus dispensatur, tum quia antiquitus, dum conficeretur, sedulo infideles ab ecclesia arcebantur.

19. *Tertio, Fractio panis :* tum quia Christus, quando Eucharistiam instituit, panem fregit ac discipulis distribuit ; tum quia Apostoli dicuntur (Act. 2, 24) perseverasse in *communicatione fractionis panis ;* tum quia frangere panem idem est ac distribuere, nam olim hostia seu panis unus tantum consecrabatur, qui deinde multis distribuebatur. Quapropter duo discipuli in castello Emmaüs Dominum cognoverunt in fractione panis. (*Luc.* 24) [1].

20. VII. Ratione effectuum. Dicitur *primo*, *Communio, Pax, Charitas,* quia, « ut Damascenus explanavit, hoc sacramentum Christo nos copulat, atque ejus carnis et deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat ac conjungit, et veluti unum corpus coagmentat. Ex quo factum est, ut sacramentum etiam pacis et charitatis diceretur, ut intelligeremus, quam indigni sint christiano nomine qui inimicitias exercent, odiaque, dissidia et discordias, ut teterrimas fidelium pestes,

[1] Apud Hebræos, pater familias, postquam mensæ benedixisset, discumbentibus convivis panem frangere ac cibos dividere solebat. Orientales enim non elavatos conficiebant panes, ita ut ad scindendum cultro opus esset ; sed latos pinsebant atque subtiles instar placentæ : unde manibus tantum absque instrumenti ope eos frangebant. Ex hoc more fractio panis significabat quodvis convivium, cœnam, refectionem. Vide Cornel. a Lapide. in I *Cor.*, 10, 16.

omnino exterminendas esse, quum præsertim quotidiano religionis nostræ sacrificio nihil nos studiosius servare, quam pacem et caritatem profiteamur. » *Catech. Rom.* 2 p., cap. 4, n. 4. Christus enim est Deus pacis, et nascendo dedit ex præsepi pacem hominibus bonæ voluntatis; a fortiori dum sumitur in corde et anima communicantis dat pacem. Et cùm præterea venerit mittere ignem in terram, impossibile est ut quiescat corporaliter in corde fidelis, quin illud accendat; secum enim affert totum pelagus infinitæ dilectionis Dei.

21. *Secundo, Viaticum.* Antiqui non raro sacramenta vocant *Viatica* (quasi dicas viæ subsidia); sed hoc nomen accommodatum est præsertim Eucharistiæ a patribus Nicænis; « tum quia spiritualis cibus est, quo in hujus vitæ peregrinatione sustentamur; tum quia vim nobis ad æternam gloriam et felicitatem munit. Quare ex veteri Ecclesiæ catholicæ instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc sacramento e vita excedat. » Idem, ibid. n. 5. Unde Eucharistia quatenus *sacrificium* est commemorativa rei præteritæ, nimirum Dominicæ passionis : quatenus *communio* est commemorativa rei præsentis, nempe ecclesiasticæ unitatis : quatenus *Viaticum* est commemorativa rei futuræ, videlicet fruitionis Dei, quæ erit in Patria. Vide 3 p. q. 73, a 4.

22. VIII. Ratione amplioris significationis, dicitur *Eucharistia*, et propterea hoc nomen frequentius adhibetur. « Quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latine reddere possumus. Ac recte quidem bona gratia dicendum est, tum quia vitam æternam, de qua scriptum est (*Rom.* 6, 23) : *Gratia Dei vita æterna*, præsignificat; tum quia Christum Dominum, qui vera gratia atque omnium charismatum fons est, in se continet. Nec vero minus apte gratiarum actionem interpretamur; siquidem, quum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus, atque in primis pro ejus gratiæ tam excellenti bono, quam nobis hoc sacramento tribuit. » (*Catech. Rom.* 2 p. cap. 4, n. 3.)

Unde sacerdos sacrificans, priusquam pretiosissimum sanguinem sumat, dicit : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*, et *nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum*, et *ab inimicis meis salvus ero.*

IV. — Figuræ Eucharistiæ.

23. Lutherus, in libro *De abroganda Missa*, impie irridet diligentiam ac pietatem quam D. Thomas adhibuit in explicandis hujus mysterii figuris; atque virulentissimis scommatibus insanit in Officium Corporis Christi ab Angelico doctore tam pie ac erudite elaboratum. Sed, inquit Suarez, ille potius irridendus est, cùm S. Paulum contemnat dicentem, I *Cor.* 10 : *Omnia in figura contingebant illis;* qui etiam singulariter propter hujus mysterii repræsentationem dixisse videtur : *Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt,* scilicet manna, quod figura fuit hujus sacramenti. Certum est igitur, convenientissime præfiguratum fuisse; hoc enim ad majestatem ejus commendandam pertinuit. Insuper, cùm difficillimum sit captu et creditu, paulatim tradi et prædici oportuit, sicut præstitit ipse Dominus, *Joan*, 6. Unde Conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 1, dicit Eucharistiæ sacrificium « per varias sacrificiorum naturæ et legis tempore similitudines figuratum fuisse, utpote cùm bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectatur. Tandem e figuris Eucharistiæ valde suadens depromitur argumentum ad præsentiam realem fulciendam, sicut optimè disserit S. Hieron. in cap. 1 *epist. ad Titum :* « Tantum interest inter panes propositionis et corpus Christi, quantum inter umbram et corpus, inter imaginem et veritatem; inter exemplaria futurorum, et ea quæ per exemplaria figurabantur. »

D. Thomas , 3 p. q. 73, a. 6, et Suarez, in hunc Angelici doctoris articulum, e quadruplici capite Eucharistiæ figuras repetunt, nempe e sensibili sacramento, e re et sacramento simul, ex effectibus, et ex his omnibus simul.

24. 1° *E sensibili sacramento,* id est speciebus panis et vini. Cujusmodi fuit *primo, Oblatio Melchisedech,* de qua *Genes.* 14, 18 : *secundo, Panes propositionis,* qui solum a mundis et sanctificatis comedi poterant (*Exod.* 40 : *Levit.* 23; I *Reg* 21) : *tertio, subcinericius panis,* quem Angelus Domini porrexit Eliæ (III *Reg.* 19, 8), qui postquam comederit, ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et noctibus usque ad montem Horeb : *quarto, multiplicatio panum* in deserto et vinum miraculose ex aqua procreatum in Cana Galileæ.

25. 2° Ex re et sacramento simul, scilicet ex corpore et sanguine Christi. Cujusmodi « figuræ fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti, præcipue sacrificium expiationis quod erat solemnissimum (3 p. q. 73, a. 6). » Sanguis autem calicis Christi significatus est in sanguine veteris Testamenti, quo Moyses, post legem latam, aspersit populum dicens: *Hic est sanguis Testamenti, quem misit ad vos Deus* (*Exod.* 24 : *Hebr.* 9).

26. 3° *Ex effectibus*, Eucharistia figurata fuit, *primo*, per *lignum vitæ*, quod Deus in paradiso plantaverat uti perennis juventutis et intemeratæ pulchritudinis corporalis principium causamque : *secundo*, per *manna* quod datum fuit Hebræis in deserto peregrinantibus, ut possent ad terram promissam pergere. Manna erat cibus de cœlo missus, omnem saporis suavitatem habens, atque, licet varii varias colligerent mensuras, eamdem postea inveniebant : quæ omnia adamussim Eucharistiam adumbrarunt.

27. 4° *Ex omnibus simul sumptis*, insignis figura fuit *Agnus paschalis*. « Quantum enim ad primum, sacramentum tantum, quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud *Exod.* 12 : *Edent carnes et azymos panes*. Quantum vero ad secundum, rem et sacramentum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum vero ad effectum (rem tantum), quia per sanguinem Agni Paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de Ægyptiaca servitute. Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura hujus sacramenti Agnus Paschalis, quia secundum omnia ipsum repræsentat. » 3 p. q. 73, a. 6.

Ità D. Thomas, cujus sensa rimari et vestigia semper premere in animo est, sed potissime in doctrina de SS. Eucharistiæ sacramento : siquidem ipse in Ecclesia Christi, quæ figurata est per voluptatis paradisum, positus est a benignissima Dei providentia tanquam Cherubim ad custodiendum lignum vitæ contra Satanæ et hæreticorum vaferrima molimina [1].

[1] Unde in mausoleo Tolosano, in quo reliquiæ D. Thomæ reconduntur, merito repræsentatur altera manu sacram Eucharistiam, altera gladium versatilem flammeum tenens, cum inscriptis his verbis :

Ex evangelii solio Cherubinus Aquinas,
Vitalem ignito protegat ense cibum.

V. — Definitio sacramenti Eucharistiæ.

28. Eucharistia, ex ipsamet Domini institutione, duas plane distinctas habet rationes formales, nimirum sacramenti et sacrificii; unde nequit commode et adæquate una et eadem definitione describi; et qui tentaverunt generaliorem præbere definitionem, quæ utramque Eucharistiæ rationem formalem complectatur, nihil aliud præstitere, quam acervare in unam et miscere, absque ullo claritatis emolumento, ambas sacramenti et sacrificii definitiones [1]. Re quidem vera sacrificium eucharisticum in re transeunti, sacramentum verò in re permanenti consistit; deinde sacrificium habet vim satisfaciendi; neutiquam sacramentum. Confer *Catechism. Rom.* 2 p. cap. 4, n. 71. Hinc consequenter bipartita tractatus divisio, nempe de Eucharistia quatenus sacramento, et de Eucharistia quatenus sacrificio.

29. Eucharistia quatenus sacramentum definitur : *Sacramentum a Jesu Christo institutum, in quo sub speciebus panis et vini continentur vere, realiter ac substantialiter corpus et sanguis Jesu Christi una cum anima illius et divinitate, ad cœlestem alimoniam fidelium.*

Dicitur 1° *Sacramentum*. Hæc vox est omnino generica, siquidem exhibet aliquid commune tum veteris, tum novi Testamenti sacramentis; omnia enim sunt signa sensibilia significantia atque conferentia sanctitatem (Recollige dicta ubi de *Sacramentis in genere*, n. 11-45).

Omnia novæ legis sacramenta significant tria, scilicet gratiam, fontem gratiæ seu passionem Christi, et finem gratiæ seu vitam beatam : at vero Eucharistia potissimo gradu hæc tria significat. *Primo* quidem *gratiam*, juxta illud *Joan.* 6 : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Secundo*, passionem Christi, quæ jam præteriit, juxta illud *Luc.* 22, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem;*

[1] Martinet hanc generalem Eucharistiæ definitionem finxit : *Ipse Dominus Jesus Christus, vi verborum consecrationis factus realiter præsens sub speciebus panis et vini, ut, oblatione sui incruenta in altari, commemoret et continuet in Ecclesia, ad consummationem usque sæculorum sacrificium Crucis suaque præsentia et communicatione corporis et sanguinis sui, omnibus fidelibus sit via, et veritas, et vita.*

unde Apostolus, I *Cor.* 11, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Tertio* denique *vitam beatam*, juxta illud *Joan.* 6 : *Qui manducat ex hoc pane vivet in æternum :* etenim per Eucharistiæ participationem sumus, non tantum cohæredes, sed etiam concorporales Christi, qui sedet ad dexteram Patris, et cujus regni non erit finis. Quapropter dicitur a Patribus Sacramentum Sacramentorum.

2° *A Jesu Christo institutum :* his vocibus innuitur auctor Eucharistiæ et secernitur a sacramentis veteris Testamenti.

3° *In quo, sub speciebus panis et vini, continentur corpus et sanguis*, etc. : hæc verba coarctant definitum, eique differentiam præbent ; et ita Eucharistiam a cæteris sacramentis plane secernunt. Voces *vere, realiter* ac *substantialiter* depromuntur a Conc. Tridentino, sess. 13, cap. 1, atque ponuntur ad excludendos errores Protestantium : *vere*, id est non per figuram et imaginem : *realiter*, id est, non per fidem tantum : *substantialiter*, id est, non tantum per virtutem quam in eo effundit Christus.

4° *Ad cœlestem alimoniam fidelium :* his verbis innuitur præcipuus effectus et finis hujus sacramenti.

Si autem breviorem desideres definitionem, accipe istam ; *Species panis et vini consecratæ sub prescripta verborum forma continentes corpus et sanguinem Christi ad causandam gratiam cibantem.* Hæc definitio sicut et præcedens fit per essentiam physicam sacramenti ; si vero brevissimam velis definitionem, oportet illam tradere per essentiam metaphysicam ; nam, ut sic, recte definitur : *Sacramentum corporis et sanguinis Domini ad cœlestem alimoniam fidelium.* Vide infra n. 387 et seq.

VI. — Divisio prioris partis.

30. Sextuplici capite complectimur omnia quæ communius explanant theologi de SS. Eucharistiæ sacramento, videlicet 1° de illius existentia, 2° essentia metaphysica, 3° essentia physica seu natura, id est materia et forma, 4° causis efficientibus, 5° effectibus seu causis finalibus, 6° subjecto seu causa materiali extrinseca.

PARS PRIOR

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

CAPUT I

DE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ EXISTENTIA

Cujus capitis argumentum quadruplici articulo absolvitur, nempe 1° de præsentia reali Jesu Christi in Eucharistia, 2° de modo quo fit præsens, 3° de modo quo est seu permanet præsens, 4° de cultu Eucharistiæ persolvendo.

ARTICULUS I

DE REALI PRÆSENTIA J. C. IN EUCHARISTIA

31. Exponuntur errores. 1° Primi negaverunt mysterium præsentiæ realis Capharnaïtæ, et quidam discipuli Domini; illudque habuerunt tanquam impossibile : unde recesserunt a Christo dicentes : *Durus est hic sermo; et quis potest eum audire?* (*Joan.* 6, 61.)

32. 2° Alii indirecte negaverunt præsentiam realem, quatenus inficiati sunt, veram carnem fuisse a Christo assumptam : ita Simon Magus, teste Theodoreto post S. Ignatium : ei astipulati sunt Menandriani, Valentiniani, Manichæi, et illi omnes quos recensuimus in tractatu de *Incarnatione*.

Nestoriani, quia non veram et genuinam humanitatis ad Deum conjunctionem confessi sunt, consequenter dixerunt, in Eucharistia non esse divinam atque vivificatricem carnem.

33. 3° Juxta Lanfrancum, primus directe dogma catholicum impugnavit Joannes Scotus, cognomento Erigina (sic appellatus a sua patria Hibernia, quæ olim Erim vel Erin nuncupabatur), vita functus circiter anno 884; edidit librum eo fine, ut demonstraret, in Eucharistia « neque vere corpus, neque vere Christi sanguinem esse. » Non pauci vero sentiunt, hunc librum fuisse scriptum post Berengarium ab aliquo sacramentario. Unde D.

Thomas, 3 p. q. 75, a. 1, Berengarium appellat primum hujus hæresis auctorem [1].

34. 4° Berengarius Turonibus oriundus, Andegavensis archidiaconus et scholasticus apud Turones, ægre ferens quod multi ex discipulis suis migrassent ad Lanfrancum, tunc celebrem in Beccensi monasterio magistrum, abreptus est in novitates, atque palam impugnavit dogma præsentiæ realis. Novem adunata sunt concilia, tum in Italia, tum in Gallia, occasione hujus hæresis, quam pluries abjuravit Berengarius, ut tamen paulo post ad vomitum suum rediret. Attamen certum videtur quod, pœnitentia tactus, obierit catholicus, anno 1088, quidquid in oppositum dicant Sacramentarii. Vide Billuart, de *Euch.*, dissert. 1, a. 2. Rorbacher, lib. 75.

35. 5° Petrus de Bruis, a quo Petro-Brusiani, multos errores docere incœpit in provincia Arelatensi (1126), inter quos negationem præsentiæ realis; licet enim concesserit, Christum vere consecravisse panem in corpus suum, negavit hujusmodi potestatem concessam fuisse Apostolis. Postea dicti sunt Henriciani ab Henrico, qui fuit præcipuus Petri discipulus. Illos vehementer insectatus est S. Bernardus, atque doctrina, sanctitate et miraculis compescuit.

36. 6° Viclefus (1312) tanquam contradictorium habens quod supersint accidentia sine substantia, contendit, in Eucharistia, etiam post consecrationem, remanere panis substantiam, et neutiquam ibi adesse corporis Christi substantiam. Ipsum secutus est Joannes Hus, uti constat ex sess. 13 concilii Constantiensis.

37. 7° Lutherus non negavit præsentiam realem, licet turpiter erraverit circa transsubstantiationem, sed ejus discipulus Carlostadius acriter contendit, Christum nonnisi in figura esse in Eucharistia; atque verba : *Hoc est corpus meum* in sensum metaphoricum detorsit. Ipsi avidissime astipulatus est Zuinglius, in Helvetia, contendens vocem *est* sumendam esse pro *significat*; et hanc metaphoram didicit quadam nocte ab aliquo, quem fatetur nescivisse, nec meminisse utrum ater vel albus fuerit. Hoc virus Bucer propinavit apud Argentinenses, et Ecolampa-

[1] Adelmannus, episc. Brixiensis, et Hugo, episc. Lingonensis, scripserunt ad Berengarium, tanquam ad primum fautorem atque assertorem hujus hæresis, et serio monuerunt ne Ecclesiam perturbaret, atque meminisset exitus quem sortiti sunt hæresiarchæ qui Ecclesiam Dei commovere moliti sunt.

dius apud Basileenses; quod magno haustu sumpserunt Bullingerius, Bernardus Ochimus, Petrus Martyr et omnes Sacramentarii, Sociniani ac Rationalistæ, qui sunt Capharnaïtæ moderni.

38. 8° Calvinus adhuc junior audivit Bucerum, et illius perversa dogmata simulque modum loquendi ambiguum et obscurum mutuavit, ut facilius deciperet, quin appareret mens erronea; idcirco dum loquitur Zuinglianis, cum ipsis facere ac sentire videtur; dum vero ad Catholicos sermonem habet, orthodoxus apparet. Dicit itaque *primo*, symbola Cœnæ tantum esse in terra, corpus vero Christi esse in Cœlo tantum, quia non potest esse nisi in uno ac determinato loco. *Secundo*, dicit, symbola et corpus Christi, licet infinite distantia ab invicem, esse tamen conjuncta, tum ratione signi, tum præsertim quia Deus nobis exhibet per fidem vere corpus et sanguinem Christi. *Tertio*, dicit, non ipsum corpus Christi descendere ad nos de Cœlo, dum panem manducamus, sed quamdam vim substantialem ex Christi carne ad nos derivari per spiritum ejus, tanquam per canalem quemdam. Ideo Christus est vere ac realiter præsens in Eucharistia, sed quoad virtutem tantum, non vero quoad substantiam. Vide Bellarminum, lib. I *De sacr. Eucharistiæ*, cap. 1, ubi fusius systema Calvini et illius tergiversationes necnon contradictiones exponit ostenditque.

PROPOSITIO.

In almo sanctæ Eucharistiæ sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominus noster Jesus Christus, verus Deus atque homo, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium continetur [1].

I. — Demonstratio ex S. Scriptura petita.

1° ARGUMENTA SUADENTIA

39. Primum *ex figuris* repetitur: nam, sicut supra (23 et seq.) innuimus, S. Eucharistia multis figuris adumbrata est in veteri Testamento, atque ejus excellentia in ipsis non obscure prænuntiata fuit. Atqui si Christus non vere, realiter, etc., Eucharistia non præstaret figuris, v. g. sacrificio Melchisedech, Agno Pa-

[1] Hæc propositio depromitur ex conc. Tridentino. (Sess. XIII, cap. 1.)

schali, Manna, etc. : quod repugnat, sicut repugnat, ut exemplar non sit perfectius ac potius exemplato. Ergo.

Reponunt : Eucharistia præstat Agno Paschali, Manna et aliis figuris, tum quia significat Christum actu existentem, dum figuræ illum significabant ut futurum ; tum etiam, quia duratura est usque ad consummationem sæculi, dum veteris Legis sacramenta essent abroganda, adveniente Christo.

Resp. Sed facile huic duplici effugio præcluditur aditus. *Primo* enim, si Eucharistia nihil peculiare sibi vindicaret supra vetera sacramenta et figuras, præter significare Christum actu existentem, sequeretur imagines depictas Christi præstare etiam antiquis sacramentis et figuris, siquidem repræsentant Christum actu existentem. Atqui tamen hoc non concedunt adversarii. Ergo, etc. *Secundo*, durationis diuturnitas est quid penitus accidentale ; unde non pertinet ad dignitatem rei substantialem. Sane, si consummata fuissent sæcula anno millesimo Christi, fuissetne aliquid detractum a dignitate Sacramentorum novæ Legis ?

40. Secundum *ex prophetiis* sumitur : *Psalm.* 110 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.* Quamvis, ait Suarez, hoc, ad litteram, dictum sit de manna, tamen sicut illud fuit aliqua e præcipuis figuris hujus sacramenti, ita in illis verbis indicata sunt mirabilia opera quæ Deus in hoc mysterio operatur.

Zach. 9, 17 : *Quid enim bonum ejus est, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?* Hoc testimonium de Eucharistia in lege Evangelica intelligunt Hieronymus et alii Patres ; et habet sine dubio magnam energiam ; nam si esset nudus panis et vinum, vix afferri posset probabilis ratio, ob quam præferendum esset, non solum omnibus sacramentis antiquæ Legis, sed et novi Testamenti sacramentis ; neque esset cur in hoc sacrificio tam magnificus ostenderetur Deus, neque cur tota bonitas et pulchritudo Ecclesiæ in eo sita esse diceretur. Suarez, in 3, disp. 46, sect. 2, n. 2. Vide Bellarm., I *de sacram Euchar.*, cap. 3 et 4.

2° ARGUMENTA CONVINCENTIA

Primum : Ex verbis promissionis.

41. Hoc argumentum desumitur ex cap. 6 Evangelii secundum Joannem, quod in tres partes distribui solet. Prima a versic. 1 ad 26 : in ipsa loquitur Christus de pane materiali, quo turbam pridie saturaverat, propter quam causam turba illum sequebatur ; inde vero, sumpta occasione, transtulit sermonem ad spiritualem cibum cujus multiplicatio panum erat figura : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Secunda pars incipit a versic. 27 usque ad 51 : in qua Christus disponit auditores ad credendum sibi pollicenti panem de Cœlo vivum, atque rationes præbendi fidem suis dictis tradit [1]. Tertia pars incipit a versic. 51 usque ad finem capitis ; et in hac parte, juxta omnes interpretes, agit manifeste Christus de Eucharistia :

Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam ; et ego ressuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat

[1] Non pauci sentiunt, agere Christum, in hac parte, de suiipsius manducatione spirituali per fidem, extra Eucharistiæ sacramentum. Ita Bellarm. (I, *de Sacram Euch.*, 5), et alii multi. Sed. S. Cyrillus Alexand., Theophylactus et alii multi, quibus astipulatur P. Perrone, verisimilius contendunt, et in hac parte moveri quoque sermonem de Eucharistia, sicut exposuimus. Nam loquitur ibi Christus de re futura, quam dicit panem vivum de cœlo datum ; deinde hujus panis manducationem opponit manducationi ipsius manna dati in deserto. Hæc et alia haud dubia valde suadent, ibi esse sermonem unum de eodem objecto, quod subobscure innuit Christus in secunda parte, ut præpararet animos ad tantum mysterium, et apertissime declarat in tertia parte.

me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire. Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam : verba quæ ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro : et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. Unde sic :

In hoc loco agitur de Eucharistia, non autem simpliciter de Christo ut objecto fidei. Atqui verba hujus loci inconcusse demonstrant, Christum esse vere, realiter ac substantialiter præsentem in Eucharistia. Ergo.

42. Probatur major. 1° *Ex auctoritate.* Synodus Ephesina, cap. 14, Synodus Nicæna II, actione 6, Trident., sess. 13, cap. 2; omnes antiqui patres, tum Latini, tum Græci, quibus astipulati sunt fere omnes Scholastici ac theologi, hunc locum intellexerunt de Eucharistia. Quidquid igitur garriant in oppositum pseudoreformatores, non possunt prævalere omnibus viris Ecclesiæ præclarissimis atque adeo coruscantibus sanctitate, doctrina necnon miraculis.

43. 2° *Ex regula interpretationis Scripturarum.* Verba Scripturarum sumenda sunt in sensu obvio et naturali, et non licet illa in sensum metaphoricum deflectere, nisi sic sumpta involvant contradictionem, vel impugnent alia Scripturarum testimonia aliunde notissima. Hanc tradit regulam S. August., III *de Doctrina christiana*, c. 10; et est fundamentalis; alias enim S. Scripturæ essent inutiles, imo et nocivæ; siquidem nonnisi mentium perturbationem atque discordia generarent. Atqui præfatus locus sensu obvio et litterali sumptus prorsus intelligi debet de SS. Eucharistia; non enim alio modo manducatur corpus Christi et bibitur ejus sanguis; et licet ibi sit absconditissimum mysterium, attamen nulla repugnantia occurrit.

Aliunde sensus litteralis traditioni Ecclesiæ, necnon cum aliis factis et mysteriis Christi optime consonat. Ergo.

44. 3° *Ex collatione horum verborum cum verbis Cœnæ.* Tanta enim est similitudo, ut plane clamare videatur divina Scriptura, ibi reddi quod hic fuit promissum. Hic enim dicitur : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ibi autem : *Accipite et comedite, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur. Matth.* 26, 22, et *Luc.* 28, 19.

45. 4° *Ex circumstantiis litteræ. Primo,* Christus suo sermoni prælusit per multiplicationem panum. Porro multiplicatio panum non est figura Verbi incarnati, sed Eucharistiæ. Ergo.

Secundo, comparat manducationem corporis sui cum manducatione manna quod Judæi manducaverunt in deserto. Porro comparatio non fit inter manna et corpus Christi, ut sumitur sola fide, sed ut sumitur in Sacramento : id quod perspicuum est, tum ex Apostolo, I *Cor.* 10, ubi comparat transitum maris Rubri cum Baptismo, et manna cum Eucharistia : tum etiam quia corpus Domini, ut sumitur sola fide, non defuit veteribus; immo illud in manna ita sumebant opinione adversariorum, ut nos sumimus in Eucharistia, Bellarm., I *de Sacram. Eucharistiæ,* 5.

Tertio, loquitur de re futura : *Panis quem ego dabo,* etc. Porro Christus ut objectum fidei et amoris jam datus erat. Ergo. Deinde quando agit de seipso quatenus sibi debent præbere fidem, dicit in præsenti : *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum,* quia donum Patris jam habebant auditores ; sed donum Christi nondum habebant : quocirca Dominus loquitur de re futura, quæ non potest esse nisi Eucharistia.

Quarto, tam aperta fuerunt verba Christi, ut illi qui eum audiebant, de corporali manducatione intelligentes, sed non intelligentes modum hujus manducationis, scandalizati fuerunt dicentes : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* Christus autem nedum sedaverit eorum turbationem, negando se loqui de manducatione corporali, e contra hoc magis confirmavit, tum addendo præceptum : *Nisi manducaveritis,* etc.; tum promittendo effectum hujus sacramenti : *Qui manducat meam carnem,* etc.; tum denique concludendo : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

Quinto, si Christus ibi solum ageret de fide in ipsum, usus fuisset sermone valde obscuro, atque mentes discipulorum illa-

queasset, toties verba *manducandi* et *bibendi*, *cibi* et *potus* repetendo, sine majori explicatione; præsertim cùm omnes, etiam Apostolos videret turbatos. Imo pro explicatione omni jurejurando obfirmat sermonem. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis*, etc. Denique nusquam adhibetur antithesis inter *cibum* et *potum*, *manducare* et *bibere*, *carnem* et *sanguinem*, ubi agitur de fide in Christum.

Sexto, Judæi multum abhorrebant a manducatione et potatione carnis sanguinisque humani; ideo si mens Christi fuisset innuere fidem in ipsum, hoc tropo non usus fuisset.

46. PROBATUR MINOR. 1° *Ex auctoritate.* Ut supra n° 42.

2° *Ex regula interpretationis S. Scripturæ.* Ut supra n° 43.

47. 3° *Ex petitione Judæorum.* Judæi petierunt a Christo signum præstantius ipso manna, quod manducaverunt patres sui in deserto; Christus hoc signum in Eucharistia reposuit dicens: *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Porro, si Eucharistia non contineret vere, realiter ac substantialiter corpus, etc., sed esset tantum figura vel imago corporis, etc., non præstaret ipsi manna, quod non sine magno miraculo pluebat in deserto; si enim in Eucharistia sit tantum panis sine corpore Christi, hic panis, ut patet, licet significet corpus Christi, est prorsus inferius quam manna, quod adamussim significabat quoque corpus Christi manducandum in Eucharistia. Ergo.

48. 4° *Ex intellectione Judæorum.* Judæi verba Christi intellexerunt de vera et corporali manducatione et potatione; litigabant enim dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Si autem intellexissent ad sensum adversariorum, non tantam præ se Christi sermo difficultatem intulisset. Atqui nedum Christus, qui erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Judæorum mentem corrigat, iterum atque iterum, et quidem jurejurando, suum asserit dictum ad sensum ipsorum. Porro mitissimus Jesus, qui via, veritas et vita est, et missus erat ad oves quæ perierant domus Israel, non tantum permisisset errorem Judæorum, si Eucharistia non contineret vere, realiter ac substantialiter, ad sensum catholicorum, corpus, sanguinem, etc.

Confirmatur. Non solum permisisset Judæos errare in re adeo momentosa; sed ipse illos in errorem induxisset, atque in

eo obfirmasset consulto, ideoque fuisset impostor ac seductor. Quod horribile dictu ac nefandissimum est. Ergo.

49. 5° *Ex consueto more Christi erga discipulos. Primo*, multi ex ipsius discipulis, audito Christo suum ad Judæos confirmante dictum, scandalizati sunt atque dixerunt : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?* Atqui Christus, qui sæpe sæpius in rebus minoris momenti suam mentem discipulis explicitius aperuerat, ut errorem ex eorum corde avelleret, uti patet ex parabolis seminantis, zizaniorum, etc., nihil in contrarium explicat eis, quibus tamen datum est nosse mysteria Dei ; sed iterum verba sua ad sensum audientium confirmat, et indicat, altius quoddam mysterium ibi latere : *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus et vita sunt.*

Secundo, ut suadeat discipulis mysterium adeo stupendum, appellat ad Ascensionem suam tanquam ad manifestum suæ auctoritatis et veracitatis signum : *Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Quæ verba possumus etiam cum S. Chrysostomo et aliis sic interpretari : Si hoc nunc vobis videtur difficile, quanto apparebit difficilius, posse vos manducare carnem meam, postquam illam ascendentem in cœlum videritis? Duplex hæc interpretatio æque facit ad rem; sed prior videtur magis consonare cum *Joan.* 1, 50 et 51 ; et *Matth.* 26, 63 et 64.

Tertio, denique Christus potiusquam verbum aut iota unum adimat ex sermone suo, patitur ut multi ex discipulis suis abeant atque a fide naufragentur : *Ex hoc*, id est, auditis verbis Christi, *multi discipulorum ejus abierunt retro et jam non cum illo ambulabant ;* quum tamen uno verbo illos liberare ab errore et secum retinere potuisset. Imo tolerabit, Apostolos ipsos abire, potiusquam sua verba aliter ac ipsi intellexerunt, interpretetur : *Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.*

Unde S. Hilarius, lib. VIII *de Trinit.* : « Ipse (Christus), ait, *Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra

vere caro est et vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. »

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

50. *Obj.* 1° Si locus citatus esset intelligendus de sacramento Eucharistiæ, hoc sacramentum esset necessarium necessitate medii : sicut enim Christus dixit : *Joan.* 3, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei;* ita ibi dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis*, etc. Atqui tamen, ex confesso omnium, sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii.

Resp. 1° Si locus citatus esset intelligendus tantum de manducatione spirituali per fidem, a fortiori hæc manducatio esset de necessitate medii. Porro hoc falsum est; quomodo enim parvuli qui nec usum rationis, neque fidem actualem habent, poterunt hanc manducationem perpetrare? Quippe facilius est parvulis sacramentum porrigere, quam ut ipsi per fidem manducent.

2° Hic locus spectat ad solos adultos, non enim infantes tunc alloquebatur Christus, sed tantum eos qui ipsum in deserto secuti fuerant : unde non dicit absolute sicut pro Baptismate : *Nisi quis manducaverit*, etc.

3° *Nego majorem.* Intelligendus est quidem de necessitate præcepti, sicut in ultimo capite dicemus, non autem de necessitate medii; siquidem Eucharistia est sacramentum vivorum, qui proinde habent jam gratiam, et absolute possunt sine communione salvari; dum Baptisma est sacramentum mortuorum. Ergo.

51. *Inst.* D. Thomas, 3 p. q. 65, a. 4, ad 2, dicit : « Illud verbum Domini (scilicet : *Nisi manducaveritis*, etc.) est intelligendum de spirituali manducatione, et non de sola sacramentali, ut Augustinus exponit *super Joan.*, tract. 26. Ergo hic locus non est intelligendus de manducatione corporali.

Resp. Nego conseq. Non negat D. Thomas, hunc locum esse intelligendum de manducatione corporali ac sacramentali; sed sentit, verba illa posse etiam intelligi de manducatione spirituali; et consilio addit : *et non de sola sacramentali.* Nam pro adulte satis est, si non possit in re sacramentum Eucharistiæ suscipere,

ut suscipiat illud in voto, sicut expresse docet D. Thomas, 3 p. q. 80, a. 11, o, ubi adducit citatum Scripturæ locum, ut demonstret præceptum divinum communionis faciendæ.

52. *Obj.* 2° Christus absolute dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* ; et sæpe in loco citato idem inculcat sine restrictione. Atqui hoc intelligi non potest nisi de manducatione spirituali per fidem ; alias omnes qui communicant, licet indigne, haberent vitam æternam ; quod falsum ac impium est ; *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*, I *Cor.* 11, 29. Ergo.

Resp. Nego minorem. Sæpe enim in S. Scriptura Deus fecit promissiones, quin addiderit expressam restrictionem, quæ tamen necessario supponitur ex ipsamet natura rei ; v. g. *Luc.* 2, dicit Dominus : *Omnis qui petit, accipit ;* et tamen S. Jacobus, c. 4, dicit multos non accipere, quia non rite petunt. *Joelis* 2 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit :* et tamen *Prov.* 1 : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam, eo quod exosam habuerint disciplinam. Marc.* 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* : credidit et baptizatus est Judas, et tamen periit. Unde S. Augustinus, tract. 26, *in Joan.*, postquam verba Domini *Nisi manducaveritis*, etc., exposuerit de manducatione spirituali, quæ vitam æternam consequitur, illa in sensu litterali applicat Eucharistiæ dicens : « Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, et de mensa Dominica sumitur ; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium : res vero ipsa cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit. » (N° 15.)

« Ne autem putarent sic in isto cibo et potu promitti vitam æternam, ut qui eam sumerent, jam nec corpore morerentur ; huic cogitationi dignatus est occurrere. Nam quum dixisset : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, continuo subjecit : *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* (N° 16.)

53. *Obj.* 3° Apostoli intellexerunt verba Christi de manducatione spirituali per fidem, ut patet verbis S. Petri respondentis Christo : *Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus*

Filius Dei. Hæc enim verba significant fidem in Filium Dei incarnatum. Ergo, etc.

Resp. Nego anteced. Multi enim discipuli Jesu eum dereliquerunt; quod prorsus non fecissent si sermonem ejus intellexissent de fide in incarnationem, et qua de causa, omnia reliquerant, ut Dominum sequerentur. S. Petrus innuit causam cur dictis Christi assensum præstent Apostoli, atque veluti resumit secundam partem sermonis Christi, in qua ipse offert rationes ut assensum præbeant dictis suis, atque mysterium quod jam propositurus est firmiter credant; sicut postea Martha, quando Christus ei dixit an credat quod ipse possit suscitare Lazarum, ait illi : *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Unde S. August., tract. 27, *in Joan.* n. 9 : « Videte quemadmodum Petrus, dante Deo, recreante Spiritu Sancto, intellexit. Unde nisi quia credidit? *Verba vitæ æternæ habes.* Vitam enim æternam habes in ministratione corporis et sanguinis tui. *Et nos credidimus et cognovimus.* Credidimus enim ut cognosceremus : nam si prius cognoscere et deinde credere vellemus, nec cognoscere, nec credere valeremus, quid credidimus et quid cognovimus? *Quia tu es Christus Filius Dei.* Id est, quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo nisi quod es. »

54. *Obj.* 4° Ipse Dominus falsam discipulorum interpretationem correxit dicens : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam.* Ergo ejus verba intelligenda sunt de manducatione mere spirituali per fidem.

Resp. Dist. antecedens. Correxit mentem discipulorum quorumdam circa *modum* manducationis cruentæ, *concedo;* circa veritatem ac realitatem ipsius manducationis corporalis, *nego.* Illi discipuli verba Christi intellexerant de manducatione penitus materiali et cruenta; ad rem S. August. tract. 27, *in Joan.*, n. 5 : « Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt : carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est : *Caro non prodest quidquam*, quomodo dictum est : *Scientia inflat.* Jam ergo debemus odisse scientiam? absit. Et quid est, *Scientia inflat?* sola, sine charitate. Ideo adjunxit : *Charitas vero ædificat* (I *Cor.* 8, 1). Adde ergo scientiæ charitatem. Sic etiam nunc : *Caro*

non prodest quidquam, sed sola caro : accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. »

Unde, non obstantibus his Christi verbis, multi discipuli permanserunt in scandalo, et, post Domini explanationem factam tantum, recesserunt ab eo. Quod manifeste ostendit, ipsos verba Domini intellexisse de manducatione reali ac substantiali [1].

55. *Obj.* 5° Aliqui theologi catholici, inter quos Gabriel, lect. 84, *super canon. Missæ ;* Thomas Cajetanus, in 3 p. q. 80, a. 11 ; Joannes Hesselius in libro *De communione sub utraque specie ;* Cornelius Jansenius, cap. 59, *Concordantiæ,* etc., intellexerunt verba Christi de mera manducatione spirituali per fidem. Ergo.

Resp. Nego conseq. Illi enim theologi, bona quidem intentione fecerunt [2] ; sed tamen erraverunt, nec illos ab aliqua temeritatis nota eximit Maldonatus ; nec paucorum sententia prævalere potest consensui moraliter universali præclarissimorum doctorum. Est locus dicendi : *Quandoque dormitat bonus Homerus.*

[1] Hoc tamen non obest quominus verba Christi possint etiam sumi in sensu mystico atque intelligi de manducatione mere spirituali per fidem ; S. Scripturæ enim, præter litteralem sensum , multos alios habent, sicut omnibus notum est. Quocirca S. Augustinus, in loco supra citato, et alii Patres verba Domini exposuerunt sensu mystico de manducatione spirituali, quum tamen interdum sensui litterali attendant. Unde Ecclesia in officio SS. corporis Christi utrumque sensum complectitur ; in lectionibus secundi Nocturni adducit potissimum loca Patrum qui exponunt manducationem corpoream ; et in tertio Nocturno, potius loca quæ manducationem spiritualem per fidem et charitatem exponunt, producit. Quod operæ pretium est habere alte in mente defixum ad solvendas multas difficultates ex testimoniis Patrum depromptas. Sæpe enim Patres in concionibus, ne proderent sacramenta hæreticis, maxime sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, quod ipsis catechumenis non licebat notum facere, aut nihil dicebant de sensu litterali testimoniorum illud respicientium, vel hunc sensum passim solummodo innuebant, ut impense sensum mysticum exponerent. Unde S. Augustinus in illud *Joan.*, 2, 24 : *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis :* « Si dixerimus catechumeno, credis in Christum ? Respondet : Credo, et signat se : Jam crucem Christi portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credidit in nomine ejus. Interrogamus eum : Manducas carnem Filii hominis et bibis sanguinem Filii hominis ? Nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei. » (*In Joan.*, tract. 11, n. 3.)

[2] Scilicet ut non cogerentur admittere præceptum communionis sub utraque specie, ex vi illorum verborum : *Nisi manducaveritis,* etc.

SECUNDUM ARGUMENTUM : *Ex verbis institutionis.*

55. Eucharistiæ institutio narratur a SS. Matthæo, Marco, Luca et Paulo; quorum narrationem in re tanti momenti oportet sedulo in mente rimari. Itaque :

Matth. 26, 26-28 : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait : Accipite et comedite : Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit : et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Marc. 14, 22-24 : *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem et benedicens fregit et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.*

Luc. 22, 19 et 20 : *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

I *Cor.* 11, 23-25 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens : Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine : Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

Tota controversia adæquate vertitur circa unum punctum, an scilicet præfata Domini verba *Hoc est corpus meum ; Hic est enim sanguis meus*, sumenda sint in sensu litterali et obvio, an vero in sensu metaphorico : nam apertissima sunt; et in sensu litterali et obvio intellecta inconcusse nostram thesim fulciunt, et eorum evidentia perstricti, hoc nobis concedunt, qui summopere moliuntur sensum metaphoricum introducere. Ideo sensus litteralis probatur.

56. 1° *Ex auctoritate.* Synodus Nicæna II, actione 6, expresse respuit expositionem hæreticorum, de signo corporis hæc verba interpretantium, et ponderatur non dixisse Dominus : *Accipite et*

comedite imaginem corporis mei, etc. (Hunc locum perlege etiam apud Gonet. *de Eucharist.*, in disp. procemiali.) Unde Trident. sess. 13, cap. 1 : « Ita enim majores nostri omnes quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de SS. hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse, quum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est : quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est, ea (verba institutionis) a quibusdam contentiosis et pravishominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri. »

57. 2° *Ex regula interpretandæ Scripturæ.* Verba Scripturæ non possunt in metaphoricum sensum detorqueri, nisi obvius sensus involvat contradictionem, aut pugnet cum aliis locis Scripturæ plane notis. Porro verba institutionis in sensu obvio intellecta non involvunt contradictionem, ut patebit solutione difficultatum et ex dicendis ubi de essentia metaphysica sacramenti Eucharistiæ; neque impingunt alia Scripturæ loca.

Confirmatur. Nedum præfata verba sumi debeant in sensu metaphorico, impossibile est omnino illa in hunc sensum deflectere, ita ut verbum *est* sumatur pro *significat*, vel *est figura*, sicut volunt adversarii. Nec enim ex natura rei, neque ex usu recepto, neque ex præhabita Christi institutione, panis figurat aut significat ejus corpus. Aliunde tropi debent esse termini indeterminati, vel universales, et neutiquam adhiberi possunt ubi agitur de individuo determinato quod ostenditur; sic Christus recte dixit : *Ego sum vitis ; Ego sum panis vitæ*, etc., sed non potuisset figurate dicere : *Ego sum hæc vitis ; Ego sum hic panis vitæ*, ostendendo scilicet aliquam vitem aut panem quem porrexisset.

Unde S. Cyrill. Hieros. *Catechesi.* 4 : « Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit ac dixerit : *Hoc est corpus meum* : quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipse tam asseveranter dixerit : *Hic est sanguis meus ;* quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus sanguinem? » Et ipse Philippus Melancton ad Fredericum Myconium scribebat : « Si pro

corpore figuram corporis accipias, quid non poterit eludi hac arte? Sic licebit totam religionis formam transformare. » Sane hoc more licebit cum Serveto, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum tria tantum esse nomina unius Dei, non tres personas; Verbum assumpsisse, non veram carnem, sed figuram carnis; non vere passum mortuumque, sed tantum per imaginem, cum Manichæis interpretari. Denique a pari quis dicere poterit, nonnisi per tropum Evangelia esse Evangelia, Christum esse Christum, Deum esse Deum, ut tandem nihil credatur. Et hic est Protestantium exitus ad quem hodie multi devenere.

58. 3° *Ex natura Eucharistiæ*. Eucharistia, fatentibus ipsismet adversariis, fuit instituta a Christo in ultima Cœna tanquam maximum Sacramentum et Testamentum Domini. Atqui ratio sacramenti et testamenti non patitur usum metaphoræ in verbis institutionis. Ergo.

Prob. minoris 1ª pars. Sacramenta sunt tanquam Ecclesiæ fundamenta; ideo si obscure et per metaphoras instituerentur, omnia nutarent in Ecclesia Christi, quæ tamen *est columna et firmamentum veritatis*. Deinde in veteri Lege, quæ erat tantum umbra et figura novæ Legis, circumcisio (*Gen.* 17), manducatio Agni Paschalis (*Exod.* 12), uno verbo, omnia sacramenta, sacrificia et ceremoniæ adeo propriis et clarissimis præcipiebantur verbis, ut vix reperire sit aliqua vox metaphorica. In nova Lege, Baptisma et Pœnitentia item perspicuis verbis instituuntur. A fortiori Eucharistia, quæ est maximum novæ Legis sacramentum.

Prob. minoris 2ª pars. In significatione verborum alicujus testamenti, non licet a sensu litterali et proprietate verborum recedere, nisi ubi manifestum est, aliter sensisse testatorem, ut dicitur in libro *Non aliter*, ff. *De legatis*, 3. Et naturali ratione per se notum videtur; quis enim, si testator sibi donum legasset, imagine vel figura illius domus contentus esset? Unde vetus Testamentum (*Exod.* 24) disertis et perspicuis verbis datum est : a fortiori Testamentum Christi, cujus vetus erat tantum umbra. Quocirca Tertullianus, IV *contra Marcionem* 40 : « In calicis mentione Testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. »

59. 4° *Ex circumstantiis*. Sermo metaphoricus usurpari consuevit gratia occultandi vel exornandi sermonem, sed non adhi-

betur in familiari colloquio inter amicos, neque inter magistrum et discipulos, neque in articulo mortis. Porro hæ omnes circumstantiæ occurrunt in institutione Eucharistiæ, sicut omnes norunt. Unde discipuli dicunt ad magistrum : *Ecce palam loqueris et proverbium nullum dicis* ; et non interrogant, sicut assolebant, quando Christus figuratum adhibebat sermonem : *Edissere nobis parabolam istam.*

Confirmatur. Si vocabulum *est* pro tropo sumatur, est ad minus valde obscurum, et tamen Christus qui prævidebat tot dissentiones oriundas ex falsis hujus vocabuli interpretationibus, hanc metaphoram non explicat, licet tamen parabolas minoris momenti discipulis explanaverit. Imo tres evangelistæ et S. Paulus, qui fuerunt a Spiritu Sancto afflati, licet in aliis rebus diverso modo loquantur, cum veniunt ad verba institutionis Eucharistiæ, diligentissime illa referunt cum omni proprietate, et sine ulla fere varietate, ne ullam quidem explicationis vocem addentes. Quod prorsus non fecissent, si verba non essent sumenda in sensu obvio ; alias enim in re gravissima occasionem erroris Ecclesiæ præbuissent.

Unde ipse Lutherus Evangelici textus evidentia perstrictus, hæc confiteri coactus est : « Quod si Carlostadius mihi persuadere potuisset, in Sacramento, præter panem et vinum, esse nihil, magno beneficio me sibi devinxisset. Jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi, et videbam me hoc modo posse Papatui incommodo esse. Verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta est, textus Evangelii nimis est apertus et potens, qui facile convelli non potest, multo minus verbis aut glossis e capite vertiginoso confictis subverti. » Epist. ad Argent.

60. 5° *Ex absurdis.* Sacramentarii, ut genuinum ac obvium prætermitterent sensum Scripturæ, in sexcenta absurda abierunt. Dicit Bellarminus, I *de Euchar. sacram.*, cap. 8, prodiisse anno 1577 libellum, « in quo ducentæ numerantur hæreticorum vel expositiones, vel depravationes horum paucorum verborum : *Hoc est corpus meum.* » Hodiedum usque adeo pullularunt expositiones ex sensu privato, ut nemo jam valeat eas dinumerare. Satis erit præcipuas referri, præter Zuinglianam.

Primo, dicunt pronomen *hoc* referri ad corpus Christi, quatenus, talia fando, Christus corpus suum naturale ac sensibile

ostendebat Apostolis. Sed non potuisset ita agere nisi ex futilitate insaniaque. Deinde Christus agebat de re quam ad manducandum perhibebat, non autem de re quam simpliciter ostenderit. Præterea, quid igitur ostendebat, dum dixerit : *Hic est sanguis meus?* Tandem hæc interpretatio sus. deque evertit sacramentum Cœnæ, etiam ad mentem Calvinistarum acceptum.

Secundo, alii dicunt pronomen *hoc* designasse collegium Apostolorum. Sed in primis, si Christus ita locutus esset, in nugas deflexisset. Deinde collegium Apostolorum non est corpus *quod pro vobis tradetur ;* neque hoc modo, S. Paulus sermonem Christi intellexit; sed aperte exposuit, I *Cor.* 11, panem cœlestem quem Christus tradidit, esse corpus ejus. Præterea forma consecrationis calicis designatne etiam corpus Apostolicum ? Tandem hoc figmentum plane etiam evertit Cœnam Sacramentariorum.

Tertio, alii dicunt, sensum formulæ *Hoc est corpus meum*, ita vertendum esse : *Hoc*, id est, *panis*, *est corpus meum*, id est, non jam meum corpus vivum efformatum a Spiritu Sancto in utero B. Virginis, sed est res mea, seu proprietas cujus ego sum Dominus. Sed quam inepta sit hæc expositio atque Salvatorem dedeceat, facile videre est; nam si Christus nudum panem dabat, quænam magnificentia aut excellentia in hoc dono apparebat, ut oporteret tanto verborum et habitus apparatu dicere, illud esse suum ? Deinde Christus non dixit : *Hoc corpus est meum ;* sed : *Hoc est corpus meum;* atque ut evidentius aperiretur sensus, subjunxit : *Quod pro vobis tradetur*. Item in forma sanguinis adjectivus *meus*, nullo modo potest ita torqueri. Tandem illa expositio diruit quoque Cœnam Calvinianam.

Quarto, alii dicunt, pronomen *hoc* esse prædicatum et verba *corpus meum* esse subjectum propositionis. Sed in primis hanc conversionem instituere non potes, quin verbis Christi vim incutias ; nam ipsi obstant hæ determinantes propositiones : *Quod pro vobis tradetur ; Qui pro vobis effundetur*. Deinde hujusmodi inversio nihil confert ad scopum ; quippe particularis propositio affirmans potest converti simpliciter, ideo sive dicas : *Hoc est corpus meum*, aut : *Corpus meum est hoc*, dummodo proprietatem verborum retineas, æque veritas confirmabitur.

Quinto, alii dicunt, panem esse figuram corporis Christi crucifixi, quia cadaver est siccum et exsangue, sicut panis coctus ;

vinum autem esse figuram sanguinis, quia est rubri coloris. Alii alias excogitaverunt non minus ineptas expositiones, quas singillatim expendere tempus jam non suppetit. Sed quanta dementia pervasit mentes !

Unde iterum Lutherus ipse, *Apologia de Cœna Domini :* « Rogamus Sacramentarios ne petant a nobis, ut illum textum probemus : *Hoc est corpus meum ;* possunt enim ea de re consulere pueros vix septem annos natos, qui in scholis istorum verborum syllabas colligere discunt.... Ostendant Biblias in quibus scriptum est : *Hoc est corporis mei signum.* Quod si non possunt præstare, imponant aliquantisper ori suo silentium, et imperent stylo suo quietem, donec ejusmodi Biblias in medium afferant.... Doctor Carlostadius ex his sacrosanctis vocabulis : *Hoc est corpus meum*, misere detorquet pronomen *hoc ;* Zuinglius autem verbum substantivum *est;* Ælampadius nomen *corpus* torturæ subjecit. Alii totum textum excarnificant. »

SOLVUNTUR OBJECTIONES

61. *Obj.* 1° S. Scriptura interdum vocem *est* usurpat pro voce *significat :* uti *Genes.* 41. *Septem spicæ plenæ septem anni ubertatis sunt, Exod.* 12. De Agno Paschali dicitur : *Est enim phase, id est transitus Domini ; Daniel.* 7. *Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt; Luc.* 8. *Semen est verbum Dei ;* I *Cor.* 10 : *Petra autem erat Christus ; Apocal.* 1 : *Septem stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum*, etc. Ergo etiam in verbis institutionis vox *est* metaphorice sumi potest.

Resp. 1° *Retorqueo.* Sæpe sæpius, imo fere semper S. Scriptura vocem *est* usurpat in sensu proprio et non metaphorico. Ergo.

2° *Nego conseq.* Namque in citatis et aliis locis quæ proferunt Sacramentarii, vel adjuncta, vel argumentum, vel contextus declarant, vocem *est* sumi pro voce *significat ;* dum in verbis institutionis adjuncta, argumentum sive natura rei, et contextus excludunt interpretationem metaphoricam, uti inconcusse demonstratum est. Sane in primo loco agitur de somnio ; somnia autem sunt signa rerum. In secundo, ex more Scripturarum reticetur vox *victima*, perinde ac si diceretur : *Agnus Paschalis est victima transitus Domini.* Hoc more sacrificia pro peccatis dicebantur simpliciter *peccata* in veteri Lege, sacerdotes dice-

bantur *comedere peccata populi;* et in nova Lege, Christus dicitur *pro nobis factus peccatum.* (II *Cor.* 5).

Unde in eodem *Exodi* capite, Moyses confirmat nostram interpretationem : *Et cum dixerint vobis filii vestri : Quæ est ista religio? Dicetis eis : Victima transitus Domini est quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios et domos nostras liberans.* In tertio loco agitur de somnio regis Nabuchodonosor, unde res ab ipso visæ, ex ipsamet somnii natura, habendæ sunt tanquam signa. In quarto loco manifeste Apostolus *petra* sumit in sensu metaphorico, quum hanc petram dicat spiritalem : *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.* Aliunde non materialis et corporea petra sequebatur Judæos; unde Apostolus subdit : *Hæc omnia in figura contingebant illis.* In ultimo loco agitur de visione B. Joannis, quæ valde assimilatur somnio, præter quod idem simul vidit et res visas intellexit atque interpretatus est. Ideo ex natura rei et contextu manifeste patet, vocem *est* ibi esse sumptam pro voce *significat.* Et ex his facile est judicare de aliis locis quæ passim colligunt adversarii.

62. *Inst.* 1° D. Paulus, I *Cor.* 10, dicit antiquos patres eamdem escam manducasse, et eumdem potum bibisse nobiscum. Porro antiqui patres in figura tantum manducavere Christum, Ergo.

Resp. 1° *Nego maj.* Ne ulla quidem est in textu particula, qua esca et potus antiquorum dicantur eadem cum nostra, de qua Dominus dixit : *Hoc est corpus meum.*

2° *Dist. maj.* Manducaverunt eamdem escam, sed non eodem modo, *concedo;* eodem modo, *nego.* Licet D. Paulus dixerit, antiquos patres manducasse eamdem escam quam nos, id est, Christum, non tamen dicit, eodem modo manducasse; illi enim per fidem duntaxat; nos vero et per fidem, et substantialiter in Sacramento. Vide Bellarm. I *de Euchar.* 14, versus finem.

63. *Inst.* 2° Christus usus est lingua Syro-Chaldaica. Porro in hac lingua, ad exprimendum ideam *significandi* vel *repræsentandi*, nullum occurrit vocabulum præter *est.* Ergo necesse est uti voce *est* pro *significat* vel *repræsentat.*

Resp. Transeat major; nego min. Sicut inconcusse demonstravit clarissimus Wiseman, in præfata lingua plusquam quinquaginta voces occurrunt ad exprimendam repræsentationis

ideam. Imo ostendit ex vi illius linguæ, Christum, si intendisset relinquere tantum sui corporis symbolum, fuisse alia formula usurum in hypothesi quod ei non suppetiisset aliud vocabulum quam vox *est*, ad exprimendam repræsentationis ideam. Aliunde, esto quod res ita se habeat in lingua Syro-Chaldaica, ambiguitas sensus amovetur penitus ab auctoribus qui græce scripserunt, sicut fecit Paulus in epistolis ad Corinthios.

Dixi : Transeat; non enim desunt, qui teneant, Christum in ultima Cœna adhibuisse peculiarem linguam Hierosolymæ, quemadmodum in Cruce, quando exclamavit : *Eloi, Eloi, Lamma, Sabactani.*

64. *Obj.* 2° Christus dixit : *Hoc est corpus meum*, eodem sensu ac dixit, *Joan.* 15 : *Ego sum vitis vera.* Porro metaphorice dixit : *Ego sum vitis vera.* Ergo.

Resp. Nego maj. Ex contextu evidenter patet, verba Christi: *Ego sum vitis vera*, esse sumenda metaphorice, quum ipse instituat comparationem : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis.*

65. *Obj.* 3° S. Paulus, I *Cor.* 10 et 11, Eucharistiam vocat panem; et Christus ipse, facta calicis consecratione, vinum adhuc appellat *genimen* (*Matth.* 26, 29) seu *generationem vitis* (*Luc.* 22, 18). Porro si ejus corpus et sanguis realiter ac substantialiter sub speciebus panis et vini latitarent, nec D. Paulus Eucharistiam appellasset panem, neque Christus, etc. Ergo.

Resp. Nego min. Sicut dictum est in proœmio (8), Eucharistia aliquando dicitur simpliciter *panis* aut *vinum*, ratione materiæ ex qua conficitur. Hic mos est sat frequens in Scriptura : sic *Genes.* 2, Eva dicitur os, quia e costa Adæ per conversionem facta est; *Exod.* 7, serpens factus ex conversione virgæ Moysis vocatur virga : *Joan.* 2, vinum factum ex conversione aquæ dicitur aqua, etc. Deinde peculiaris occurrit ratio pro Eucharistia; nam retinet similitudinem panis et vini, et ideo potest appellari panis et vinum, sicut Angeli, *Gen.* 18, et *Act.* 1, qui habebant exterius speciem hominis, vocabantur viri; imo a fortiori, quia caro Christi in Eucharistia *vere est cibus*, *et sanguis ejus vere est potus.*

Deinde potest majoris prima pars concedi, et negari secunda. Nam *panis* hebraismo significat quemvis cibum, ut patet IV *Reg.*

6, 22 et 23. Sic *Joan.* 6, 31, manna, et v. 41, ipse Christus dicitur *panis;* panis enim est communis omnium et necessarius cibus. Adverte præterea quod non dicitur nude *panis*, sed : *panem quem frangimus.* Ita omnes Patres et Doctores orthodoxi, ut videre est apud Cornelium a Lapide, in I *Cor.* 10, 17.

Potest autem negari secunda pars, ad sensum adversariorum intellecta. Non pauci enim contendunt, præfata verba Christum protulisse de poculo alio ab eo quod fuit consecratum, scilicet de vino quod Christus Apostolis dederat in cœna typica Agni, Narrat enim S. Lucas, cap. 22, Christum dixisse : *Desiderio desideravi hoc pascha* (id est, agnum) *manducare vobiscum.... Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Ibi de Agno scribit id quod alii Evangelistæ de vino dicunt ; sed quod de Agno ibi S. Lucas dicit, non potest intelligi de corpore Christi. Ergo a pari id quod alii scribunt de vino, non potest intelligi de sanguine Christi.

Adde quod probabilius est, Christum dixisse utrumque simul de cibo et potu. Ita enim diserte quod SS. Matthæus et Marcus convolvunt, S. Lucas distinguit, et narrat, Christum utrumque ante Eucharistiæ institutionem dixisse. Solum igitur voluit Christus dicere, se deinceps cum illis non victurum, communemque cœnam non sumpturum, ut hactenus vixerat et sumpserat, quia pergebat ad mortem. Ita exponunt hunc locum S. Hieronymus, Theophilactus, et alii quos videre est apud Cornelium a Lapide, in I *Cor.* cap. 11, v. 24. Vide etiam Bellarm. I *de Euchar.* 11, sub finem.

66. *Obj.* 4° Verba institutionis Eucharistiæ obvio et litterali sensu intellecta pugnant cum multis aliis Scripturæ locis aliunde notissimis ; *Psalm.* 113 : *Deus autem noster in cœlo ; Matth.* 26 : *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis ; Matth.* 28 : *Assumptus est in cœlum, et sedet ad dexteram Dei*, etc. Unde in Symbolo confitemur, Christum ascendisse in cœlum, sedere ad dexteram Patris, inde tantum venturum esse judicare vivos et mortuos. Porro, si esset vere, realiter, ac substantialiter præsens in Eucharistia, adhuc remaneret in terra post suam solemnem ascensionem. Ergo. Ita Calvinus, IV *Instit.* 17. § 17 : « Scriptura testatur Christum, quod attinet ad naturam humanam, ascendisse in cœlum ibique mansurum usque ad diem judicii, et tunc demum, et non ante, ad inferiora

hæc loca rediturum. Non igitur verum est, eum sæpe descendere ut Papistæ volunt. »

Resp. Nego maj. Prædicta Scripturæ et Symboli loca intelligi debent de præsentia sensibili ac familiari, quæ nullatenus excludit præsentiam miraculosam et supernaturalem sub signis sacramentalibus. Quod vero possit esse simul in cœlo et in Eucharistia, alio atque alio tamen modo, fusius infra aperiemus.

67. *Inst.* 1° *Matth.* 24, Dominus ipse ita nos præmonet : *Si dixerint vobis : Ecce hic, aut illic est Christus, nolite credere.* « Non igitur, inquit Petrus Martyr, credendum, cum dicunt Papistæ : Ecce in illo altari, aut in illa pixide est Christus. »

Resp. Nego conseq. Monet Christus, ut caveamus impostores, qui se nomine Christi venditabunt : subjungit enim : *Surgent pseudochristi*, etc. : *clanculum venient sub ovilina pelle, et intus sunt lupi rapaces.*

68. *Inst.* 2° *Coloss.* 3. *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens :* unde Ecclesia in præfatione Missæ : *Sursum corda.* Ergo Christus non est quærendus sub pane eucharistico. Ita Calvinus, loco citato, § 36.

Resp. Dist. antec. Sursum corda, id est, sapite cœlestia, non vero terrena, *concedo ;* sursum corda, ita ut non inhæreant etiam cœlestibus quæ in terra sunt, *nego.* « *Sursum corda* non significat elevationem corporalem ; alioquin astrologi piissimi essent omnium hominum, qui semper versantur animo et oculis inter sidera : sed elevationem a rebus terrenis et curis hujus vitæ ad Deum et res æternas ac divinas. Unde sacerdoti dicenti : *Sursum corda*, non respondetur : *Habemus ad firmamentum*, sed : *Habemus ad Dominum.* Et certe qui in hoc mundo Christum quærebant, vel in præsepi, ut tres Magi, vel in templo, ut ipsa Virgo Mater, vel in sepulcro, ut Magdalena, sursum cor habebant, quia illum quærebant, qui est super omnia. Et potest fieri, ut quis dum in terra intuetur et cogitat, cor habeat sursum ; et contra dum quis cœlum intuetur et cogitat, cor habeat deorsum ; si nimirum ille in terra cogitet Dei potentiam, quæ ibi relucet ; hic autem in cœlo nihil cogitet, nisi naturam et qualitates cœli. Sic igitur qui in Eucharistia Christum quærunt et venerantur sursum cor habent, si de ipso Christo, non de negotiis hujus vitæ, interim cogitent. » Bellarm. I *De Euchar.* 14, sub fine.

69. *Inst.* 3° Juxta catholicam doctrinam, Christus in Eucharistia est in gloria Patris. Ergo, si Christus est substantialiter in Eucharistia, et ibi etiam sunt beati. Ita Petrus Martyr.

Resp. Disting. maj. Christus in Eucharistia est in gloria Patris alio modo ac in cœlo, *concedo ;* eodem modo, *nego.* Beati autem sunt cum Christo in gloria secundum modum cœlestem, non vero secundum modum sacramentalem. Attamen hoc non obstat quominus Christo in Eucharistia existenti adsint semper chori Angelorum, ut aperte testatur S. Chrys. VI *De Sacerdotio*, et *Hom.* 65 *ad populum Antiochenum*, et S. Ambros. in illud *Lucæ* 1 : *Apparuit illi Angelus ;* et S. Greg. IV. *Dial.* 58.

70. *Obj.* 5° Eucharistia est memoria mirabilium Domini, juxta *Lucæ* 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Porro aliquid instituitur in memoriam rei præteritæ et absentis, non vero præsentis. Ergo Christus non est realiter præsens in Eucharistia.

Resp. 1° *Dist. min.* Si ex se appareat atque evidens sit, *concedo ;* si vero sit occulta, *nego.* Licet enim Deus sit ubique, ita ut in ipso vivamus, moveamur et simus, attamen quia ejus præsentia nobis occultissima est, Scriptura jubet nos semper Dei memores esse. Quocirca, licet Eucharistia conficiatur sumaturque in memoriam Christi, nihilominus ipse in Sacramento realiter præsens esse potest.

2° *Nego conseq.* Eucharistia est quidem commemoratio Christi, non utcumque considerati, sed ut patientis et morientis, juxta illud I *Cor.* 11 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quia vero *Christus ex mortuis resurgens jam non moritur, neque illi ultra mors dominabitur*, potest illius passionis et mortis fieri commemoratio in Eucharistia, licet ipse sit in ea realiter ac substantialiter præsens.

71. *Obj.* 6° Si Christus est vere, realiter ac substantialiter in Eucharistia, Apostoli, in ultima Cœna, dum institutum est sacramentum, fuerunt prorsus conturbati, atque aliquod admirationis signum in tanta rei novitate ediderunt. Atqui tamen nihil simile narratur apud Evangelistas. Ergo.

Resp. Nego maj. Apostoli prius miracula Christi et omnipotentiam noverant; de hoc reconditissimo mysterio erant jam edocti, atque promissionem intellexerant : quapropter illius

complementum avidissime expectabant. Deinde credi potest, Christum illorum mentes illuminasse atque corda accendisse, ut summa reverentia tantum Sacramentum susciperent. « Denique, cur hodie tot millia simplicium catholicorum non turbantur, cum primum audiunt in Eucharistia esse totum et integrum Christum? nisi quia fide illustrante persuasi sunt, Christum, qui hoc dixit, Deum esse, qui mentiri non potest. Bellarm, I *De Euch.* 11.

Nota. Cæteras difficultates quas acervant Sacramentarii, magis tempestive infra, ubi de modo quo fit et quo est præsens Christus in Eucharistia, explodemus.

TERTIUM ARGUMENTUM : *Ex verbis usum spectantibus.*

I. 1 *Cor.* 10, 16 et 17 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus.*

72. *Primo*, verba illa, *communicatio sanguinis Christi* et *participatio corporis Domini*, in sensu litterali et obvio sumpta significant, Christum, non in figura et signo tantum, sed vere, realiter ac substantialiter esse in Eucharistia; non enim dicitur : *Communicatio figuræ aut signi sanguinis* vel *corporis;* sed simpliciter : *Communicatio sanguinis*, et *participatio corporis*. Atqui, ex regula jam toties inculcata, sumenda sunt in sensu litterali et obvio. Ergo. Unde S. Irenæus, V *Adversus hæreses*, 2 : « Qui negat, nos communicare proprio sanguini Christi, etiam potest negare, esse redemptos vero sanguine Christi. Quia sicut Apostolus dicit : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus,* ita dicit, calicem Eucharistiæ esse *communicationem sanguinis ejus;* et qui per metaphoram unum sermonem everterit, poterit etiam alium destruere. »

73. *Secundo,* per sumptionem Eucharistiæ unum corpus, non morale tantum, sed mysticum sumus, eodem fere pacto quo cibus fit unum cum comedente. Porro hæc mystica unitas non esse potest, nisi vere ac realiter manducetur caro Christi et bibatur ejus sanguis ; et non sufficit sumptio illius figuræ vel signi, sicut non satis fuit manducatio ipsius manna vel Agni Paschalis. Nam, ut plures fiant unum corpus mysticum, non satis

est quod de eadem mensa et de eodem pane manducent; sed necesse est, ut transmutentur in aliquid unum : hæc transmutatio per communionem fit, ait S. Augustinus, in quantum comestus non mutatur in nostram substantiam, sed nos potius in se transmutat, sibique unit et similes facit; quod non facit panis communis. Ergo.

Unde S. Cyrillus Alexand. IV *in Joan.* 17 : « Sicut cera miscetur ceræ, et fermentum pani, sic et nos corpori Christi. » Et S. Cyrillus Hierosol. *Catechesi* 4 : « In sacra communione fimus non tantum Christiferi, sed et concorporei et consanguinei Christi. »

II. 1 *Cor.* 11, 23-29 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis... Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo ; et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*

74. *Primo*, illa verba sensu litterali et obvio sumpta prorsus significant præsentiam rèalem, ad mentem Catholicorum. Atqui, etc.

75. *Secundo*, illa magna ac sedula probatio, quam prærequirit Apostolus, et magnum peccatum illius qui indigne sumit, plane ostendunt, in Eucharistia, non tantum signum et figuram corporis sanguinisque Christi, sed vere, realiter ac substantialiter, etc. ; quomodo enim reus erit ipsius corporis et sanguinis Domini, si ibi nec corpus neque sanguis adsint? Quomodo non dijudicabit corpus Domini communicans indigne, si corpus non ibi existat? Præterea nullibi scriptum et nunquam auditum est, fuisse reos corporis et sanguinis Christi, qui, in antiqua Lege, manna et Agnum Paschalem manducaverunt conscii peccati lethalis. Unde S. Chrysos. *Hom.* 60 *ad pop. Antioch.* : « Cogita quantum ad proditorem indignaris, et contra eos qui illum crucifixerunt : itaque considera, ne tu quoque sis reus corporis et sanguinis Domini. Illi sanctissimum corpus occiderunt, tu vero polluta suscipis anima post tot beneficia. Neque enim illi satis fuit hominem fieri, colaphis cædi, crucifigi : verum et semetipsum nobis commiscet; et *non fide tantum*, verum et *ipsa re* nos suum efficit corpus. »

Dices : Quatenus contemnit et conculcat figuram corporis

Christi, sicut qui contemnit et conculcat imaginem Principis, eo ipso reus est perduellionis.

Resp. Nego paritatem. Qui enim conculcat Principis imaginem, tunc duntaxat perduellionis reus est, quum imaginem violat, ut ei injuriam inferat : si enim alia de causa imago discerpatur, conculcetur, maculetur, ut sæpissime usu venit in imaginibus, vel humi depictis, vel in vasis aliisque ejusmodi rebus ; non ideo reus est perduellionis. Dum in sumptione Eucharistiæ quicumque conscius est peccati mortalis, judicium sibi manducat et bibit, reusque fit corporis et sanguinis Domini, etsi non accesserit animo Eucharistiam violandi.

Aliunde confici potest argumentum *ad hominem :* Calvinistæ enim et Sacramentarii omnes docent, non licere imagines venerari, sed potius oportere eas dilacerare ac frangere. Atqui, juxta eorum systema, Eucharistia nihil aliud est quam figura et imago corporis et sanguinis Christi. Ergo eam licet conculcare; quod tamen Apostolus dicit valde nefandum.

Inst. In cæteris sacramentis non continetur substantialiter Christus, et tamen qui illa suscipit indigne, peccat lethaliter. Ergo a pari, licet Christus non sit in Eucharistia, qui symbola Eucharistica indigne suscipit, reus erit corporis et sanguinis Domini.

Resp. Nego consequens et paritatem. In cæteris sacramentis indigne suscipiens peccat lethaliter, quia ponit obicem gratiæ, non quia signum repræsentat aliquid sacrum ; unde, v. g. qui indigne Baptisma vel Confirmationem suscipit, non proprie dicitur reus Spiritus Sancti ; dum in Eucharistia Paulus dicit: *Reus erit corporis Domini, judicium sibi manducat et bibit;* quod de nullo sacramento dictum legimus. Aliunde olim gravibus pœnis tum a justitia divina, tum ab ecclesiastica plectebantur qui indigne tractabant Eucharistiam ; et his pœnis alludit Apostolus quum dicit : *Ideo inter vos multi infirmi, et dormiunt multi.* Et hanc sanctionem testificantur multa exempla quæ, juxta critices regulas, inconcussa demonstrantur. Hæc autem omnia non leguntur de Baptismo cæterisque Sacramentis, præter Eucharistiam ; et ideo sat innuunt in ipsa, præter signum, esse corpus Christi vere, realiter ac substantialiter.

II. — Demonstratio ex SS. Patribus.

76. Calvinistæ et Sacramentarii primum summo æstu conati sunt Patres in duas partes adducere. Ideo, prætermissis locis apertissimis in quibus veritatem catholicam docent, quidquid ab eis minus explicite dictum est, corraserunt congesseruntque. Quum enim nondum exortæ essent hæreses circa venerabile Sacramentum, Patres sincere et confidenter de hoc mysterio locuti sunt, nihil de Sacramentariorum malitia ac perversitate solliciti; ideoque non semper adhibuerunt sermonem qui non possit specie tenus detorqueri in partem adversariorum.

Sed theologi catholici impense collegerunt sensa Patrum, eorumque de hoc mysterio veram ac sinceram fidem adeo evidenter ostenderunt, ut non pauci inter Sacramentarios cogantur fateri, « confirmare superstitiosorum hominum catholicorum sententiam phrases hyperbolicas primitivæ Ecclesiæ Patrum, SS. Cypriani, Ambrosii, Chrysostomi, Cyrilli, Augustini, etc. » Atque hinc factum est, ut hodie vix reperias sacramentarium et Calvinistam qui audeat Patres pro sua sententia laudare.

Unde, licet operis et temporis angustiis coarcti, aliquantisper inhærebimus Patrum auctoritati, ut ea freti erroris venenosi caput conteramus. Quorum testimonia alia dici possunt *categorica*, in quibus nimirum simpliciter affirmant præsentiam realem; alia vero dici possunt *argumentosa*, quia suppeditant rationes quibus falsa interpretatio excluditur. Prioris generis non pauca sparsimus testimonia in demonstratione petita ex Scripturis; ideo, ne memoria plus æquo sarcinetur, non subjungemus nova [1]; sed compendiose trademus argumenta posterioris generis. Deinde, ad intelligentiam locorum quæ præsentiæ reali officere videntur, difficultatesque ad explodendum, aliqua principia adducemus.

I. — Testimonia argumentosa.

77. *Primo, ex modo quo sumitur Eucharistia.* In multis locis Patres expresse excludunt solam figuram, atque docent, Eucharistiæ sumptione, Christum nobis, non tantum per figuram aut

[1] Qui illa desiderat, potest adire Bellarminum. (II *De sacram Euch.*, a cap. 1 usque ad 38 inclusive, vel etiam alios probatos auctores.)

fidem, sed reipsa nobis commisceri et copulari per corporum contactum. Ita S. Ambros. *De Sacram.* cap. 1; S. Hilarius, VIII *De Trinitate*; S. Chrysost. *Hom. 60 ad populum*; S. Cyrillus Hieros. *Catechesi* 4; S. Cyrillus Alexand. 4 *in Joan.* cap. 13 et 14; Theophilactus, *in Matth.* 26; S. Damascenus, IV *De Fide orthodoxa*, cap. 14, etc.

78. *Secundo, ex charitate Christi in hoc sacramento.* Magnifice celebrant charitatem Christi in hoc sacramento, eamque extollunt super omnem aliam quæ cogitari possit; unde, juxta ipsos, nec pastores oves suas, nec matres filios suis carnibus alunt, sicut Christus nos pascit; neque amici ita se tradunt et conjungunt sibi invicem, sicut nobis se tradit in Eucharistia. Porro si Christus in Eucharistia signum duntaxat et imaginem corporis reliquit, ejus charitas non exsuperaret amorem pastoris qui diligentissime oves in pinguia ducit pascua, matris quæ lacte suo enutrit natos, etc. Ergo. S. Chrysost. *Hom.*, 83 in *Matth.*, 45 in *Joan.*, 24 in I *Cor.* 2, etc. S. August., in *Psalm.* 33, Epist. 120, cap. 127, etc.

79. *Tertio, ex modo quo fit Eucharistia.* Patres non dubitant æquiparare consecrationem Eucharistiæ ipsimet mundi creationi, atque ut nostrum intellectum præparent ad fidem tanti mysterii, adducunt miraculum transmutationis aquæ in vinum in Cana Galilææ. Iterum atque iterum inculcant, hoc sacramentum perfici per veram conversionem panis in corpus, vel panem fieri corpus, vel ex pane fieri aut creari corpus Christi. Porro si credidissent, in Eucharistia esse tantum panem et vinum, sicut volunt Sacramentarii, prorsus non fuissent ita elocuti. Ergo. Ita S. Cyprian. *Sermone de Cœna*; S. Ambros. IV *De Sacram.* cap. 4; S. Gregor. Nissen. *Orat. Catech.* cap. 37; S. Cyrillus Hieros. *Cateches.* 4; S. Joan. Damascenus, IV *De Fide orth.* 14, etc.

80. *Quarto, ex modo judicandi de hoc sacramento.* Ut hujus mysterii fidem pectoribus inserant, docent, non standum esse sensibus, sed Christi verbis. Et hunc fidei articulum tanquam creditu difficillimum proponunt; et ideo Christi auctoritatem omnipotentiamque in ipso maxime præfulgere dicunt. Si autem teneas, in Eucharistia nihil esse præter symbola, jam corruitur fundamentum omne modi loquendi Patrum. Ita SS. Hilarius, Cyrillus, Augustinus, Damascenus, etc., in locis citatis.

81. *Quinto, ex fine specierum.* Rationes reddunt, ob quas Christus voluit sub speciebus panis et vini, et non in propria specie nobiscum manere, et ad manducandum bibendumque dari; scilicet ut fides probaretur et exerceretur, atque ut sine horrore carnem Christi manducemus sanguinemque ejus potemus. Quod certe non fuisset locus præstandi, si ratum habuissent, esse in Eucharistia nudam Christi figuram vel imaginem. Ita S. Ambros., S. Cyrillus, S. Damasc., Theophylactus, etc., in locis supra citatis.

82. *Sexto, ex nominibus Eucharistiæ.* Adhibent epithetas et nomina, ad hoc sacramentum exornandum, quæ nonnisi propter præsentiam Christi adaptari possunt, uti *terribile mysterium, horrendum mysterium, cibus inconsumptibilis, panis vivus,* et multa alia, quorum jam aliqua retulimus ubi de Eucharistiæ nominibus. Ita S. Dionys. *De Eccles. hier.* cap. 3; Origenes, *Hom.* 5; S. Chrysost. III *De Sacerdotio;* Concil. Chalcedonense, actione 3, etc.

83. *Septimo, ex modo quo est in Eucharistia Christus.* Docent, Christum esse substantialiter in Eucharistia, sicut erat in præsepio, et sicut nunc est in cœli throno, atque per Eucharistiæ consecrationem, terram fieri quodam modo cœlum, et hoc ipsum quod pretiosissimum est in cœlo, collocari in terra. Atqui in præsepio Christus erat realiter ac substantialiter; et in cœli throno pariter. Ergo. Ita S. Chrysost. *Oratione de S. Philogono;* Theodoretus, *Orat. de Nativitate,* recitata in Concil. Ephesino, etc.

84. *Octavo, ex adoratione Eucharistiæ.* Docent, sacramentum Eucharistiæ, propter Christum in eo existentem, esse adorandum : « Hæc mysteria, inquit Theodoretus, adorantur, non quia significant, sed quia ea sunt quæ creduntur. » Porro adoratio proprie dicta seu cultus latriæ non potest exhiberi Eucharistiæ, nisi contineat vere ac substantialiter Christum. Unde nec sacrum Chrisma, neque cætera sacramenta proprie adorantur. Imo, non tantum homines, sed ipsimet Angeli adorant Christum in Eucharistia, sicut late prosequitur S. Chrysost. VII *De Sacerdotio*, et *Hom. 3 contra Anomœos.* Vide etiam S. Ambros. III *De Spiritu Sancto,* 12; S. August. *Super Psalm.* 98; S. Cyrillum Hier. *Catechesi* 5; S. Greg. Magn. qui, IV *Dialog.* 58, ita habet: « Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis

hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa imis sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? »

85. *Nono, ex illationibus Eucharistiæ.* SS. Patres ex hoc mysterio plura religionis christianæ, maxime de Incarnatione, dogmata inferunt, quæ evidenter supponunt fidem in præsentiam realem. S. Irenæus, IV *Adversus hæreses*, 34. probat, Christum esse verum Deum, quia potuit convertere panem in corpus suum. Et lib. II, cap. 2, probat contra Gnosticos, Christum venisse in vera carne, quia vera caro et verus sanguis est in Eucharistia. S. Hilarius, VIII *De Trinitate,* ex illo modo quo Christus mediante sacramento Eucharistiæ in nobis, et nos in ipso sumus, reali quadam, et (ut ipse loquitur) naturali conjunctione, explicat et confirmat circumincessionem trium personarum SS. Trinitatis. S. Chrysost., S. Cyrillus Alexand., S. Greg. Nissenus et alii Patres ex hoc mysterio inferunt carnis resurrectionem, cujus semen accipimus et jus ad illam speciale, per conjunctionem realem corporis nostri cum corpore Christi, quæ fit in sacramento Eucharistiæ.

86. *Decimo, ex sacrificio Missæ.* Huc adduci possunt testimonia, in quibus Patres sermocinantur de incruento novæ Legis sacrificio; in ipsis enim aperte dicitur, non solum species panis et vini, quæ significant passionem Christi, sed ipsummet corpus Christi et sanguinem incruente immolari atque offerri. Ita S. Andræas Apostolus, ut legitur in ejus vita; S. Chrysost., in *Joan.* 17, et *Hom. 17 ad Hebr.*; S. August. in *Psalm.* 33 et 38; S. Cyrillus Alexand., in declaratione anathem. 11; S. Greg. Magn. IV *Dialog.* 58; S. Optatus Milevitanus, VI *Contra Parmen.*

II. — Principia ad solvendas difficultates.

87. *Primum :* Nullus ex Patribus negavit præsentiam realem Christi in Eucharistia, nec ullus addidit unquam dictionem exclusivam, videlicet esse *tantum* figuram, vel signum, vel panem, aut *sola* fide *solumque* spiritualiter manducari. Sed e contra in sexcentis aliis locis aperte professi sunt omnes veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. Idcirco priora, si quid obscuritatis involvunt, cum posterioribus sunt compo-

nenda et enucleanda. V. g. si quis dicat, hominem esse animal, verum dicit et non ideo potest insimulari materialismo et sensismo, nisi dicat hominem esse *tantum* animal, et nihil præterea. Si vero occurrant in hujus hominis scriptis vel dictis, in quibus dicat, hominem esse rationalem, non potest sine manifesta, injuria dici illum favere materialismo in locis in quibus hominem dicit animal. Porro Eucharistia, si rite manducetur, vere manducatur spiritualiter ac fide; et ipsa est panis, imo est signum et figura, ut jam exposituri sumus.

88. *Secundum :* Eucharistia, sicut alia sacramenta, sibi vindicat rationem signi, alias non esset sacramentum; atque uti dictum est supra, ubi de illius definitione (29), eminenter significat gratiam, passionem Christi et futuram gloriam, cujus est pignus. Sed hoc non obstat quominus sibi vindicet peculiarem rationem continendi substantialiter Christum ipsum. Patres, pro scopo intento, modo Eucharistiam sub una, modo sub altera, modo sub utraque formali ratione pertractarunt. Unde jure interdum dixerunt, Eucharistiam esse signum Jesu Crucifixi, interdum vero, Jesu in cœlo existentis, et aliquando, Jesu prout suo corpori mystico seu Ecclesiæ conjuncti; etenim Christus in Eucharistia est victima et se habet per modum immolationis, et in confectione Eucharistiæ invenitur perfectissima sacrificii Crucis repræsentatio. Atque tamen Christus ibi fruitur gloria sua, sicut in cœlo, et per hoc sacramentum perfectissimo modo conjungitur cum membris suis.

Unde S. Joan. Damasc., IV *De Fide orthodoxa*, 14 : « Figuræ porro rerum futurarum idcirco dicuntur, non quod non vere corpus et sanguis Christi sint, sed quod nunc quidem divinitatis Christi per eas participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per solum aspectum. Et S. Anselmus, *De Divino Officio*, rep. 3, cap. 4 : « Christi benedictione panis fit corpus ejus, non significatur tantum, sed etiam substantive; neque enim ab hoc Sacramento figuram omnino excludimus, neque eam solam admittimus, veritas est, quia Christi corpus est; figura est, quia immolatur quod incorruptibile habetur. »

89. *Tertium :* Primævis Ecclesiæ sæculis, Patres interdum subobscure de sacris mysteriis maxime de venerabili Sacramento loquebantur, ne scilicet irrisioni infidelium traderentur. Unde usi sunt nominibus hyperbolicis, ut testatur Theodoretus, *Dia-*

log. 2 : « Non oportet aperte dicere, est enim verisimile, adesse aliquos non initiatos. » Adeo magna diligentia ac prudentia Eucharistiæ mysterium custodiebant, ut ne catechumenis quidem illud exponerent, atque ad illud significandum utebantur hac formula : *Norunt fideles.* Adde quod, tempore Patrum, nondum fuerat impugnatum dogma catholicum ; ideo non erat causa tam diligentissime verba seligere ac ponderare, nec ulla erat suspicio calumniæ. Et hoc sedulo notandum est, atque alte in animo defixum habere operæ pretium est pro omni dogmate, dum leguntur Patres, sicut jam de S. Chrysostomo notaverat S. Augustinus, I *Contra Julianum*, 2 : « Disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi se arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus, securius loquebatur. »

III. — Demonstratio ex Conciliis.

90. *Primo*, Nicænum I (325), can. 14 : « Pervenit ad sanctum Concilium quod in locis quibusdam et civitatibus, presbyteris sacramenta diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi sacrificii potestatem non habent, his qui offerunt corpus Christi porrigant. »

91. *Secundo*, Ephesinum (431), S. Cyrilli ad Nestorium epistolam approbavit, in qua dicitur : « Ad mysticas benedictiones accedimus, eaque ratione sanctificamur, utpote sacræ carnis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum participes effecti..... Neque enim illam ut carnem communem suscipimus, sed tanquam vere vivificam, ipsiusque Verbi propriam. »

92. *Tertio*, Nicænum II (787), actione 6, postquam ostenderit verba *Hoc est corpus meum* non esse intelligenda de figura aut signo corporis Christi, ita concludit : « Ergo liquido demonstratum est, quod nunquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. »

93. *Quarto*, statim ac Berengarius negaverit præsentiam realem, damnatus est in novem conciliis, ut dictum est supra (34); et ipse in concilio Romano, sub Nicolao II, suos libros cremavit, atque huic fidei formulæ subscripsit : « Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum converti in veram et in propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem

Domini nostri Jesu Christi ; et post consecrationem esse verum corpus quod natum est de Virgine ; et verum sanguinem Christi, qui de latere effluxit, non tantum per signum, sed etiam in proprietate naturæ et veritate substantiæ. »

94. *Quinto*, Lateranense IV, can. 1 : « Verum Christi corpus et sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis et vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina. » Idem habuere concilia Viennense, Constantiense et Florentinum.

95. *Sexto*, Tridentinum, sess. 13, can. 1 : « Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter ac substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum ; sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute : anathema sit. »

Unde Erasmus, ad *Ludovicum Berum* : « Nunquam mihi persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui veritas est et charitas, tamdiu passurum fuisse, dilectam sponsam suam hærere in errore tam abominando, ut crustulum farinaceum pro ipso adoraret. »

IV. — Demonstratio ex praxi Ecclesiæ.

96. *Primo, ex ritu sumendi Eucharistiam.* Primitus ab incunabulis Ecclesiæ sacerdos, priusquam porrigeret fidelibus SS. Eucharistiam, dicebat : *Hoc est corpus meum*, vel simpliciter *Christi corpus ;* et totus populus respondebat : *Amen*. Cui praxi alludens S. Ambrosius, IV *De Sacramentis*, 5 : « Non otiose tu dicis *Amen*, jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi, et tu dicis *Amen*, hoc est verum : quod confitetur lingua, teneat affectus. » Idem habet S. Leo, sermone 6 *De Jejunio septimi mensis* [1].

[1] Ritus consecrationis non minus inconcussum suppeditat argumentum. « Græci enim consecrationis verba proferunt alta voce, quibus enuntiatis, circumstans populus dicit *amen*. Qui ritus in Occidentis quibusdam saltem ecclesiis olim vigebat. Unde S. Ambrosius, libro *De mysteriis*, cap. 9 : *Ipse clamat Dominus Jesu : Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur, et tu dicis amen, hoc est verum est. Quod o*

Præterea SS. Eucharistia deferebatur ad ægrotantes, ut luculentissimum factum senis Serapionis et alia non pauca testificantur; tempore persecutionis, fideles eam servabant in suis domibus, ut eam unusquisque acciperet; imo, etiam sedatis persecutionibus, hic mos aliquandiu sese protraxit : inde introductus est usus linteaminis quod dicebatur *Dominicale*, et in quo recipiebatur a fidelibus, præsertim mulieribus, corpus Christi. Cui mori alludens S. August. serm. 252 *De Tempore*, dicit : « Omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi excipiant. » Navigantes sacram Eucharistiam interdum deferebant secum. Porro hic mos supponit fidem in præsentiam realem. Ergo.

97. *Secundo, ex modo loquendi de Eucharistia.* In concionibus ad populum habitis, episcopi et sacerdotes nonnisi obscure atque velatis terminis de Eucharistia loquebantur ; imo diligentissime hoc mysterium occultabatur catechumenis. Porro, si manducatio corporis Christi in Eucharistia esset tantum per figuram, aut fidem, sicut contendunt Sacramentarii, jam non fuisset ratio hoc mysterium celare, præsertim catechumenis, quia noverant, Judæos manducasse manna et maxime Agnum Paschalem in signum futuri Redemptoris.

98. *Tertio, ex usu Eulogiarum.* In primæva Ecclesia, benedicebatur distribuebaturque catechumenis et fidelibus qui, ob impedimentum, communionem non faciebant, panis, quem S. August. *De peccat. meritis*, cap. 26, appellat « sanctum sacramentumque, quamvis non sit corpus Christi. » Porro, si Eucharistia nihil aliud sit quam panis benedictus in signum Christi, quanam de causa benedicebatur peculiaris alius panis ; et cur hic panis non appellabatur corpus Christi, sicut alter?

99. *Quarto, ex calumniis ethnicorum.* Ethnici objurgabant Christianis, quod in sacris suis infantem obvolutum farina discerperent atque manducarent : « Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo. » (Tertull. *Apolog.* cap. 7). Species panis et vini fuerunt etiam occasio insimulare eos Cererem et Bacchum colendi, sicut memorat S. August. XX *Contra*

loquitur, mens interna fateatur. In Æthyopica liturgia populus acclamat : Credimus, et certi sumus, et laudamus te, Domine Deus noster, hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum. » (MARTHENE, I *De antiq. Eccl. ritibus*, cap. 4, a. 8, n. 21.) Deinde fit adoratio Eucharistiæ a toto populo.

Faustum, 13. Porro, si hæc manducatio Eucharistiæ esset tantum in figura et per fidem, prorsus hunc modum prædicassent fidei christianæ defensores; nam sic perfacile os ethnicis occlusissent; sed nedum ad tropos se recipiant, solummodo ad omnipotentiam Dei appellant, ut mysterii eucharistici possibilitatem existentiamque vindicent : « Non ut communem panem hæc sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatum Jesu habet carnem et sanguinem, sic etiam per preces Verbi Dei ab ipso Eucharistiam factam cibum, ex quo carnes nostræ aluntur, ipsius incarnati Jesu et sanguinem esse edocti sumus. » S. Justinus Martyr. *Apolog.*

100. *Quinto, ex cultu Eucharistiæ.* Non levioris momenti argumentum suppeditat peculiaris et pientissimus cultus quo primitus Eucharistiam fideles prosequebantur. Inde fuit constitutum ne Eucharistia sumeretur, nisi a jejunis, atque sancta mysteria vasis pretiosissimis et mundissimis pertractarentur. Tertull. *De Corona militis :* « Calicis aut panis etiam nostri, si aliquid decidit in terram, anxie patimur. » Idem habet Origenes, *Hom.* 13. Quocirca S. Pius I ita decrevit : « Si per negligentiam sacerdotis de sanguine deciderit in terram, lingua lambatur, tabula radatur : si tabula non fuerit, locus corrodatur, igni consumatur, cinis intra altare recundatur, sacerdos quadraginta dies pœniteat. »

His adde consecrationem sacerdotum, ut offerant Missæ sacrificium, altarium, sacrorum indumentorum benedictionem, etc.; quæ omnia supponunt præsentiam realem Christi in Eucharistia. Unde apud Sacramentarios, nec sacerdotes, neque sacrificium, neque vestes sacræ, etc., inveniuntur. Vide *Perpétuité de la Foi*, et Bona, I *De Rebus liturgicis*, cap. 8 et seq.

101. Huc faciunt etiam omnes liturgiæ tum Orientalium, tum Occidentalium ecclesiarum, quæ sine ulla prorsus exceptione, non tantum aperte supponunt, sed etiam passim declarant præsentiam realem Christi in Eucharistia. Quapropter ipse Erasmus scite scripsit ad *Conradum Pellicanum :* « Hactenus cum omnibus christianis adoravi Christum pro me passum in Eucharistia, nec adhuc video quidquam, cur ab hac opinione debeam recedere; nullis humanis rationibus abduci potero a concordi sententia christiani orbis; plus enim valent apud me quinque illa verba : ***In principio creavit Deus cœlum et terram***, quam

omnia Aristotelis cæterorumque philosophorum argumenta quibus docent, carere mundum initio. Sic hic litteras divinas habemus : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : Hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur.*

V. — Demonstratio ex præscriptione.

102. Tempore quo Zuingliani, Calvinistæ et Sacramentarii impugnarunt dogma præsentiæ realis, universalis Ecclesia Catholica, imo etiam omnes sectæ hæreticorum et schismaticorum illud profitebantur. Atqui ab illo tempore usque ad Apostolos nulla facta est mutatio fidei circa illud. Ergo est apostolicum ac divinum.

Major patet ex ipsomet confesso adversariorum ; nam Zuinglius, *Commentaria de vera et falsa religione*, in cap. *De Eucharistia*, fatetur se valde occulte initio egisse, et cum paucis amicis contulisse negotium istud novi dogmatis proponendi, quia metuebat ne omnes offenderet, cum nullum omnino sciret esse illius sententiæ quam ipse invehere in Ecclesia cogitabat.

103. *Probatur min. Primo*, proferant adversarii monumenta mutationis fidei in Ecclesia universa. Dicant a quonam Patre genitus fuerit error, quibusnam viis grassatus sit, quænam concilia adunata sint hinc et inde, etc. Alii quidem asserunt, hujus hæresis auctorem fuisse Paschasium Ratbertum, an. 818, et propterea ipsum fuisse vehementer impugnatum a coævis Doctoribus. Sed supra evidenter ostensum est, concilium Nicænum I et II, Patres primorum sæculorum ac totam traditionem perantiquam docuisse dogma præsentiæ realis. Unde ipse Zuinglius cogitur fateri, jam tempore S. Augustini invaluisse opinionem de corporea carne, et propterea hunc pium virum non ausum fuisse palam profiteri corpus Christi esse tantum figurative in Eucharistia [1] ? Controversia inter Paschasium et coætaneos ejus non erat de præsentia reali, sed de nomine quo ipsa erat nuncupanda : Paschasius dicebat, in Eucharistia esse eamdem carnem quæ ex B. Virgine nata est ; ejus vero impugnatores,

[1] « Facile adducimur, Augustinum præ aliis acuto perspicacique ingenio virum, suâ tempestate non fuisse ausum diserte veritatem proloqui, quia jam casum magnâ parte dederat. Vidit omnino pius homo quid hoc sacramentum esset, et in quem usum esset institutum. Verum invaluerat opinio de corporeâ carne. » **Loco supra citato.**

non licere ita loqui simpliciter, et adhibendam esse distinctionem, adeo ut diceretur eadem *naturaliter*, non vero *specialiter*, quia in quantum existit in Eucharistia, caro Christi sumitur in ordine ad species sacramentales.

Secundo, impossibile fuisset homini cuilibet fingere hujusmodi dogma : adeo enim exsuperat aciem et captum rationis, ut ne ejus quidem possibilitatem homines suspicati fuissent, si Deus illud non revelasset. Cujusmodi inventa sunt Dei, non autem hominum, neque Angelorum. Deinde esto quod aliquis acutissimi ingenii adinvenisset hoc dogma, quomodo potuisset illud mentibus et cordibus omnium fidelium altissime inserere? Fuissetne potentior Christo ipso, qui, licet multiplicatis panibus, et patratis aliis miraculis coram discipulis suis, non potuit illos omnes adducere in fidem hujus mysterii (n° 49)? Deinde prorsus magnas in Ecclesia procellas excitasset, magna dissidia, etc.; quæ omnia autem nuspiam apparent.

Tertio, in hac hypothesi Ecclesia naufragasset a fide; et ideo jam non amplius fuisset columna et firmamentum veritatis, neque gloriosissima Christi sponsa non habens maculam, neque rugam. Ideoque evanuissent promissa Christi, qui Apostolis dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Quarto, si hoc dogma fuit inventum nono Ecclesiæ sæculo, et quidem in Ecclesia Romana, a quonam igitur illud acceperunt sectæ Nestorianæ, Eutichianæ et aliæ quæ jam a primariis sæculis in hæresim et schisma abierant?

Quonam pacto fit ut Græci schismatici qui acerrime Ecclesiæ Romanæ objurgant usum panis azymi, et additionem vocis *Filioque*, plane sileant et nihil conquerantur de inventione falsi hujus dogmatis, quum tamen res momentosissima sit?

VI. — Demonstratio ex miraculis.

104. I. Duplex genus miraculorum in Eucharistia. Sicut dixit D. Thomas, 3 p. q. 29, a. 1, ad 2, duplex est genus miraculorum : alia fiunt ut *credantur;* alia ut ad credendum juvent et sint *testimonia credibilitatis*. Priora solent esse occulta, quia sunt ad exercendam fidem et ad meritum ejus. Posteriora oportet ut sint publica et nota, ut ad credendum inducant.

Prioris generis sunt transsubstantiatio, permanentia acciden-

tium sine subjecto, præsentia totius Christi sub minima particula. et ejus præsentia simultanea in innumeris locis, etc., de quibus infra. Nunc agitur tantum de miraculis quæ fiunt tanquam testimonia credibilitatis et quæritur an facta sint, vel ex fide præsentiæ realis uti merces pietati charitatique concessa, vel directe in ejusdem veritatis testimonium et confirmationem?

105. II. Existentia certa miraculorum publicorum. Facta fuisse et quidem creberrima perspicuaque miracula, quibus probatur, Christum esse realiter præsentem in Eucharistia, adeo momentosis constat testimoniis, ut si liceret ea in dubium vertere, fere tota corrueret certitudo historiæ. Ideo licet Sacramentarii contra hujusmodi miracula vehementissime refragentur, nihilominus juvat aliqua recensere.

S. Cyprianus, in libro *De Lapsis*, varia refert exempla ultionis divinæ contra eos qui indigne sumpserant Eucharistiam : « Sanctificatum in Domini sanguine potum de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas.... Documento unius ostensum est, recedere Dominum, cum negatur, quia dum quidam indigne accederet, cinerem loco Eucharistiæ invenit. »

S. Optatus, lib. II *Contra Parmen.*, refert, quosdam hæreticos Eucharistiam suis canibus projecisse, canes autem in dominos suos insurrexisse eosque dilaniasse, tanquam vindicantes injuriam corpori Domini factam.

S. Ambrosius, *Oratione de fratre suo Satyro*, et S. Greg. Nazianz. *Oratione de sua sorore Gorgonia*, divina beneficia referunt fide et devotione hujus sacramenti collata.

S. Greg. Magnus, II *Dialog.* 24, refert, S. Benedictum applicuisse corpus Domini cuidam corpori defuncto, quod semel ac iterum ab ipso sepulcro divina permissione fuerat expulsum, ut amplius non expelleretur; quod et factum est; et lib. III, cap. 3, refert, S. Agapitum loquendi facultatem cuidam restituisse, dato illi corpore Domini. Sexcenta hujusmodi legi possunt apud Nicephorum, lib. XIII, *Hist.* cap. 7; Sozomenum, lib. VIII, cap. 5; Guitmundum, *De Sacram. Euchar.* lib. III; Paschasium Ratbertum, *De corpore et sanguine Domini*, cap. 12; apud Baronium, Rohrbacher et alios scriptores ecclesiasticos passim. Notissima sunt miracula quæ S. Bernardus per SS. Eucharistiam operatus est, et quidem in testimonium præsentiæ realis. Omnibus notum

est, causam quæ maxime Urbanum IV moverit ad instituendum festum Corporis Domini, fuisse creberrima miracula quæ tunc omnipotens ac misericors Deus ad comprobandam præsentiam realem edidit. Anno 1263, in oppido Bolsena, non longe ab Herbano, dum confecisset consecrationem sacerdos qui fidem non præstabat præsentiæ reali, SS. hostia post consecrationem stillavit sanguinis guttulas quæ linteamina atque altare resperserunt. Conversus est sacerdos infidelis, Pontifex et purpurati qui tunc Herbani erant, sedulo factum perpenderunt, atque miraculum uti certum habuerunt; unde in ejus memoriam ædificaverunt templum Herbani B. Virgini dedicatum [1].

106. *Dices :* Tyranni atque Ecclesiæ persecutores multoties altaria everterunt, Eucharistiam conculcarunt aut combusserunt; atque tamen Christus nunquam aliquo stupendo signo suam declaravit præsentiam; dum olim Deus in eos qui Arcæ veteris Testamenti injuriosi fuerant, gravissime animadvertit, ut patet I *Regum* 5. Porro a fortiori Christus deberet facere potentiam in bracchio suo, impiosque proterere, si vere, realiter, ac substantialiter esset in Eucharistia. Ergo.

Resp. 1° *Nego secundam majoris partem.* Constat enim, Christum interdum manifestasse virtutem suam contra nefarios et Eucharistiæ contemptores, sicut compertum est ex scriptoribus supra citatis; et notissimum est factum S. Claræ, quæ, mediante Eucharistia, tutavit omnes sui monasterii moniales contra furorem ac libidinem Saracenorum, qui ceciderunt ex altis claustris, atque perterriti et contremiscentes fugerunt. Unde jam tempore S. Augustini, uti ipse refert, I *De Civitate*, 4, factum est, ut aliquando hostes debellatores et victores Christianorum exhibuerint reverentiam eorum templis, ut fuerint asylus omnium ad illa confugientium.

[1] Hisce addenda sunt non minus stupenda miracula quæ apparent in Eucharistiæ effectibus quos infrà explicabimus (cap. 5). Unde S. Chrysost. *Hom.* 33, in I *Cor.* « Etsi sexcenta miracula edant dum dissident inter se, ridiculi cæteris erunt. Quemadmodum etiamsi nullum signum edant, diligunt autem sese verè, suscipiendi invictique omnibus mortalibus permanebunt. Nam et Paulum eam ob rem miramur, magis autem quam ob mortuos suscitatos leprasve mundatas. Stupenda vox est : *Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalisatur et ego non uror?* Sexcenta narra mihi miracula, nullum huic æquiparandum adduces. »

2° *Nego min.* « Licet interdum Deus, justo judicio, vel ad probationem et exercitium fidei suorum servorum, permiserit, vel templa, vel etiam ipsa sacramenta ab infidelibus indigne tractari, non propterea existimandum est, Christum ab hoc divino sacramento abesse, quia, quamvis Sacramentum conculcetur, aut comburatur, ipse impassibilis manet, et ob meritum nostræ fidei non expedit semper uti miraculis et signis ad hostes fidei coercendos, sed permittere potius, ut juxta rerum ac bellorum varietatem res humano modo succedant, eo vel maxime, quod hoc sacramentum et maximum miraculum, quod in eo fit, non est ordinatum ad confirmandam vel persuadendam fidem, sed potius, ut sit materia in qua fides exerceatur. » (Suarez, in 3, *disp.* 46, sect. 5, n° 5.)

VII. — Convenientiæ SS. Eucharistiæ.

107. Sacramentarii et alii hæretici SS. Eucharistiæ osores dicunt, hoc Sacramentum esse nobis inutile et Deo indignum; in hoc æmulantur Paganos, qui mysteria Incarnationis et Redemptionis respuunt, utpote Deo indigna. Ut igitur simul contundatur pervicacia hæreticorum, arceatur calumnia, ac simul animus noster in gaudium erumpat, et uberrimas Deo gratiarum actiones retribuat, operæ pretium est varias SS. Eucharistiæ convenientias aperire.

108. *Primo, ratione Incarnationis.* Eucharistia est veluti Incarnationis complementum, per quam Deus sese communicavit utique omni generi humano, seu humanæ naturæ generatim sumptæ; sed per Eucharistiam Deus se totum communicavit singulis hominibus : et sicut humana Christi natura ineffabili modo in Verbo existit, et Verbum in ipsa, ita qui suscipit hoc sacramentum, singulari etiam modo in Christo manet, et Christus in illo, secundum illud *Joan.* 6, 57 et 58 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Et ita veluti exhaustus manet atque completur omnis modus communicationis Dei creaturæ.

109. *Secundo, ratione harmoniæ et perfectionis mundi.* Omne ens suapte natura, ut perficiatur, propendit : non perficitur nisi in quantum per formam superiorem assumitur eique

conjungitur : sic terra, aqua et alia entia *inorganica* assumuntur a plantis in cibum vel potum, et fiunt viventia ; plantæ assumuntur ab animalibus, et fiunt animatæ ; animantia assumuntur ab homine, et fiunt partes humanæ naturæ. Homo sumit Corpus Christi, et fit concorporeus et consanguineus Christi, quia cibus assumptus est altioris virtutis perfectionisque quam persona assumens ; forma enim perfectior sive assumatur, sive assumat, transmutat in naturam suiipsius formam inferiorem. Si autem careret Eucharistia, homo cibum substantialem, spiritualem ac divinum, suæ corporeæ ac spirituali simul conditioni accommodatum non haberet, atque veluti in summis ordinis supernaturalis gradibus constitutus, Christianus egeret annulo quo perfectissime Deo conjungeretur, eique deesset forma substantialis intime illapsa, qua transformaretur atque elevaretur, qua tamen non carent, unumquodque in suo genere, entia sub ipso constituta. Verbum igitur assumpsit humanitatem seu naturam nostram in Incarnatione, ut eam faceret divinam; deinde hanc naturam factam divinam nobis communicat in Eucharistia, ut misceatur nobis et ita Christo concorporei et consanguinei simus, sicut loquuntur Patres. Juvat audire S. Chrysost. : « Necessarium est, dilectissimi, mysteriorum discere miraculum, quodnam sit, et quare sit datum, et quæ ejus rei utilitas. Unum corpus efficimur : membra, inquit, ex carne ejus, et ex ossibus ejus : sequamur autem initiati, quæ dicuntur. Ut itaque non tantum per charitatem hoc fiamus, verum etiam *ipsa re*, in illam misceamur carnem : hoc namque per escam efficitur quam largitus est nobis volens ostendere desiderium quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis immiscuit et corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus tanquam corpus capiti coaptatum, ardenter enim amantium hoc est.... Volui frater vester fieri, carni propter vos et sanguini communicavi : vobis vicissim ipsam carnem et sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado. » *(Homil. 61 ad pop. Antioch.)* Hæc verba Ecclesia recitat sabb. infra octavam festi Corporis Christi, lect. IV.

Unde concil. Lateranense IV, cap. *Firmiter*, postquam definierit transsubstantiationem, præcipuum Eucharistiæ finem innuit dicens : « Ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo quod accepit ipse de nostro. » Propterea in

ultima Cœna, ita rogat Patrem ipse Dominus, *Joan.* 17 : *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.*

110. *Tertio, ratione attributorum Dei.* In primis, sapientia Dei valde relucet in hoc mysterio, in quo accidentia suo subjecto privantur, sicut in Incarnatione humana natura supposito humano ; et sicut Verbum sub humanitate latuit, ut nos redimeret ; ita Christus sub accidentibus latet, ut nutriat ac reficiat oves suas. Utrinque etiam opprobriis et injuriis afficitur. Unde *Proverb.* 9 : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam.*

Non minus elucet omnipotentia Dei, propter plurima et ingentia miracula, quæ SS. Eucharistiæ cohærent, sive in ejus consecratione, sive in illius permanentia ; de quibus infra agemus. Et hæc miracula multiplicantur toto in orbe terrarum usque ad consummationem sæculi. Unde *Psalm.* 110 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

Liberalitas et misericordia Dei quasi infinite elucent in Eucharistia. Quid enim Christus potuisset præterea melius, perfectius ac sanctius præstare hominibus peccatoribus ? Sed et ipsa justitia apparet in hoc mysterio, nam maxime decuit ut, sicut per cibum homo victus fuerat ac mortalis effectus, ita per cibum ad vitam immortalem restitueretur. Unde sicut de cibo vetito dictum est : *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris ;* ita e contrario de Eucharistia dictum est : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

111. *Quarto, ratione gratiæ sanctificantis.* Christus venit, non tantum ut vitam gratiæ habeamus, sed abundantius habeamus ; unde in Eucharistia nobis præbet, non duntaxat aliqua gratiæ fluenta, sed ipsummet omnis gratiæ fontem, ita ut fidelis exclamare possit in omni veritate : *Vivo, jam non ego ; vivit vero in me Christus.* Et sicut vicit Leo de tribu Juda, ita, juxta effatum S. Chrysostomi, « tanquam leones igitur ignem spirantes a mensa illa recedamus, facti diabolo terribiles. » Ignem spirant fideles pabulo Eucharistiæ refecti, quem Christus venit

mittere in terram, et illam accendere, scilicet ignem charitatis ferventissimæ, sicut jam dicturi sumus.

Insuper viget cælibatus, florescit virginitas in Ecclesia catholica ; sacerdotes Spiritu Dei aguntur, atque fidem latissime diffundunt ; martyres indesinenter Ecclesiam sanguine suo purpurant ; quia ipsa habet vinum germinans virgines, filiosque cibat ac nutrit carne immaculata boni Pastoris, qui animam suam pro ovibus posuit.

112. *Quinto, ratione virtutum theologicarum.* In perdifficili Eucharistiæ mysterio, adeo fides exercetur crescitque, ut per excellentiam, in consecratione calicis, dicatur *mysterium fidei.* Sane multa complectitur, et quidem magna miracula; iterum atque iterum ubique, veluti ordinaria lege, conficitur, et quotidie sensibus ipsi aliquo modo reluctantibus objicitur ; demum conficitur immediate, non tantum a Deo sicut mysterium Incarnationis, sed etiam ab ipso homine, cui Dominus potestatem consecrandi corpus suum dedit. Unde D. Thomas, 3 p. q. 75, a. 1 : « Hoc competit perfectioni fidei, quæ sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illud *Joan.* 14 : *Creditis in Deum, et in me credite.* Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. »

Spes multum augetur fruitione Eucharistiæ, quum per eam fidelis potiatur non tantum pignore futuræ gratiæ, sed ipsomet gratiarum omnium et virtutum auctore ad hostes debellandos, carnemque coercendam, etc., etc.

Charitas maxime augetur, quia nihil magis ad amandum excitat, quam amoris significatio. Porro in Eucharistia Christus quasi effudit divitias divini sui amoris, adeo quod nihil præterea facere valeat suæ dilectissimæ vineæ, ut ipse loquitur per os Isaiæ, et enarrat S. *Joan.* 13 : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* scilicet consummavit hanc dilectionem atque ultimos amoris limites præterivit. Recollige comparationes quas instituunt Patres, ut aliquatenus intelligamus quanta sit erga nos magnitudo, longitudo et profunditas amoris Jesu Christi in Eucharistia (78). Unde eo ipso multum augetur charitas erga proximum, quæ in suo principio non differt a dilectione Dei. Propterea, ut significaretur perfectissima unitas quam charitas ex Eucharistia irradians fovet ac consummat inter

membra Christi ad invicem, Sacramentum conficitur ex pane et vino, quia unus panis ex multis granis, et unum vinum ex multis racemis consurgit. Ita S. August., *Tract.* 26 *in Joan.* et alii Ecclesiæ Doctores.

113. *Sexto, ratione virtutum moralium.* In hoc mysterio maxime relucent virtutes morales, quarum exemplari et exemplo simul tam indigent fideles, nempe *humilitas* et *patientia.* Per incarnationem Verbum accepit formam servi et occultavit divinitatem : in Eucharistia recipit quasi formam panis et vini, et occultat ipsam humanitatem. Vi incarnationis, factus est obediens usque ad mortem, mortem Crucis, sed semel ad exhaurienda peccata : in Eucharistia, obedit indesinenter usque ad consummationem sæculi in toto orbe terrarum, etiam impiis et sacrilegis qui eum contumeliis afficiunt *conculcantque Filium hominis et pollutum ducunt sanguinem Testamenti.* Vide D. Thomam, *Opusc.* 73, cap. 2, part. 3.

114. *Septimo, ex dignitate religionis.* Præsentia Christi maxime extollitur et commendatur Christiana religio. *Nulla enim natio est quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis* (*Deut.* 4, 7). Et appropinquat verus Deus non fulgure, majestate et potestate, sicut olim in monte Sina, sed suavissima mansuetudine et benignitate. Deinde mysterium præsentiæ realis præbet Ecclesiæ sacrificium Missæ, quo maxime exercetur religio atque Deo persolvitur cultus debitus, uti latius aperiemus in secunda parte hujus tractatus.

115. *Octavo, ex perfectione novi Testamenti.* Præter regenerationis sacramentum, vel decuit ut esset in Ecclesia Christi sacramentum ad refectionem divinam fidelium ; nam ut optime arguit S. Joan. Damasc. IV *De Fide*, 14, si incorporei essemus, incorporalia dona nobis sufficerent ; tamen, quia anima corpori conjuncta est, oportuit, ut sensibili modo nutriremur : « Unicuique fidelium Christus semetipsum per mysteria commiscet, et quos genuit, per semetipsum enutrit, nec alteri tradit. » S. Chrysost. *Hom. 60 ad pop. Antioch.* « Est autem hæc differentia inter generationem et nutritionem quod in generatione non est necesse, generantem substantialiter conjungi genito, sed tantum virtute. At vero in nutritione, necesse est, cibum intime, realiter et corporaliter conjungi viventi ; et ideo licet Christus sit, qui per Baptismum principaliter nos generat, non oportuit ipsum realiter

adesse præsentem Baptismo ; at vero in hoc sacramento, quod per modum nutrimenti datur, oportuit, ipsum adesse, ac realiter nobis conjungi, et intra nos sumi, tanquam perfectissimum animarum cibum. » (Suarez, in 3, q. 75, a. 1. Disp. 46, sect. 7, n. 16. Vide IV. *Cont. Gent.* 61.) Et ita patet cur S. Apostolus, qui adeo magna fervebat charitate erga proximum ut optaverit esse anathema pro salute fratrum suorum (*Rom.* 7, 3), attamen non dubitet exclamare : *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema* (I *Cor.*, 16, 22). Inde collucet quantam ex hoc sacramento Ecclesia militans metat dignitatem, quantaque gloria superfundatur. In primis patet « quanta sit Evangelicæ legis perfectio, cui datum est id re ipsa habere, quod signis tantum et figuris Mosaicæ legis tempore adumbratum fuerat. Quare divinitus dictum est a Dionysio (*De Eccles. hierarchia*, cap. 5), Ecclesiam nostram mediam esse inter Synagogam et supremam Jerusalem, ac propterea utriusque participem. Ac profecto satis mirari fideles nunquam poterunt Sanctæ Ecclesiæ perfectionem, ejusque gloriæ altitudinem, quum inter eam et cœlestem beatitudinem unus tantum gradus interesse videatur. Hoc nobis cum cœlestibus commune est, ut utrique Christum Deum et hominem præsentem habeamus ; sed quo uno gradu ab iis distamus, illi præsentes beata visione perfruuntur, nos præsentem et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum mysteriorum admirabili integumento se occultantem, firma et constanti fide veneramur. » (*Catechism. Rom.*, 2 p. cap. 4, n° 32.)

Illas omnes rationes nervose et pereleganter tradit Ecclesia in lectionibus secundi nocturni officii SS. Corporis Domini.

N. B. Difficultates rationis quas movent Sacramentarii, petuntur omnes ex hoc triplici capite, scilicet quod repugnet, accidentia remanere sine suo subjecto, Christum non posse esse simul in pluribus locis quatenus hominem, nec posse existere in exiguo loco, quin illum commensuret per quantitatem localem. Sed illas solvemus in duplici articulo sequenti.

ARTICULUS II

DE MODO QUO CHRISTUS FIT PRÆSENS IN EUCHARISTIA SEU DE TRANSSUBSTANTIATIONE

In triplici paragrapho dicemus de existentia transsubstantia-

tionis, de illius natura, et de panis vinique accidentibus, quæ sunt veluti consectaria transsubstantiationis.

PARAGRAPHUS I

DE TRANSSUBSTANTIATIONIS EXISTENTIA

116. I. Exponitur hæresis impanatorum. Berengarius, postquam confessus fuerit præsentiam realem, atque sic primam hæresim abjuraverit, in aliam incidit, dicens, substantiam panis et vini remanere post consecrationem, et Christo conjungi eodem fere modo quo Verbum se humanitati conjunxerit. Propterea hæc unio jure dicitur *impanatio*, sicut hæc vocatur *incarnatio*. Unde panis est corpus Christi, non carneum, sed panaceum.

Quidam Berengarii discipuli hunc errorem professi sunt, sed maxime Joannes Hus, Wiclefus et Oziander. Bellarminus, III *De Sacramento Eucharistiæ*, 11, hunc errorem tribuit etiam Ruperto Tuitiensi abbati, a quo tamen illum non pauci, inter quos Gerberon, Granado, Suarez (vide disp. 49, sect. 2) immunem fuisse sentiunt. Aliqui tamen ex illis non usque adeo progressi sunt, ut dixerint, Christum et panem uniri hypostatice, sed tantum per intimam conjunctionem et penetrationem; unde panis retinet suum suppositum, et sicut ferrum ignitum solet vocari ignis, ita panis dicitur corpus Christi. Et hoc satis est, inquiunt, ad veritatem verborum Christi : *Hoc est corpus meum;* neque sine necessitate adducenda sunt miracula, præsertim maxima, uti essent in transsubstantiatione. (Vide Bossuet, *Histoire des Variations*, lib. 2.)

117. II. Exponitur hæresis consubstantiatorum. Alii Berengarii discipuli nec accidentalem, neque hypostaticam professi sunt unionem inter panem et corpus Christi, sed tantum coexistentiam utrorumque : Christus fit quidem realiter præsens in Eucharistia vi verborum consecrationis, sed remanente coexistenteque substantia panis et vini. Propterea illorum hæresis nuncupata fuit *consubstantiatio*. Illam jam pene extinctam e favillis suscitavit atque propugnavit Lutherus in opere *De captivitate Babylonis*, atque sub variis formis invexerunt ejus discipuli atque Anglicani : docent, vi consecrationis, corpus Christi fieri præsens, alii, *cum* pane, alii, *sub* pane, alii, *in* pane. Hi omnes cum Calvinistis valde abhorrent transsubstantiationem,

illamque appellant dogma novum præ se ferens nomen barbarum et portentosum, ab Innocentio III inventum, et in concilio Lateranensi IV propalatum.

Lutherus, *De captivitate Babylonis*, cap. 1, affirmat transsubstantiationem fuisse inventam a S. Thoma, et postea approbatam ab Innocentio III, in concilio Later. IV, cap. *Firmiter*. Sed S. Thomas nondum natus erat anno 1215, quando celebratum est illud concilium; inde patet quantum turpiter Lutherus, abreptus cupidine et obcæcatus superbia, in historia, sicut in sacra doctrina, erraverit.

118. III. Necessitas nominis transsubstantiationis. Conversio quæ fit vi consecrationis panis et vini, est omnino *sui generis*, ut aiunt; non enim tantum forma, vel materia transmutatur, sed utraque simul, remanentibus solum accidentibus. Quocirca, erroribus circa hujus conversionis naturam grassantibus, necesse fuit fingere peculiare nomen soli huic conversioni ita competens, ut non possit cum cæteris confundi. Patres enim usi fuerunt variis ad hoc mysterium significandum nominibus, quæ sunt vel generica; uti nomina *conversionis*, *mutationis*, *transitus* et *migrationis*: vel magis accommodata accidentariæ mutationi; uti nomen *transfigurationis*. Nomen *transelementationis*, quo usus est Theophylactus, magis accedit ad proprietatem mysterii significandam, quia mutationem elementorum materiæque primæ significat; attamen illa vox paulo durior videtur, neque satis accommodatur rei; nam significare potest conversionem unius elementi in aliud, vel resolutionem mixti in elementa; unde transsubstantiatio proprie significat conversionem totius substantiæ in totam aliam substantiam. Sicut ergo olim, ad excludendam omnem æquivocationem et præcludendum omne effugium hæresibus, inventum atque insertum est in Symbolo nomen *consubstantialis* contra Arianos, et nomen *Deiparæ* contra Nestorianos Ephesinum concilium procudit, et ipse Evangelista mutationem Christi in externo splendore et specie Transfigurationem vocavit; sic Ecclesia, semper ab eodem Spiritu Sancto illustrata ductaque, conversionem panis et vini in Eucharistia merito appellat transsubstantiationem.

PROPOSITIO

Christus est substantialiter præsens in Eucharistia per transsubstantiationem.

119. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6, 52 : *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Panis de quo ibi loquitur Christus, est panis Eucharisticus, sicut supra ostensum fuit (42 et seq.) Porro hic panis est ejus caro. Ergo non est corpus panaceum, neque substantia panis farinacei, sed corpus carneum. Aliunde, ex more Scripturarum, vox caro semper significat vel totum hominem, vel ejus corpus carneum ; ideo caro quam ibi Christus dicit se daturum, est corpus quod assumpsit de Maria Virgine.

120. *Matth.* 26, *Marc.* 14, *Luc.* 22 : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* — *Marc.* 14 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Unde sic : hæc verba significant vel transsubstantiationem, vel impanationem, vel consubstantiationem. Atqui duo ultima dici nequeunt. Ergo.

Prob. m^{oris} *prima pars. Primo, ex consecratione panis.* Corpus de quo loquitur Christus, est corpus quod dedit pro redemptione hominum. Porro in passione sua Christus, non panaceum, sed carneum tradidit. Ergo.

Secundo, ex consecratione calicis. Licet vinum esset hypostatice unitum Verbo, non potest dici sanguis Christi propter solam unionem, sicut caput Christi non potest dici pes vel manus ejus, licet hæc omnia sint immediate ac hypostatice unita Verbo : atqui tamen Christus, præbendo calicem Apostolis, dixit : *Hic est sanguis meus.*

Tertio, ex absurdis. Plane inauditum est, imo absurdum atque Scripturis oppositum dicere, Verbum impanari sicut incarnari. Deinde non solum una vice impanatum fuisset, sed quotidie in sexcentis locis indesinenter assumeret et derelinqueret naturam panis et vini. Porro hæc omnia, ut patet, ridicula sunt, Scripturis vim inferunt et Patribus, qui unanimi ore nobis tradiderunt hoc fundamentale principium in mysterio Incartionis : *Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit.* Ergo.

Prob. m^{oris} *secunda pars. Primo, ex verbis Christi.* Dominus dixit consecrando panem : *Hoc est corpus meum, quod pro*

vobis tradetur, et consecrando calicem : *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur.* Porro in passione traditum fuit corpus Christi carneum, non vero panis ; et effusus est sanguis ejus, non vero vinum. Ergo, etc.

Secundo, ex vi propositionis affirmantis. Ratio ac vis propositionis affirmantis est pronuntiare identitatem, saltem formalem, prædicati ac subjecti, alioquin falsa esset prædicatio (*Logica.* n. 12) ; ideo, ut vera sit hæc propositio a Christo prolata : *Hoc est corpus meum*, requiritur aliqua identitas inter id quod significat pronomen *hoc*, et corpus Christi. Porro coexistentia, licet realis ac substantialis sit, imo ipsamet unio physica non satis est, ut unum de alio per modum prædicati affirmetur ; v. g. anima Christi in triduo mortis non potuisset, ostendendo sepulcrum, dicere vere ac proprie : *Hoc est corpus meum ;* neque dici potest : *Anima est corpus*, vel *corpus est anima.* Ergo.

Hujus argumenti aciem bene expertus est Lutherus, unde in lib. *De Captivitate Babyl.*, dicit, non oportere Aristotelem judicem facere rerum sublimium. At non adducitur Aristoteles, verum sermo Christi, qui prorsus recte ac clare loquebatur, dum esset simul instituens sacramentum et condens suum testamentum, atque cum amicis concionaretur in familiari colloquio (n. 58 et 59). Ideo non indigemus in præsenti Aristotelis auctoritate, sed tantum sensu communi.

Tertio, ex eversione fundamentorum alienæ sententiæ. Adversarii dicunt, æque posse dici : *Panis est corpus Christi*, sicut dicitur de Christo : *Hic homo est Deus*, et : *Hic Deus est homo ;* etenim nec homo convertitur in Deum, neque Deus in hominem. Deinde sicut panis dicitur transsubstantiari, et pariter poterit dici transaccidentari, alioqui diceremus jure : *Hoc album vel hoc rotundum est corpus Christi.* Sed hæc duplex ratio facile enervatur. Nam in primis negatur paritas : in Christo persona Verbi terminat humanitatem, et ideo vox *homo* in exemplo allato concrescit veluti duplici elemento, scilicet humanitate et persona Verbi. Unde inter prædicatum et subjectum invenitur identitas suppositi ; quod neutiquam accidit inter panem et corpus Christi. (Recollige quæ diximus de communicatione idiomatum in tractatu *De Incarnatione.*) Non potest autem dici : *Hoc album vel rotundum est corpus Christi*, quia non accidentia, sed tantum substantia panis convertitur in corpus Christi. Unde

pronomen *hoc*, uti infra aperiemus, non supponit pro accidente, sed pro substantia.

Quare Calvinus ita Lutheranos arcet : « De Papistis non loquor, quorum tolerabilior, vel saltem magis verecunda est doctrina.... Si opinio ex duabus eligenda esset, mallem nos præsentiam Christi sub speciebus et accidentibus credere, quam cum Zuinglianis veram et realem præsentiam, contra tam aperta Christi verba, negare. »

121. 2° *SS. Patribus.* S. Irenæus, IV *Adversus hæreses*, 34 : « Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui, etc. »

Tertull. IV *Contra Marcionem* : « Acceptum panem corpus suum facit, dicendo : *Hoc est corpus meum.* »

S. Cyprian. Serm. *De Cœna Domini :* « Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro. »

S. Ambros. *De initiandis*, cap. 9 : « Quantis utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura mutatur... Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum.... et qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? » Et, IV *De Sacramentis*, 4 : « Panis iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. »

S. Greg. Niss. *Oratione catechetica*, cap. 37 : « Recte Dei Verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari... Hæc autem tribuit virtute benedictionis in illud, rerum quæ videntur naturam mutans. »

S. Chrysost. *Hom. 83 in Matthæum :* « Non sunt humanæ virtutis opera proposita. Nos ministrorum locum tenemus : qui vero sanctificat ea et immutat, ipse (Christus) est. » Et hæc testimonia satis sunt; nam ex illis patet quam falso asserant Protestantes et Sacramentarii, nobis adversari Patres primorum sæculorum. Unde ipse Leibnitzius, *Systema theologicum :* « Pia antiquitas aperte satis declaravit, panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem; passimque hic veteres agnoscunt *metastoi keiôsin*, quam Latini transsubstantiationem recte ver-

terunt, et definitum est, totam substantiam panis et vini transire in totam substantiam corporis et sanguinis Christi; et quemadmodum igitur alias, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex traditione quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit. »

122. 3° *Conciliis.* In concil. Romano sub S. Gregorio VII, ita compulsus est suum errorem de transsubstantiatione retractare Berengarius : « Ego Berengarius cordè credo et ore profiteor, panem et vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram ac propriam et vivificam carnem et sanguinem Jesu Christi Domini. » Ergo nihil novi decrevit conc. Lateranense IV, cap. *Firmiter,* cujus verba retulimus supra (93).

Florentinum (1439), in *Decreto :* « Ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur *:* ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. »

Kemnitius, Petrus Martyr et alii pseudoreformatores contendunt Græcos, in concilio Florentino, noluisse dogmati transsubstantiationis assentire; sed hæc assertio est mendacium putidissimum, ut patet Concilii historia. Inter Latinos et Græcos neutiquam mota est quæstio de ipsamet transsubstantiatione, sed tantum de verbis quibus fit. Latini tenentes, eam fieri solis Christi verbis, Græci autem æstimantes, eam fieri insuper precibus ab Ecclesia confectis atque verba Christi comitantibus. Et hoc constat, non solum scriptis Bessarionis, sed etiam confessione Marci Ephesini, et aliorum qui in schisma iterum prolapsi sunt. (Vide Bellarm., III *De Sacram. Eucharist.* 21.) Unde in censura confessionis Augustanæ, art. 10, Patriarcha Constantinopolitanus ita habet : « Multa in hac parte de vobis (Lutheranis confessionistis) referuntur, quæ nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ sanctæ igitur illud judicium est : In sacra Cœna, post consecrationem et benedictionem, panem in illud ipsum corpus Jesu Christi, vinum autem in illum sanguinem virtute Spiritus Sancti transire ac immutari. »

Trident., sess. 13, cap. 4 : « Quoniam autem Christus Redemptor noster, corpus suum id quod sub specie panis offerebat,

vere esse dixit : ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus : quæ conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata. » Et his verbis patet quam immerito Scotus contenderit, non posse probari transsubstantiationem ex verbis consecrationis : *Hoc est corpus meum.*

Can. 2 : « Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento, remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini ; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat : anathema sit.

123. 4° *Liturgiis.* In omnibus liturgiis dogma transsubstantiationis perspicuissime exprimitur : in liturgia S. Basilii legitur : « Transfer eos, ita ut panis quidem hic fiat corpus tuum sanctum, et hoc mixtum in hoc calice sanguis tuus pretiosus. » In liturgia S. Gregorii : « Tu Domine, voce tua commuta hæc, quæ sunt proposita.... Mitte super nos gratiam Spiritus Sancti, qui sanctificet et transferat hæc dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostræ, et hunc quidem panem facias corpus tuum sanctum, etc. » Vide Bona. I *Rerum liturgicarum,* 8 et seq, ; Le Brun, *Explication de la Messe,* dissert. 12 ; Renaudotium, *Liturgiarum Orientalium collectio ;* Muratorium, *Liturgia Romana vetus*, etc., etc. Hi auctores proferunt ex omnibus liturgiis decerpta, in quibus petitur a Deo, ut *convertat, transferat, transmutet* panem in corpus, et vinum in sanguinem Christi. Et effusis his precibus, omnes verba Domini ad consecrationem faciendam, recitant [1]. Atqui liturgiæ sunt perspicuum ac

[1] In liturgia S. Jacobi : « Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur et datur in remissionem peccatorum. Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum. » Eadem est consecratio in liturgia S. Marci, addita tamen particula *enim* post *hoc et hic.*

In liturgia Æthiopum : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in

vivum dogmatis divini monumentum, uti declaratum est in tractatu *de prolegomenis*, juxta illud vulgatum : *Modus supplicandi, lex credendi.* Liturgiæ enim, quoad substantiam, ab Apostolis originem ducunt, atque non solum Doctorum, sed etiam totius populi fidelis universæque Ecclesiæ fidem exprimunt. Ergo, etc. Argumentum ex liturgiis depromptum adeo evidens est, ut illud tanquam inconcussum habuerint non pauci ex Protestantibus, nempe Clarke, Warke, Bull, Grotius, etc. ; hic, in *Vota pro pace contra Rivetum,* ita habet : « Consensus liturgiarum per omnia loca et tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum Sanctum sanctificet, eaque faciat corpus et sanguinem Christi, me dubitare non sinit, venire hoc a prima Apostolorum institutione. »

5° *Præscriptione.* Huc redeunt fere eædem rationes quas supra adduximus pro reali præsentia (101 et 102). Imo peculiaris vis gradum altiorem obtinent, quum adversarii dicant, dogma transsubstantiationis fuisse inventum ab Innocentio III, atque propalatum in concilio Lateranensi IV : eo enim tempore Græci schisma suum consummaverant; quomodo igitur Pontifex potuerit eos adducere, ut novum errorem amplexati sint omnes, atque illi constanter adhæserint usque hodie, licet infensissimi sint Ecclesiæ Romanæ? Recollige etiam super dicta, ubi de Patrum, Conciliorum et Liturgiarum testimoniis (120 et seq.)

124. 6° *Ratione. Primo, ex præsentia reali.* « Quidam posuerunt, post consecrationem, substantiam panis et vini in hoc sacramento remanere. Sed hæc positio stare non potest.... quia per hanc positionem tollitur veritas hujus sacramenti, ad quam pertinet, ut verum corpus Christi in hoc sacramento existat, quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum, sicut in domo aliqua de novo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur. Manifestum est autem, quod corpus Christi

remissionem peccatorum. Amen. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, et pro redemptione multorum. Amen. »

In liturgia Mozarabum : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » (Vide MARTENE, I *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* cap. 4, a. 8, n. 19.)

non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo quidem, quia sequeretur quod desineret esse in cœlo; non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media; quod hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est, quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat. Et ideo relinquitur, quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum. Quod autem convertitur in aliquid, facta conversione, non manet. » Deinde certum est, Christum nullam pati immutationem, dum fit atque permanet præsens in Eucharistia, sicut ipsum Verbum nullam mutationem expertum est in Incarnatione; sed tota mutatio sese habuit ex parte naturæ humanæ. Ergo similiter in Eucharistia tota mutatio repetenda est ex parte panis et vini; quæcumque enim alia fingatur via, Christus necessario aliquam mutationem experitur [1]. (Vide etiam IV *Cont. Gent.* 64, et in IV, dis. 11, quæst. 1, quæstiunc. 1.)

[1] Suarez, in commentario super hunc locum D. Thomæ, dicit, hanc rationem non penitus convincere, quia non repugnat absolute, ut corpus Christi fiat præsens in Eucharistia per actionem creativam et conservativam; ac proinde datur tertia hypothesis, quam D. Thomas non perpendit. Sed in primis non erat locus adducendi hanc tertiam hypothesim, quia in confectione Eucharistiæ adhibetur a Deo sacerdos tanquam causa instrumentalis. Porro causa instrumentalis non potest adhiberi in creatione, neque in conservatione (Vide *Theol. natur.*, 3 p., cap. 1, a. 7.) Deinde actio creatrix producit aliquid positivi, et quum producat ex nihilo, omnino necesse est, ut aliquid novi ponat in existentia. Ideo etsi creari possit iterum ens jam actu existens, non potest tamen iterum creari, quin multiplicetur numerice; nam dum servatur, si non multiplicetur numericæ, jam nihil novi ponitur in existentia. Atqui Christus non multiplicatur numerice in Eucharistia, sed in omnibus hostiis ubique terrarum idem numerice est, sicut etiam idem numerice est in cœlo et in Eucharistia. Neque satis est dicere, tunc produci novum existendi modum; nam modus non potest esse directe terminus actionis creatricis, sed ex consequenti tantum, quia *modus essendi sequitur esse*, et proprium creationis objectum est substantia, non vero modus, qui potest quidem *concreari*, non autem *creari* simpliciter.

Sylvius et alii dicunt, S. Thomam ibi loqui de potentia Dei ordinaria, quia absolute posset Deus corpus Christi constituere alia via, scilicet per actionem similem creationi, vel per mutationem quasi localem. quin Christus transeat

125. *Secundo, ex cultu Eucharistiæ.* Adoratur Eucharistia cultu latriæ, ideo, si remaneret substantia panis, esset ingens periculum idololatriæ in illo cultu, quia fideles simpliciter adorant Eucharistiam, et neutiquam pares essent ad distinguendum panem a corpore Christi.

126. *Tertio, ex dignitate Eucharistiæ.* Dedecet Eucharistiæ dignitatem, ut cum illa remaneat cibus ventris atque eadem actione sumatur terrestris cum cœlesti pane.

127. *Quarto, ex lege jejunii.* Lex ecclesiastica, quam S. Augustinus, *Epist.* 118, cap. 6, dicit latam ab Apostolis, prohibet ne Eucharistia sumatur, nisi a jejunis; in die autem Natalis Domini, et in quibusdam adjunctis, licet sacerdoti plures mis-

de loco in locum, sicut angelus potest de extremo in extremum transire locum, quin transeat per media. Sed ne quidem ullum est verbum, quo D. Thomas significare videatur, se non loqui absolute; econtra in IV, aperte docet, oppositum implicare contradictionem, sicut quod animal rationale non sit homo. Deinde si non poneret quæstionem etiam de extraordinaria potentia, non efficaciter argueret contra hæreticos, qui facile recurrerent ad potentiam Dei extraordinariam, maxime in tanto mysterio.

Quoad actionem similem creationi, quæ tamen non sit creatio, dicant adversarii in quo consistat; prorsus non est conversio, neque eductio; quid igitur sit hæc actio? Non satis est, ad arcendam aliquam sententiam, in medium proferre vocabulum quod nullam habeat significationem determinatam. Transsubstantiatio ipsa assimilatur, quantum ad aliquid, creationi, sicut dicitur infra (150); in quonam igitur hæc actio, quæ nullum peculiare nomen potest accipere, magis assimilabitur creationi? Quoad exemplum angeli, esto quod de loco in locum transmeet, quin tamen per media transeat, non ideo jure infertur, corpus, etiam gloriosum, id quoque sibi vindicare. Præsentia enim localis et circumscriptiva corporis sumitur a quantitate, cujus est effectus formalis; ideo, nisi multiplicetur quantitas, non potest multiplicari præsentia localis. Sed quantitas corporis non potest multiplicari, quin et corpus multiplicetur numerice; nam unitas numerica corporis etiam a quantitate formaliter dimanat. (Vide *Catechismum Rom.*, 2 p., cap. 4, n. 37.) Angelus autem non habet quantitatem; unde non est simile. Hoc tamen non obstat quominus idem corpus sit simul in pluribus locis sacramentaliter, quia, ut sic, non est circumscriptive in loco. Et hos modos existendi corporis Christi plane diversos plane distinguit Tridentinum, sess. 13, cap. 1: « Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus aliis locis *sacramentaliter* præsens sua substantia nobis adsit. » Præsentia enim sacramentalis, non a quantitate, sed a conversione substantiæ panis et vini sumitur; quæ quidem conversio non tribuit Christo unitatem numericam; unde multiplicari potest absque limite.

sas celebrare. Porro, si remaneret substantia panis et vini, nemini liceret eadem die pluries Missam celebrare et communicare. Ergo.

Nota. Transsubstantiatio est omnino *sui generis;* attamen adumbratur, tum in supernaturali, tum in naturali ordine. In supernaturali quidem, nam in conversione spirituali peccator intrinsecus transformatur ac renovatur per gratiam et charismata, quæ operatur Spiritus Sanctus; et tamen extrinsecus, id est, quoad speciem visibilem, prorsus idem remanet. In ordine autem naturali videmus ova sub ave aut gallina, vi caloris naturalis, transmutari intrinsecus in carnem, imo in aviculam vivam; et testa, quæ est quasi species exterior ovi, remanet eadem. Sicut ergo in hac re columba operatur per naturam, sic in sacramento altaris Spiritus Sanctus, Columba cœlestis, per suam omnipotentem virtutem. Si ergo tanta virtus est caloris naturalis ut ovorum vitellum in substantiam avium, id est, in carnem, ossa et pennas convertat, manente testa exterius, quanto magis virtus Spiritus Sancti substantiam panis et vini, remanentibus tantum speciebus, pollebit convertere in corpus et sanguinem Christi. (Vide D. Thom., opusc. 48, alias 51, *De Sacramento altaris*, cap. 12.)

COROLLARIA

128. Hinc 1°, post concilium Tridentinum, non solum falsa, sed etiam hæretica est sententia Durandi et quorumdam aliorum, qui, ut facilius panis et vini transmutationem explicarent, dixerunt, utriusque formam tantum converti in corpus et sanguinem Christi, sicut fit in conversione cibi naturalis in corpus humanum, atque manere materiam ut commune subjectum, quod informatur per animam Christi. Concilium enim expresse docet, per transsubstantiationem fieri conversionem *totius substantiæ panis et vini, remanentibus tantum speciebus.*

129. 2° « Si quis confiteatur præsentiam corporis et absentiam panis, neget tamen veram conversionem unius in aliud, in hæresim lapsus est, quia Ecclesia Catholica, non solum duo priora, sed etiam hoc tertium definit et docet... Si quis tamen confitendo rem totam, vocem *transsubstantiationis* abjiceret ut ineptam et barbaram, in re ipsa non existimo esse hæreticum, quia usus vocis per se non pertinet ad objectum fidei; esset

tamen valde temerarius, scandalosus, ac pias aures offenderet, ac denique in externo foro habendus esset vehementer de hæresi suspectus. » (SUAREZ, in 3, q. 75, a. 8 : disp. 50, sect. 1, n. 5.)

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

130. *Obj.* 1° « Inter Ecclesiæ sacramenta debet esse conformitas. Sed in aliis sacramentis, substantia materiæ manet, sicut in Baptismo substantia aquæ, et in Confirmatione substantia chrismatis. Ergo et in hoc sacramento est substantia panis et vini. »

Resp. Dist. maj. Valde generica, *concedo;* conformitas specifica, *nego.* Septem enim novæ Legis sacramenta specifice ab invicem discriminantur; maxime a cæteris differt Eucharistiæ sacramentum, in quo est substantialiter Christus. Ideo neutiquam institui potest argumentatio *a pari.*

131. *Obj.* 2° Panis et vinum assumuntur in hoc sacramento, inquantum significant ecclesiasticam unitatem, prout unus panis fit ex multis granis, et unum vinum ex multis racemis, ut August. dicit in lib. *De Symbolo.* Sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis et vini. Ergo substantia panis et vini remanet in hoc sacramento.

Resp. 1° *Dist. maj.* Ita assumuntur, secundario, *concedo;* primario, *nego.* Hæc enim significatio est remota atque secundaria in natura hujus sacramenti.

2° *Dist. min.* Hoc requirit præexistentiam substantiæ ex qua sacramentum conficiatur, *concedo;* permanentiam et coexistentiam substantiæ, *nego.* « Species quæ remanent in hoc sacramento sufficiunt ad significationem hujus sacramenti : nam per accidentia cognoscitur ratio substantiæ. »

132. *Obj.* 3° S. Damascenus, IV *De Fide orthodoxa*, 14, dicit : « Quia consuetudo est hominibus comedere panem et vinum bibere, conjugavit eis Deus divinitatem et fecit ea corpus et sanguinem suum; et ita panis communicationis non panis simplex est, sed unitus divinitati. » Atqui conjugatio est rerum actu existentium. Ergo panis et vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore et sanguine Christi.

Resp. Dist. maj. Conjugavit transmutando ea, *concedo ;* secus, *nego :* « Deus conjugavit divinitatem suam, id est, divinam vir-

tutem, pani et vino, non ut remaneant in hoc sacramento, sed ut faciat inde corpus et sanguinem suum. » (3 p. q. 75, a. 2.)

133. *Obj.* 4° Gelasius Papa, in libro *De duabus naturis*, dicit : « Sacramentum corporis et sanguinis Christi divinum est, et tamen non desinit esse substantia panis. » S. Chrysost., in epistola ad Cæsarium monachum, dicit, « post consecrationem liberari panem ab appellatione panis, et dignum fieri appellatione Dominici corporis, etiamsi natura panis in ipso permaneat. » Item Theodoretus in Dialogo secundo, ait : « Signa mystica, post sanctificationem, a natura propria non recedunt : manent siquidem in priori substantia, figura, forma, etc. » Ergo in Eucharistiæ sacramento remanet substantia panis et vini.

Resp. 1° *Negari* potest anteced. Nam Melchior Canus, Bellarminus, Baronius, Suarez, Sirmundus, Petavius et alii contendunt, Papam falso citari, librumque *De duabus naturis* esse fœtum Gelasii Cæsariensis, scriptoris græci, cujus meminit S. Hieronymus in lib. *De Scriptoribus ecclesiasticis*. Sane in hoc libro laudatur Eusebius Cæsariensis, cujus tamen fere omnes libros damnavit Gelasius Papa. Deinde in hoc libro nulla fit mentio concilii Chalcedonensis : at, si Gelasius Papa scripsisset illum, non prætermisisset auctoritatem hujus concilii et S. Leonis, a quibus hæresis Eutychetis damnata est.

Similiter epistolam ad Cæsarium monachum non esse S. Chrysostomi, demonstrarunt Turianus, Harduinus, Montfauconius, Stiltingus, etc. Nedum hunc errorem tenuerit S. Chrysostomus, adeo mirifice de SS. Eucharistiæ sacramento atque transsubstantiatione elocutus est, ut jure appellatus sit *Doctor Eucharistiæ*, sicut S. Augustinus, *Doctor gratiæ*. (Vide Cornelium a Lapide, in I *Cor.* 11.)

Theodoretum in hac re, ipsimet Centuratores Magdeburgenses fatentur sibi adversari, atque periculose legi, præcise quia in multis aliis locis apertissime transsubstantiationem docet. Unde locus citatus vel non est ejus, vel aliter intelligendus est, sicut jam dicturi sumus.

2° *Dist. anteced.* Sic locuti sunt prædicti patres ad mentem Catholicorum, *concedo;* ad mentem Protestantium, *nego*. Ætate illorum patrum, significatio vocum *naturæ* et *substantiæ* non erat tam arctata, sicut postea tempore Scholasticorum; atque interdum significabant res naturales et omnia quæ sub sensu

cadunt, non vero tantum id quod dat *esse* substantiale et opponitur accidenti. Et hunc esse illorum sensum, patet ex sexcentis aliis locis, in quibus aperte transsubstantiationem docent. Quia enim accidentia, post consecrationem, retinent suas proprietates naturales, Patres eo sensu dixerunt, naturam vel substantiam panis et vini remanere.

Unde ipse protestans Leibnitzius ita habet in *Systemate theologico :* « Sæpe superstitibus speciebus nomen panis et vini attributum est, cum sensu non distinguantur ; sic Ambrosius dixit, ita efficacem esse sermonem Domini, ut sint quæ erant, et in aliud convertantur ; scilicet accidentia sunt quæ erant, substantia conversa est ; nam idem ait, post consecrationem, nihil aliud quam carnem et sanguinem credendum esse. Et Gelasius, pontifex Romanus, innuit, panem transire in corpus Christi, manente natura panis, hoc est, qualitatibus ejus sive accidentibus ; neque enim tunc ad metaphysicas notiones formulæ exigebantur. Quo sensu et Theodoretus dixit, in hac conversione (quam ipse *metabolèn* vocat) mystica symbola propria natura non exui. »

134. *Obj.* 5° Patres sæpe Eucharistiam assimilant Incarnationi, in qua divina et humana naturæ sunt quidem conjunctæ, sed utraque remanente distincta et integra. Ergo in Eucharistia remanet substantia panis et vini cum corpore et sanguine Christi.

Resp. Nego conseq. Assimilatio quam faciunt Patres, non est quoad omnia, neque ejusdem rationis ; docent enim, Christum non esse materialem panem, quo corpus reficitur, sed cœlestem ac divinum animas reficientem. Tenet igitur illa similitudo solum in hoc quod, sicut in Christo sunt duæ naturæ, ex quibus constat, ita in Eucharistia sunt duæ res, nempe corpus Christi et species, ex quibus aliquo modo inter se conjunctis hic divinus panis et Eucharistiæ sacramentum coalescit. Patres comparatione Incarnationis usi sunt, ut unum opus admirabile ac divinum facerent credibile per aliud mirabilius et magis divinum, vel ut per quamdam proportionem unum per aliud explicarent. (Suarez, in 3, disp. 49, sect. 2, n. 13).

N. B. Difficultates petitæ ex natura conversionis panis et vini magis tempestive in paragrapho sequenti expedientur.

PARAGRAPHUS II

DE NATURA TRANSSUBSTANTIATIONIS

135. I. Exponitur difficultas quæstionis hujus. « Difficillima est omnino, inquit Catechismus Romanus, hujus mysterii explicatio, sed tamen conabuntur pastores, eis, qui magis in divinarum rerum cognitione profecerunt[1] (nam qui adhuc imbecilliores sunt, verendum esset, ne rei magnitudine opprimerentur), conabuntur, inquam, tradere hujus admirabilis conversionis modum quæ ita fit, ut tota panis substantia divina virtute in totam corporis Christi substantiam, totaque vini substantia in totam sanguinis Christi substantiam sine ulla Domini nostri mutatione convertatur. Neque enim Christus aut generatur, aut mutatur, aut augescit, sed in una substantia totus permanet. » (2 p., c. 4, n. 39.)

136. II. Transsubstantiatio soli Deo possibilis est. « In qualibet conversione naturali manet subjectum, in quo succedunt sibi diversæ formæ, vel accidentales, sicut quum album in nigrum convertitur; vel substantiales, sicut cum aer in ignem; unde conversiones *formales* nominantur. Sed in conversione prædicta subjectum transit in subjectum, et accidentia manent; unde hæc conversio *substantialis* nominatur. » (IV *Cont. Gent.*, 63.) Unde sicut conversio naturalis vel etiam supernaturalis solius formæ recte et proprie *transformatio* dicitur; ita conversio totius substantiæ, id est, materiæ ac substantialis formæ ejus, in totam aliam substantiam, recte ac sapienter *transsubstantiatio* appellatur. (Vide *Catech. Rom.*, 2 p., cap. 4, n. 42.) Natura autem facere non potest quod subjectum vertatur in subjectum. « Omnis enim naturæ operatio materiam præsupponit, per quam subjecta individuantur; unde natura facere non potest quod hæc substantia fiat illa, sicut quod hic digitus fiat ille digitus. » (Ibid.) « Manifestum est quod omne agens agit inquantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est determinatum in suo actu, cum sit determinati generis et speciei; et ideo cujuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum; determinatio autem cujuslibet rei in *esse* actuali est per ejus formam.

[1] Quod ad minus convenit theologiæ tyronibus qui postea erunt pastores, quorum labia custodient scientiam, et legem requirent de ore eorum.

Unde nullum agens naturale seu creatum potest agere, nisi ad immutationem formæ ; et propter hoc, omnis conversio quæ fit secundum leges naturæ, est formalis. Sed Deus est actus infinitus....; unde ejus actio se extendit ad totam naturam entis. » (3 p., q. 75, a. 4.) Deus enim non minus materiam quam formas entium sua infinita virtute produxit, et ideo æque individuum in aliud sicut formam in formam transmutare potest. « Sicut enim virtute naturali agentis, cujus operatio se extendit tantum ad immutationem formæ, existentia subjecti supposita, hoc totum in illud totum convertitur secundum variationem speciei et formæ, utpote hic aer in hunc ignem generatum, ita virtute divina, quæ materiam non præsupponit, sed eam producit, hæc materia convertitur in illam, et, per consequens, hoc individuum in illud; individuationis enim principium materia est, sicut forma est principium speciei. » (IV *Cont. Gent.*, 63.)

Quapropter sedulo vestigia D. Thomæ prementes, ut veram, licet imperfectam, transsubstantiationis notionem tradamus, primum conversionis notionem, conditiones et species explicabimus; deinde quid non sit, et quid sit ostendere enitemur.

SECTIO I

DEFINITIO, CONDITIONES ET SPECIES CONVERSIONIS

137. Conversio generice sumpta definitur : *Transitus unius rei in aliam. Primo*, non est mera mutatio, ut quum aer fit lucidus, dicitur mutatus, non vero conversus.

138. *Secundo*, conversio supponit duos terminos positivos, nempe *a quo* et *ad quem*. Vi conversionis, terminus *a quo* debet desinere, et terminus *ad quem* debet, saltem sub aliquo respectu, incipere existere ; si enim nihil novi consurgeret ex hac conversione, ipsa esset annihilatio, et non proprie conversio. Nec ullatenus concipi potest transitus unius rei in aliam, neque res dici potest conversa in hanc, magis quam in illam, si terminus *ad quem* eodem modo absolute se haberet, ac antea. Aliunde conversio fit per actionem positivam ; influxus autem positivus esse non potest, quin, vi illius, aliquid novi consurgat. (*Ontologia*, n. 191.)

139. *Tertio*, requiritur connexio inter desitionem termini *a quo*, et positionem termini *ad quem*, ita ut hujus positio per se consequatur desitionem illius ; si enim hæc positio esset

solum concomitanter vel per accidens, non daretur conversio ; v. g. si Deus annihilaret Petrum, et in illius locum sufficeret Paulum, Petrus jam dici nequiret conversus in Paulum. Ibi enim est subtractio influxus positivi, quo servabatur Petrus; sed ex hac subtractione non sequitur creatio Pauli, quæ adscribenda est alteri actioni, scilicet actioni positivæ. Ideo, nisi inter utrumque intercidat aliqua habitudo, evanescit ratio termini *a quo* et termini *ad quem*.

140. *Quarto*, in transsubstantiatione eucharistica, præter ambos terminos positivos, est aliquid tertium commune, circa quod versantur, nimirum accidentia panis et vini, sub quibus terminus *ad quem* expellit terminum *a quo*, eique succedit. An vero hæc quarta conditio, quæ de facto occurrit in transsubstantiatione, sit de essentia omnis proprie dictæ conversionis, controvertitur inter Theologos. Alii cum Gonet negant, quia nulla est repugnantia, ut Deus, si velit, accidentia panis et vini simul cum substantia eorum in corpus et sanguinem Christi transmutet. Alii cum Suarez et De Lugo affirmant, quia tum connexio, tum repugnantia, tum ordo non potest per se convenienter intelligi existens inter conversionis terminos, nisi ratione alicujus rei communis utrique, in qua, vel sub qua unus introducitur, et alius expellitur. Nam in conversione terminus *ad quem* dicitur succedere termino *a quo*, ejusque vices supplere ; porro *supplere* debet esse in ordine ad aliquid tertium, cui deest terminus *a quo*, et cui advenit terminus *ad quem* in aliquo munere quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium.

141. Suarez asserit, D. Thomam huic sententiæ favere, in lib., IV *Cont. Gent.*, 63, et 3 p., q. 75, a. 5. Sed, re mature perpensa, fateor, nihil ex hisce D. Thomæ locis posse concludi in gratiam sententiæ affirmantis. Nam, *Cont. Gent.*, D. Thomas docet quidem, necesse esse ut remaneant accidentia, non absolute, sed, « ut verum sit quod dicitur : *Hoc est corpus meum*. Et in 3 p., q. 75, a. 5 ad 4, dicit, « quod hæc conversio non proprie habet subjectum; sed tamen accidentia quæ remanent, habent aliquam similitudinem subjecti. »

142. Ut tamen ingenue mentem aperiam, dico, hominem, saltem in præsenti rerum ordine, nullatenus concipere posse transmutationem unius rei in aliam sine aliquo tertio communi. Sed hoc commune tertium potest esse aliquid penitus extrinse-

cum, importans duntaxat aliquam denominationem vel respectum; quæ non satis sunt ad constituendum subjectum proprie dictum. Unde in ipsamet Eucharistia, prout de facto instituta est, non invenitur subjectum proprie dictum; quod ex professo demonstrat D. Thomas, 3. p., q. 75, a. 4 ad 1^{m} et 2^{m}. Accidentia enim nec sunt subjectum talis conversionis, neque pars integri termini illius, quia conversio proprie non fit ex composito accidentali ad compositum accidentale, sed ex substantia ad substantiam, ut loquitur conc. Tridentinum cum Patribus. Porro accidentia non componunt substantiam, neque illius partes. Unde fit (quod ad modum loquendi spectat), ut in conversione formali minime dicatur forma converti in formam, licet forma formæ in materia succedat; sed dicitur compositum converti in compositum, quia integer terminus qui proprie fit vel desinit, est compositum.

143. Ex dictis liquet, omnem conversionem esse substantialem, vel accidentalem, prout transitus fit in extremum substantiale, sicut quum cibus in carnem transmutatur; vel prout fit in extremum accidentale, uti quando ferrum ex nigro fit album. Iterum substantialis conversio est vel totius substantiæ, sicut fit in Eucharistia tantum, et appellatur transsubstantiatio; vel est formæ tantum, sicut fit in semine quod, sub humoris et caloris influxu, transmutatur in plantam; et retinet nomen conversionis formalis, quia sola forma expellitur ab altera forma eamdem materiam ingrediente.

SECTIO II

DECLARATUR QUID NON SIT TRANSSUBSTANTIATIO

I. — Non est resolutio.

144. Substantia panis et vini non resolvitur in præjacentem materiam; nam verba formæ efficiunt id tantum quod significant; porro non significant istiusmodi resolutionem. Deinde illa præjacens materia non esset materia prima, quum sine forma existere nequeat; esset igitur aliquod elementum ac proinde corpus; et ideo esset aliqua substantia, præter corpus et sanguinem Christi, in Eucharistia. Tandem panis et vini transmutatio fit sine morula in instante; resolutio autem in præjacentem materiam fit aliqua successione.

II. — Non est annihilatio.

145. Substantia panis et vini non proprie annihilatur ; nam terminus *ad quem* annihilationis est *non esse*, siquidem non omnis desitio rei, sed tantum desitio quæ ad nihilum tendit, appellatur proprie annihilatio. Porro conversio panis et vini non tendit ad nihil ; panis enim et vinum abeunt utique in nihil panis et vini, quum nullatenus remaneat eorum substantia ; sed non abeunt in nihil simpliciter, quippe transeunt in corpus et sanguinem Christi. Unde sicut forma quæ ex præexistente subjecto educitur, non proprie dici potest creata ; ita res quæ desinit in aliquid aliud, non dicitur simpliciter ac proprie annihilata, licet desinat in nihil sui. Ergo. Deinde actio positiva, ex se, non tendit ad nihilum, sed terminatur ad aliquid positivi (*Ontologia*, 191) ; et, si ex illa sequatur desitio alicujus rei, non potest destrui totum id quod per se supponitur ad talem actionem ; et ideo non potest habere rationem annihilationis. Porro conversio panis et vini fit per actionem positivam, ad quam adhibetur minister tanquam causa instrumentalis. Ergo. Præterea nullum ens vergit in nihilum nisi subtractione influxus positivi quo Deus omnia jugiter conservat. Porro consecratio non potest esse desitio influxus divini. Ergo. Denique, si annihilaretur substantia panis et vini, « multum de natura corporea primo creata jam in nihilum rediisset ex frequentatione hujus mysterii. Nec est decens, ut in sacramento salutis divina virtute aliquid in nihilum redigatur. » (IV *Cont. Gent.*, 63.) Omnia enim a Deo condita sunt, ut æternaliter ejus gloriam enarrent, et per ea creatura rationalis laudem Deo rependat. (*Theolog. natur.*, n. 118[1].)

[1] Inquirere solent theologi cujusnam actionis vi desinat substantia panis et vini ? Quia vero res est quidem intricatissima, non vero momentosa, satius duxi non terere tempus in discutiendo varias theologorum opiniones, atque constricte tantum id innuere quod probabilius videtur.

Dico igitur, substantiam panis et vini desinere per actionem qua accidentia ab illa avelluntur ; quod duplici modo fieri potest. *Primo*, remotis accidentibus, tolluntur dispositiones necessariæ ad conservandam unionem formæ substantialis cum materia, et ideo statim solvitur illa unio ; et consequenter desinit esse forma substantialis, quæ a materia pendebat ; et quia hæc actio non est talis, ut per eam introducatur alia dispositio vel forma in materiam, consequenter etiam fit desitio ipsius materiæ, quæ sine forma esse non potest. *Secundo*, vel certe, quia etiam naturale est materiæ, ut sine quantitate conser-

III. — Non est mutatio proprie dicta in corpore Christi.

Postquam dixerimus quid non sit transsubstantiatio, ratione termini *a quo*, jam declarare oportet quid non sit ratione termini *ad quem*. In primis inquiritur utrum importet mutationem in ipso corpore Christi?

146. *Resp.* affirmative, si mutatio sumatur in sensu latiori; negative autem, si in pressiori sensu sumatur. Christus enim est in statu gloriæ et impassibilitatis, a quo nullatenus mutatur, quia mutatio stricte sumpta dicit passionem denuo factam circa præsuppositum subjectum. Porro corpus Christi, prout in cœlo est, nihil acquirit aut amittit eorum quæ ibi habet, ut in Eucharistiæ sacramento fiat præsens.

147. Attamen in sensu lato admittenda est aliqua mutatio in corpore Christi. Primario quidem et per se, quia in suo *esse* substantiali habet aliquam dependentiam, quam ante consecrationem non habebat, nam per novum influxum causæ agentis recipit idem *esse* substantiale. Secundario autem et consequenter, quia acquirit novam præsentiam realem, quam antea non habebat.

148. Nihilominus illæ mutationes non sunt mutationes proprie dictæ: omnis enim mutatio stricta fit ex præsupposito subjecto; at in transsubstantiatione nullum datur subjectum præsuppositum. Nec acquisitio præsentiæ, quæ consequenter ibi fit, est proprie mutatio localis, sed acquisitio simplex concomitans alteram actionem: sic in creatione nulla datur mutatio proprie dicta in re creata, licet ipsa acquirat *esse*, et concomitanter aliquem locum, vel saltem præsentiam. Per transsubstantiationem fit utique proprie dicta mutatio, sed in termino *a quo* tantum; ipse enim vere transit; at terminus *ad quem* non transit, sed ad ipsum terminatur actio transmutativa.

IV. — Non est creatio proprie dicta.

149. *Primo* enim transsubstantiatio est aliquis transitus, præsupponitque aliquid, quia verba consecrationis non habent vim producendi corpus Christi alio modo. Atqui ratio creationis

vari non possit, sicut naturale est animæ rationali esse intellectu et voluntate instructa, adeo quod, si illis privetur, naturale ei est privari etiam suo *esse*. Ergo.

removet transitum omnem, et nihil præsupponit. *Secundo* panis et vini desitio non est annihilatio; ergo nec productio corporis et sanguinis Christi esse potest creatio. *Tertio*, ad creationem presse sumptam, creatura nullo modo concurrere potest; porro ad transsubstantiationem cooperatur tanquam causa instrumentalis. *Quarto*, transsubstantiatio aliquatenus versatur circa corpus Christi; nam vi hujus actionis debet incipere esse sub speciebus. Porro hoc contingere nequit vi annihilationis panis et vini, aut eorum desitionis solum, quia in eorum loco poni posset quævis alia substantia; quæ non posset eo adduci nisi per novam ac positivam actionem. Ergo non esset connexio (139). Quinimo, si ibi aliqua esset consecutio, potius desitio panis sequeretur ex introductione corporis Christi, quam e converso.

150. Attamen late ac metaphorice transsubstantiatio potest dici creatio, quia in multis ei assimilatur : nam, ut exponit D. Thomas (3 p., q. 75, a. 8), transsubstantiatio, quantum ad aliquid, convenit cum creatione et cum transmutatione naturali, et quantum ad aliquid differt ab utraque. Etenim in illis omnibus est ordo terminorum, scilicet *a quo* respicit *ad quem;* sed in transsubstantiatione et transmutatione seu transformatione naturali, uterque terminus est positivus, dum in creatione solus terminus *ad quem* est positivus. Deinde in hoc etiam conveniunt tres mutationes, quod duo termini non possunt esse simul. Tandem transsubstantiatio et conversio in hoc conveniunt, quod neutra habet subjectum commune, dum transformatio necessario habet subjectum commune ambobus terminis.

151. *Corollarium.* Propterea SS. Patres, arguentes a majori ad minus, ex creatione jure colligunt, transsubstantiationem esse possibilem : « Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi ? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, et factum est cœlum : jussit Dominus, et facta est terra..... Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur ? Cœlum non erat, terra non erat..... Sed audi dicentem : *Ipse dixit, et facta sunt : Ipse mandavit, et creata sunt.* Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod jam corpus est Christi : Ipse dixit et factum est : Ipse mandavit,

et creatum est. » (S. Ambros., IV *De Sacram.* 4. Ita etiam cæteri Patres et Doctores Ecclesiæ.)

V. — Non est actio adductiva.

152. Scotistæ quibus in hoc astipulatur Bellarminus, existimant, transsubstantiationem esse tantummodo actionem adductivam corporis Christi ad Eucharistiam, et ad solam præsentiam localem formaliter terminatam. Thomistæ autem fere omnes et plerique theologi recentiores inter quos Suarez et De Lugo, illam impugnant sententiam. Sane hæc adductio est potius translocatio quam transsubstantiatio; nam mera substantiarum successio, qua fit ut una in locum alterius subeat, non satis est ad proprie dictam conversionem; sic pater dici non potest conversus in filium suum, qui hæres factus in ejus jure substituitur. Deinde fieri non potest adductio proprie dicta sine motu locali rei quæ adducitur. Porro hic motus, in præsenti, non potest admitti utpote exclusus a conc. Tridentino; motus enim localis non fit nisi inquantum unus locus per modum termini *a quo* deseratur, et alius tanquam terminus *ad quem* acquiratur; ideo ex præfata sententia sequitur, Christum relinquere cœlum, ut in terram sub speciebus panis et vini descendat; quod manifeste opponitur concil. Tridentino et SS. Patribus.

VI. — Non est mera actio unitiva.

153. Henriquez, Valentia, De Lugo, et alii censent, veritatem transsubstantiationis consistere in unione corporis et sanguinis Christi cum speciebus panis et vini, quibus substant et sic illas servant absque subjecto. Ideo Christus nec adducitur, neque producitur, sed unitur vel introducitur sub species panis et vini. Sed hanc sententiam merito rejiciunt Suarez, Gonet et alii. In primis illa unio non est aliquid substantiale, ne modus quidem substantialis, siquidem quod substantia aliqua actu substet accidentibus, non potest in ea esse modus substantialis, nam aliquando ad accidens terminatur, et ad componendum ens per accidens, non vero substantiale, ordinatur. Deinde, seu verbo *introducere*, seu *unire*, seu quovis alio utaris, nihil lucraris; nam, ut introducatur vel uniatur Christus speciebus panis et vini, debet esse in loco in quo peragitur consecratio: quippe ante consecrationem, Christus non erat ubi sacerdos conficiebat sacrum; porro quandocumque res aliqua alteri unitur, ubi

antea non erat, necesse est, ut vel ibi fiat denuo et producatur, vel ut aliunde illuc adducatur.

VII. — Non est simplex desitio panis et vini, addita relatione extrinseca et logica ad præsentiam Christi realem.

154. Vasquez, Veronius et alii dicunt, « transsubstantiationem, in suo conceptu formali, consistere in relatione (et quidem extrinseca et solius rationis) ordinis inter substantiam quæ desinit, et eam in quam desinere dicitur vi verborum Christi; ita ut *transsubstantiatio* nihil aliud addat reali præsentiæ, nisi cessationem panis in ordine ad realem Christi præsentiam, quo verba Christi sint vera. Desinit autem panis substantia per destructionem. » Ita illam sententiam exponit P. Perrone atque amplectitur, quia « simplicitate sua se commendat, et faciliorem reddit hujus dogmatis vindiciam. » *De Eucharist.*, cap. 2, n. 133.)

Sed pace hujus auctoris, hæc sententia corruit transsubstantiationem, et in idem recidit ac sententia quæ tenet pro annihilatione. Nam cessatio panis, addita sola relatione logica seu rationis, non est conversio, quippe non est transitus (137). Deinde transsubstantiatio existit in se independenter a consideratione mentis nostræ; relatio autem logica non existit nisi intra mentem. Præterea transsubstantiatio est vere actio positiva ad quam concurrit minister tanquam causa instrumentalis, et ideo producit aliquid positivi : sed non producit cessationem panis et vini, quæ, ut patet, non est aliquid positivi; neque producit rationis relationem, tum quia omnis relatio per se non producitur, sed resultat, positis fundamento et termino, tum quia relatio rationis producitur in mente per operationem intellectus, non autem extra mentem, per actionem conversivam. Insuper desitio panis et vini cum relatione logica ad Christi corpus et sanguinem existere potest in distans, quin Christus sit in Eucharistia. Si autem illum præsupponas jam in Eucharistia existentem, petitione principii verteris; nam transsubstantiatio producit hanc præsentiam, et quæritur quid sit actio productiva hujus præsentiæ : cessatio autem panis, etiam addita relatione logica, non est actio productiva, sed mere passive se habet; nec intenditur propter se, sed se habet ut via ad terminum positivum ac formalem actionis positivæ, juxta effatum : *Corruptio unius est generatio alterius.*

VIII. — Non est actio conservativa.

155. Suarez, in 3. q. 75: disp. 50, sect. 4, n. 10 et seq., et alii cum ipso tenent, actionem transsubstantiationis esse conservativam corporis et sanguinis Christi, sub speciebus eucharisticis, virtute verborum continuatam et repetitam, quæ ex vi sua apta est ad corpus et sanguinem producendum, si jam non existerent in natura rerum. Quia vero jam alibi existit res producenda, illa actio habet tantum rationem conservationis; sed nihilominus est actio influens verum *esse* substantiale in terminum *ad quem;* nam quod corpus et sanguis Christi, ad quæ terminatur, sint jam existentia, est per accidens. Ergo hoc satis est ad transsubstantiationem; nam ea quæ sunt per accidens, non mutant specificam rei naturam.

Sed merito De Lugo, Gonet et alii hanc sententiam impugnant. Nam vere ac proprie non fieret transsubstantiatio, sed eliceretur duntaxat actio apta ad illam faciendam; et sive per accidens, sive per se non producat effectum, parvi refert, quia non inquiritur quid fieri deberet, ex vi talis actionis, sed quid de facto fiat. Deinde, per actionem conversivam, corpus Christi incipit existere ubi non existebat ante hanc actionem; ergo vel adducitur, vel producitur sub speciebus panis et vini. Præterea conservatio, ex natura sua, præsupponit rem ubi eam conservat; ergo impossibile est, ut illam ibi ponat. Demum conservatio, non re, sed ratione tantum a creatione differt; et sicut nulla creatura potest concurrere ad creationem, tum ut principalis, tum ut instrumentalis causa; ita nullo pacto valet concurrere ad conservationem proprie dictam. Porro minister consecrans Eucharistiam concurrit tanquam instrumentalis causa ad actionem conversivam. Ergo.

SECTIO III

DECLARATUR QUID PROPRIE SIT TRANSSUBSTANTIATIO

156. Plerique Thomistæ dicunt, actionem conversivam qua corpus Christi ponitur sub speciebus panis et vini, esse vere *productivam* corporis Christi, non simpliciter et absolute, nam sic jam existit in cœlo, sed tali modo, scilicet ex alia substantia quæ in ipsum convertatur, et in cujus locum succedat. Unde sicut idem corpus Christi factum est de B. Virginis carne et sanguine,

vi Incarnationis; ita ex pane et vino conficitur, vi transsubstantiationis. Unde terminus formalis ac primarius transsubstantiationis non est sola præsentia Christi sub speciebus, nec unio corporis Christi ad species, nec modus substandi accidentibus, seu conservandi illa sine subjecto; hæc enim omnia non sunt termini substantiales; neque est corpus Christi simpliciter et absolute sumptum, sed quatenus fit ex pane, in cujus locum succedit.

157. *Esse* reproductum est idem numero, ac *esse* simpliciter primo productum, sed modus essendi est longe diversus : ideo hoc *esse* est quidem prius et posterius seipso, sed sub diverso respectu. Et in hoc non est major repugnantia, quam si idem numero corpus existat in pluribus locis simul, sed vario modo, v. g. circumscriptive et definitive : quod tamen de facto contingit, nam idem Christi corpus circumscriptive existens in cœlo præsupponitur ad seipsum ut existens definitive seu sacramentaliter in Eucharistia. Utique hæc actio conversiva qua vere reproducitur corpus et sanguis Christi, est *mirabilis* ac *singularis*, ut dicit conc. Tridentinum, constituit enim mysterium transsubstantiationis, quæ est penitus supernaturalis miraculosaque, et aciem humanam præterit. Unde :

PROPOSITIO

Probabilius est, transsubstantiationem esse actionem reproductivam Christi.

158. Prob. 1° *SS. Patribus. Primo*, sancti Patres dicunt : Christus acceptum panem fecit corpus suum ; panis natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro, etc. Vide superius n° 120. S. Thomas, 3 p. q. 75, a. 8, ex professo demonstrat, hanc propositionem : *Ex pane* fit corpus Christi, esse veram et propriam in sensu rigoroso. Et in corpore ita habet : « Quia vero in creatione unum extremorum non transit in alterum, non possumus in creatione uti verbo conversionis, ut dicamus quod non ens convertitur in ens ; quo tamen verbo uti possumus in hoc sacramento, sicut et in transmutatione naturali. » Porro hic dicendi modus esset valde improprius, si nullo modo Christus produceretur vi transsubstantiationis ; nam quod fit, quod conficitur ex pane, producitur ex pane : fieri, confici et produci idem sonant. Ergo.

Secundo, sæpe sæpius sancti Patres de sacerdotibus aiunt: « Christi corpus sacro ore conficiunt, producunt, creant, etc. » Porro hic modus loquendi fundamentum non habet, si nullatenus producatur Christus vi transsubstantiationis. Unde frequentius assimilant confectionem Eucharistiæ ipsi Incarnationi, in qua vere producitur humanitas Christi. Notissima sunt hæc S. Augustini : « O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur ! »

159. 2° *Ratione. Primo, ex natura conversionis.* Nulla dari potest conversio proprie dicta unius rei in aliam quin aliquo modo producatur res in quam fit conversio. Ergo. Patet conseq. *Probatur antecedens.* Actio conversiva debet attingere terminum *ad quem*, et in ipso exercere suum influxum positivum, nam destruitur terminus *a quo*, et illius destructio seu desitio est via ad id quod positive efficiendum est in termino *ad quem;* ideo influxus positivus recipitur in termino *ad quem.* Sed non potest in ipso recipi, quin producat aliquid, ut patet verbis ipsis. Porro in transsubstantiatione non producuntur accidentia. Ergo remanet dicendum, quod producitur corpus et sanguis Christi.

Unde quando uxor Loth versa est in statuam salis, virga Aaron in serpentem, et aqua in vinum, non solum desierunt uxor, virga et aqua, sed etiam vere ac proprie producta sunt sal, serpens et vinum.

160. *Confirmatur.* Vi transsubstantiationis, substantia panis transit in substantiam corporis Christi, et substantia vini in substantiam illius sanguinis. Sed non transit nisi aliquo modo producatur ex ea corpus et sanguis Christi. Ergo. *Probatur min.* Non transit, ut permaneat cum substantia Christi atque aliquid ei accrescat; etenim, sicut optime declarat Catechismus Romanus (n° 41), « neque Christus aut generatur, aut mutatur, aut augescit, sed in sua substantia totus permanet; » ideoque, si Christus non producitur ex ea, non datur modus juxta quem substantia panis dici possit transire in substantiam corporis Christi; tunc enim nihil efficitur circa corpus Christi, quod non suscipit magis neque minus, et substantia panis potius annihilata quam transsubstantiata dicenda est. Unde D. Thomas, 3 p. q. 75, a. 7, o, et q. 76, a. 4, o, dicit, conversionem quæ fit in hoc sacramento, directe terminari ad substantiam.

161. *Secundo, ex aliarum sententiarum exclusione.* Trans-

substantiatio non est resolutio, nec annihilatio, etc.; ergo remanet dicendum, illam esse reproductionem; non enim aliquid aliud fingi potest; et tamen oportet ut aliquod nomen ex his quæ adhibent homines, illi conveniat, si quidem productio ipsa Verbi a Patre et productio Spiritus Sancti a Patre et Filio nominantur apud homines, atque ab invicem secernuntur. Aliunde Christus incipit esse sub speciebus panis et vini, atque eo non adducitur; ergo necesse est, ut ibi incipiat per aliquam actionem reproductivam.

COROLLARIUM

162. Ex delibatis in toto paragrapho jam patet quomodo sumendæ sint locutiones Patrum circa conversionem panis in corpus, et vini in sanguinem Christi.

Primo, propositiones quæ significant successionem terminorum seu transitum unius in alium, sunt veræ in sensu stricto ac proprio, v. g. *Ex pane fit corpus Christi*. Nam particula *ex* latissime patet, et non necessario dicit habitudinem causæ vel principii, sed termini *a quo*. Unde dicitur etiam cœlum fieri ex nihilo.

Secundo, propositiones quæ denotant subjectum substantiale utrique termino commune, sunt veræ in sensu lato ac improprio tantum; v. g. *Panis fit caro Christi*, vel etiam : *De pane fit caro Christi*. Nam in transsubstantiatione nullum est subjectum utrique termino commune, quum non tantum forma substantialis, sed etiam materia panis convertatur tota in totam corporis Christi substantiam. Particula *de* in rigore sumpta non idem significat quam particula *ex*, nam significat consubstantialitatem, porro nihil remanet de substantia panis in corpore Christi.

Tertio, propositiones in quibus id quod erat ante conversionem affirmatur de corpore Christi, non debent sumi quatenus significantes rem aliquam in individuo, sed quatenus significantes abstractive et in universali rem contentam sub accidentibus. Ita sunt sumendæ quædam Patrum locutiones, v. g. quando dicunt panem et vinum, post consecrationem, esse verum corpus et sanguinem Christi. Etenim, præter accidentia, nulla res individua manet communis utrique termino; ipsa autem accidentia directe ac proprie de neutro termino prædicantur. Quia vero termini conversionis inter se conveniunt in ratione con-

tenti sub his accidentibus, propositiones sunt veræ quando subjectum sumitur generatim, scilicet pro contento, nihil in individuo significans; sic enim sumptæ propositiones exprimunt solum proprietatem veræ conversionis, vi cujus remanet aliquid utrique termino commune.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

163. *Obj.* 1° Nullum ens potest esse suiipsius causa. Porro actio conversiva non potest esse productio Christi, quin ipse sit suiipsius causa; nam humanitas ejus cooperatur ad hanc conversionem, et peculiarem sibi vindicat influxum in eam. Ergo vel *esse* Christi in Eucharistia non est idem ac *esse* ejus in cœlo, vel non producitur ab ipso. Sed prius opponitur fidei. Ergo.

Resp. Dist. maj. Sub eodem respectu, *concedo;* sub alio respectu, et quoad alium essendi modum, *nego.* Utique una et eadem res non potest esse suiipsius causa sub eo respectu quo accipit primum *esse*, vi cujus constituitur in natura rerum. At vero, si postquam res extiterit per actionem et influxum totalem unius causæ, per aliam actionem distinctam iterum fiat sub alio respectu, non repugnat, ut eadem res jam facta, possit cooperari ad hanc actionem, maxime in Eucharistia; nam humanitas Christi cooperatur per modum instrumenti, non autem causæ principalis. Quapropter omnipotentia Dei influit *esse* Christi in Eucharistia, et causa instrumentalis non influit nisi talem essendi modum, quem prorsus non habebat Christus ante conversionem; sicut in concursu primæ et secundæ causæ ad aliquem effectum producendum tota entis ratio quæ in hoc effectu invenitur, primæ causæ adscribitur, secundæ autem adscribitur quod sit talis effectus, et non alius. Quocirca *esse* corporis et sanguinis Christi in Eucharistia non pendet proprie ab ejus humanitate, sed ab infinita Dei virtute tantum. Novus autem modus essendi attribuitur, tum principali, tum instrumentali, tamen longe diversa ratione; ut enim actiones sint specifice distinctæ, non requiritur necessario diversitas terminorum seu effectuum in *esse* entis et materialiter, sed solum in *esse* termini et formaliter; v. g. Deus potest via creationis producere eumdem materialiter effectum, ac homo via generationis vel eductionis. Et ita patet, salvari principia causalitatis, et non occur-

rere incommoda quæ objicit De Lugo, scilicet quod Spiritus Sanctus non distinguatur a Filio, et una persona a seipsa procedat; nam, in præsenti, agitur de vera efficientia dependentiaque corporis Christi a Deo tanquam a principali agente, et ab humanitate tanquam ab instrumento et potentia obedientiali. Hæc efficientia utique mirabilis ac singularis est valde miraculosa; sed neutiquam implicat contradictionem, et facilius concipitur possibilis quam communicatio ejusdem numero naturæ divinæ Filio et Spiritui Sancto : hæc enim natura jam terminatur a persona Patris. et tamen communicatur, et quidem bis, ut terminetur a personis Filii et Spiritus Sancti.

164. *Inst.* Quod producitur, transit de *non esse* ad *esse*. Porro corpus Christi in Eucharistia non transit de non *esse* ad *esse*. Ergo.

Resp. Dist. maj. Quod producitur primo ac simpliciter, *concedo :* quod iterum et secundum quid producitur, *subdistinguo:* Transit de *non esse* tali modo ad *esse* tali modo, *concedo;* secus, *nego*. Porro Christus in Eucharistia transit, non de *esse* simpliciter, sed de *non esse* ex pane et sub accidentibus ad *esse* ex pane et sub accidentibus.

165. Hic obiter advertendum est cum Sylvio, non tamen sequi ex dictis, quod verba consecrationis ponerent corpus Christi in Eucharistia, ut vult Suarez, etiamsi ipsum non esset in natura rerum : ipsa actio conversiva, si solum consideretur in sua essentia, virtutem illam utique habet; sed verba Domini, et actio, quatenus ordinatum est, ut ipsa non fiat sine talibus verbis, non habent illam vim : partim quia non habent vim operandi nisi sint vera, non essent autem vera, Christo nullum corpus habente : partim quia non operantur nisi per humanitatem Christi, quæ idcirco præsupponitur. Ideo existentia corporis Christi in Eucharistia pendet ab ejusdem existentia in forma naturali. In 3, q. 75, a. 4.

166. *Obj.* 2° Nullus effectus produci potest per plures actiones totales. Porro si actio conversiva est productiva corporis Christi, idem effectus produceretur per plures actiones totales; nam in cœlo producitur ac conservatur per actionem naturalem, in Eucharistia vero per actionem supernaturalem ac miraculosam.

Resp. 1° Negari potest major cum theologis non infimæ notæ.

2° *Disting. maj.* Sub eadem ratione formali, *concedo ;* sub diversa, *nego.* Ratio enim formalis sub qua corpus Christi producitur in altari, est diversæ rationis ab illa sub qua conservatur in cœlo; prior enim est conversiva et supernaturalis, non vero posterior.

167. *Inst.* Corpus Christi eodem tempore in pluribus altaribus consecratur. Porro omnes illæ consecrationes sunt ejusdem rationis. Ergo, si sunt productivæ illius, idem effectus sub eadem ratione formali per plures actiones totales produci poterit.

Resp. 1° *Retorqueo.* Sive enim adductionem, sive meram unionem, sive conservationem, etc., dicas, esse actionem conversivam, semper suum sortitur effectum, atque tot sunt actiones totales quot consecrationes. Ergo.

2° *Dist. conseq.* Idem effectus producitur semel per plures actiones totales, instrumentarias tantum, *concedo;* principales, *nego.* Nihil autem prohibet quominus idem effectus producatur per multas hujusmodi actiones, quum per se non pendeat ex illis, sed a principali agente tantum : maxime quia instrumentales nonnisi obedientialem quoad effectum potentiam habent,

168. *Obj.* 3° Plura accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subjecto. Porro si corpus Christi produceretur simul in multis altaribus per multas actiones instrumentarias, plura accidentia, solo numero distincta, essent simul in eodem Christi corpore; siquidem illæ multæ actiones instrumentariæ, non specie, sed numero tantum ab invicem distinguuntur. Ergo.

Resp. 1° *Retorqueo.* Difficultas eadem occurrit, sive adductionem, sive meram unionem, sive productionem profitearis, quia actio conversiva est positiva etiam in illis sententiis, non tantum ex parte principalis agentis, sed etiam ex parte agentis instrumentalis ; et ideo sub hoc respectu recipitur etiam in corpore Christi. 2° *Negari* potest major, utpote valde controversa inter philosophos et theologos. 3° *Dist. maj.* Si illud subjectum sumatur formaliter, *concedo;* si sumatur materialiter tantum, *nego.* Eadem distinctione utor quoad minorem. Illæ multæ actiones instrumentariæ recipiuntur quidem in eodem corpore Christi, sed materialiter sumpto; non enim sumitur absolute, sed prout fit ex tali pane, et sub talibus speciebus; ideoque est forma-

liter diversum pro unaquaque instrumentaria actione ; et hæc diversitas plane sufficit ad accidentia ab invicem distinguenda.

PARAGRAPHUS III

DE REMANENTIBUS SPECIEBUS PANIS ET VINI

169. Species panis et vini, transsubstantiatione facta, remanere, non solum constat omnino evidenti sensuum testimonio, sed insuper est veritas fidei definita a conciliis Lateran. IV, cap. *Firmiter*, Constantiensi, sess. 8, Florent. in *Decreto*, et Trident. sess. 13, can. 2. In hoc igitur nulla potest esse controversia inter theologos catholicos; at vero in dissitissimas abeunt sententias, ubi inquiritur quænam sint, quid sint et quomodo permaneant, quid agant et quid pati possint. Huic quintuplici quæsito responsum complectimur in triplici sectione.

SECTIO I

QUÆNAM SPECIES SEU ACCIDENTIA PERMANEANT

170. In primis certum est, non remanere accidentia modalia, nempe modos existendi qui immediate panis et vini substantiam afficiunt ; ipsi enim ne divina quidem potentia possunt sejungi a re modificata, utpote nullam habentes entitatem sibi propriam; v. g. ubicatio panis esse non potest sine pane. Certum est etiam, remanere omnia accidentia realia quæ sensibus percipi possunt, ut plane constat testimonio sensuum, et aperte ex Patribus, Conciliis ipsaque mysterii natura colligitur; nam ad rationem sacrificii et sacramenti necesse fuit, ut Christus sub signo sensibili offerretur ac sumeretur.

171. Sed remanentne, si quæ sint, accidentia occulta, quæ videlicet sub sensus non cadunt? Pauciores existimarunt, sola sensibilia accidentia appellari species a Patribus et Conciliis, ideoque, licet probabilius sit, accidentia occulta remanere, tamen hoc non est omnino certum. Sed, pace illorum, hæc sententia sic exposita contradicit concil. Tridentino, quod definivit, remanere tantum species panis et vini; et ideo, si accidentia occulta non sint species, de fide est, illa non remanere. Dico igitur quod Patres et Concilia, licet non expresse docuerint remanere *omnia* accidentia, quum tamen modo indefinito hoc affirmaverint, quin unquam inter apparentia et occulta attulerint

distinctionem, ita satis mentem suam aperuerunt. Deinde ipsamet rei natura valde suadet, conservari omnia accidentia; nam sunt vel quantitas, vel qualitates, vel modi accidentales, qui identificantur cum quantitate et qualitate : porro ex dicendis constabit, servari quantitatem et qualitates; ergo et modos accidentales.

SECTIO II

MODUS QUO PERMANENT ACCIDENTIA

I. — Exponuntur et convelluntur falsa systemata.

172. I. Systema Anastasii. Anastasius Sinaita, sæculo VII, æstimavit, accidentia panis et vini, post consecrationem, subsistere in corpore et sanguine Christi, quæ vices substantiæ panis et vini quoad illa adimplent. Guilmundus, Aversanus episcopus, acerrimus Berengarii impugnator, et alii theologi illius ætatis, hoc systema amplexi sunt. Apud modernos, non paucos nactum est fautores, inter quos P. Le Jeune, Collet, etc. Emendatores theologiæ Bouvier, Cenomanensis episcopi, illud habent ut antiquorum Ecclesiæ doctorum verbis magis congruens, clariusque recentiori doctrina accidentium absolutorum. Attamen quidam ex illis tenent, accidentia inhærere corpori et sanguini Christi, dum alii sentiunt, ea in ipsis existere tanquam in subjecto sine inhærentia et informatione, ita ut corpus Christi neutiquam afficiatur hisce accidentibus.

173. Sed in primis impossibile est admittere accidentia panis et vini inhærere corpori et sanguini Christi, *primo*, quia substantia corporis humani nullo modo potest his accidentibus affici; accidentia enim sunt secundum rationem ac naturam substantiæ; ideo accidentia substantiæ unius generis non possunt sine vi et deformitate inhærere substantiæ alterius generis. *Secundo*, corpus Christi in Eucharistia est gloriosum et impassibile; porro si reciperet accidentia panis et vini, alteraretur atque passibile foret; conspueretur enim ac frangeretur una cum accidentibus. (Vide 3 p. q. 37, a. 1.) *Tertio*, accidentia nequeunt transire de subjecto in subjectum. Sed educuntur e potentia substantiæ suæ.

174. Secunda hypothesis vel non differt realiter a prima, sed tantum verbis, vel confundenda est cum systemate accidentium absolutorum, de quo infra. Nam si illa accidentia non inhæreant

corpori Christi, eo ipso nulli subjecto inhærent; sed accidentia non possunt aliqua virtute naturali servari in statu non inhærentiæ, sed tantum virtute Dei, qui potest per se et immediate id quod potest per causas secundas; at corpus et sanguis Christi non possunt supplere causas secundas. Deinde si accidentia servarentur in corpore Christi absque virtute supernaturali et divina, eorum permanentia non esset stupendum miraculum, siquidem non exsuperaret omnem vim creatam. Præterea nedum corpus et sanguis Christi servent accidentia panis et vini, potius contingit oppositum : siquidem præsentia corporis et sanguinis ab existentia accidentium dependet, ita ut desinat statim ac destruuntur vel corrumpuntur accidentia. Reponunt hujusce hypothesis fautores, Bellarminum et De Lugonem passim tribuere corpori Christi munus sustentandi accidentia, sed semper exclusa *informatione*, vel *inhærentia;* porro attente legi hosce auctores, matureque eorum doctrinam perpendi, et mihi visi sunt plane cum D. Thoma sentire atque munus sustentandi accidentia adscribere propriæ virtuti divinæ. Si forte passim, ut aiunt adversarii, hoc munus videantur corpori Christi attribuere, nonnisi late sumendi sunt, inquantum scilicet corpus Christi est ratio cur accidentia serventur, et inquantum cum ipso connectuntur, eodem scilicet sensu quo dicitur, media servari per causam finalem.

175. II. Systema Abailardi. Abailardus et alii, quos, tacito nomine, refutat D. Thomas, 3 p. q. 73, a. 1, docuerunt, accidentia inhærere, tanquam subjecto, aeri circumstanti. Hanc sententiam recoxit Cartesius, eique de suo miscuit, ita ut pejorem adhuc eam perhibuerit. Nam, juxta eum, subjectum cui de novo inhærent accidentia, non est aer circumstans, sed aer vel alia forsan materia quæ implet panis et vini foramina et spatia inter moleculas jacentia; siquidem utraque substantia innumeris poris scatet. Addit huic materiæ superficiem lanuginosam seu floccosam pani et vino extrinsecam, adamussim tamen corpus Christi circumvolventem, perinde ac si remansisset panis et vini substantia.

176. Sed, *primo*, aer non est susceptivus hujusmodi accidentium, neque substantia floccosa, quæ aliunde non introducitur sine novo atque inutili miraculo. *Secundo*, accidentia Eucharistiæ permanent in eodem loco, licet ab eo expellatur

aer, vel substantia floccosa. *Tertio*, accidentia non possunt transire de subjecto in subjectum; nam suam specificam, imo et numericam unitatem sortiuntur a suo subjecto; ideo unum accidens idem numero manens non potest quasi abradi ab uno subjecto et in aliud transferri. *Quarto*, aer vel substantia lanuginosa non exspoliatur suis accidentibus, ideo simul haberet accidentia propria et aliena, quorum aliqua inter se pugnant. Nec potest dici, hoc fieri miraculose, virtute consecrationis; nam verba consecrationis non efficiunt contradictoria; deinde verba consecrationis non efficiunt nisi id quod significant; porro non significant inhæsionem accidentium panis et vini aeri circumdanti vel substantiæ lanuginosæ.

177. III. Systema Varignonis. Varigno, matheseos professor in collegio Mazarineo, abeunte sæculo XVII, docuit, Deum, dum fit consecratio, imprimere moleculis panis et vini motum quasi vibratorium, vi cujus dissolvitur eorum substantia, remanentibus tamen in eodem loco moleculis substantiæ, quibus singulis conjungitur anima Christi; et ita patet quomodo, fracto sacramento, Christus sit in unaquaque parte, et panis vinumque appareant se habere sicut ante consecrationem.

178. Sed *primo*, ex fide catholica tenendum est, conversionem substantiæ panis et vini esse totalem, ita ut nihil remaneat de illa substantia. Porro, juxta systema Varignonis, remanent moleculæ. Ergo non est totalis, neque dicenda est transsubstantiatio, sed transformatio. *Secundo*, concilium Tridentinum definivit, ex pane et vino, facta consecratione, remanere duntaxat species panis et vini. Atqui illæ moleculæ non sunt species panis et vini. *Tertio*, si anima Christi conjungitur illis moleculis ut principium informans et vivificans, sequitur, corpus Christi in Eucharistia non esse idem ac corpus natum ex Maria Virgine, nunc in cœlo gloriosum, etc.; sequitur, Christum in Eucharistia esse passibilem, corrumpi, uno verbo, pati omnia quæ fiunt in speciebus panis et vini.

179. IV. Systema Magnani. P. Magnanus, ordinis S. Francisci a Paulo, docuit, nihil panis et vini, ne accidentia quidem remanere objective et in natura rerum, sed Deum immediate, absque ullo sensibili objecto, easdem impressiones exercere in sensibus nostris, ac si permansissent accidentia panis et vini. Ideo species nihil sunt a parte rei, sed sunt mere intentionales. Huic syste-

mati astipulati sunt non pauci recentiores, maxime ex illis qui cartesianis principiis imbuuntur. Sed

180. *Primo*, hoc systema innititur adulterata accidentis notione, videlicet quod accidens nihil sit præter modum rei, atque nullam habeat entitatem, nisi ipsammet substantiæ entitatem. Porro accidens toto cœlo differt a modo; modus enim est vel substantialis, vel accidentalis, prout afficit substantiam vel accidens; quippe omnis substantia vel etiam accidens entitativum non solum existit, sed etiam operatur taliter vel taliter; et ratio se habendi, vel operandi taliter, est modus; dum accidens est aliquando *medium* quo substantia operatur, cujusmodi sunt facultates et virtutes animæ. (Vide *Ontolog.*, n. 146 et seq.)

Secundo, hoc systema dimanat veluti surculus consectariumque a systemate causarum occasionalium, quod non duntaxat falsum, sed et omnino pestiferum esse ostendimus in *Ontologia* (120). Dicunt enim, « in hoc nihil esse vehementer mirabile, quum hoc factum sit tantum derogatio illi mirabili ac consuetæ agendi rationi, qua Deus ipse sensationes in nobis producit occasione corporum. » Ideo solum discrimen est quod in Eucharistia deest corpus quod præbeat occasionem.

Tertio, illæ subjectivæ et intentionales affectiones non sunt panis et vini species. Ergo. Frustra reponunt, non idem esse accidens quam speciem panis et vini : hujus enim distinctionis, ante ipsos, nullum invenitur vestigium in Ecclesia Dei. Unde

Quarto, concil. Constantiense species Eucharisticas vocavit accidentia, atque hanc Wiclefi damnavit propositionem : « Accidentia non manent sine subjecto. » Porro hæc propositio erat consectarium sententiæ Wiclefi, qui dicebat, accidentia esse affectiones intentionales nobis inhærentes.

Quinto, quia corpus Christi Eucharisticum latet sub speciebus, nec existit ubi non sunt species, sequitur, ipsum esse in oculis, in naribus, vel aliis sensibus nostris, nec ideo adorandum esse in altari repositum, neque ibi immolari, et sacerdotem super oblata cruces frustra describere.

Sexto, species sunt signum permanens, etiam occluso tabernaculo vel ciborio. Porro non ita se habent impressiones intentionales, quæ tunc omnino deficiunt. Ergo. Nec aliquid lucrantur dicendo, remanere fundamentaliter signum, quatenus Deus decrevit producere iterum easdem sensationes, quotiescumque

aperietur tabernaculum vel ciborium; nam requiritur signum formale, ut Christus sit præsens sacramentaliter; propositum vero ponendi signum in futuro tempore, non facit quod sit actu in præsenti.

181. Theologia Tolosana a Bonal recognita, ut hoc evitet consectarium dicit, « accidentia, post consecrationem, esse tantum modificationes ab ipso Deo *immediate* seu miraculose productas in corporibus circumstantibus, quæ hoc modo revera modificarentur per panem et vinum, si utriusque speciei substantia permaneret. » Ac proinde, « si pixis sit occlusa vel in tabernaculo deposita, vasis interna latera, aer circumstans, vere et permanenter modificantur eodem modo, ac modificarentur per veram panis et vini substantiam. » Tandem concludit : « Quæ ultima sententia vero proximior nobis videtur. Nulli enim philosophiæ notioni officit, omnesque conditiones signi sensibilis et permanentis sat feliciter servat. »

Ut videre est, ibi etiam promiscue usurpatur modus pro accidente. Deinde, si res ita se haberet, sicut exponitur in illa theologia, non remanerent accidentia panis ; nam illæ modificationes non sunt eædem numerice quam accidentia, nec substantiæ panis et vini inhærebant ante consecrationem. Ad summum assimilarentur effectibus accidentium, non autem ipsis accidentibus. Præterea illæ modificationes productæ in corporibus circumstantibus quum sub sensus cadunt, afficiunt totum aerem vel medium quod jacet inter sensus et locum in quo erat substantia panis et vini; et ideo corpus Christi erit non tantum in altari, sed in toto spatio quod intercidit ab altari usque ad sensus, imo et ultra, nam panis et vinum hujusmodi modificationes exercent in oculos hominis valde distantis. Præterea illæ modificationes vel nulli subjecto inhærent, vel inhærent aeri aut alteri corpori circumstanti : si prius, ergo non repugnant accidentia absoluta, sicut asserunt : si posterius, ergo instauratur systema Abailardi et Cartesii, quod impugnatum est supra (176). Demum ex hoc systemate sequitur, nihil curandum esse de specierum munditie vel fœditate, et incolumitate vel corruptione, etc., nihil enim horum accidere potest rebus intentionalibus vel modificationibus aeris, vel aliorum invisibilium corporum quæ finguntur ; maxime quia illæ modificationes immediate a virtute divina producuntur. Sequitur, sacerdotem, quum fran-

git, manducat, porrigit hostiam, frangere, manducare, porrigere modificationes aeris vel alterius corporis. Sequitur, sensus rite dispositos decipi circa proprium objectum; quod tamen ostensum est impossibile in *Logica* (43 et seq.).

N. B. Præfatorum systematum multa alia, brevitatis causa, prætermisi inconvenientia : quæ innui satis superque sunt, ut omnis qui sanæ doctrinæ addictus est, caveat ab illis, et ab objurgationibus modernorum contra scholasticam doctrinam temperet.

II. — Exponitur et propugnatur germana doctrina.

182. Melioris notæ theologi dicunt, accidentia panis et vini conservari a virtute divina, independenter ob omni subjecto cui inhæreant, et, dum expellitur substantia panis et vini, ipsa permanere in eodem loco et situ quam ante consecrationem, sine prorsus ulla mutatione; ideo, præter inhærentiam actualem, cujus vices supplet omnipotentia Dei, se habent omnino perinde ac si substantiæ panis et vini inhærerent.

Solet etiam moveri alia quæstio valde secundaria, utrum scilicet omnia et singula Deus virtute sua sustineat immediate, an vero sustineat immediate aliquod eorum tantum, quod, respectu aliorum, se habeat tanquam fulcrum commune. D. Thomas et ejus discipuli communiter sentiunt, quantitatem dimensivam panis et vini esse subjectum cæterorum accidentium. His præhabitis.

PROPOSITIO I

Accidentia seu species Eucharistiæ existunt a parte rei, vi solius omnipotentiæ Dei, absque subjecto proprie dicto.

183. Prob. 1° *Conciliis.* Later IV, cap. *Firmiter*, suprà cit. (93) cujus verba sensu obvio favent speciebus absolutis, adeo ut Calvinistæ accidentia absoluta vocaverint inventum et commentum Innocentii III, in concil. Lateranensi. Constant. sess. 8, damnavit ut hæreticam sequentem Wiclefi propositionem : « Accidentia non manent sine subjecto. » Ergo de fide est contradictoria. Iste enim hæresiarcha garriebat quod « fingere accidens sine subjecto erat blasphemare Deum, scandalizare sanctos, et illudere Ecclesiæ per verbum accidentis. » Attamen propositio nostra non potest haberi ut de fide, saltem formali, quia dici

potest, concil. Constantiense damnavisse propositionem contradictoriam ad mentem tantum Wiclefi, qui dicebat, remanere substantiam panis et vini, tanquam subjectum accidentium; unde absolute dici potest, Concilium definivisse, accidentia remanere sine subjecto quod sit substantia panis et vini. Sed, si sedulo perpendantur adjuncta omnia et error Wiclefi, rectius attribuitur significatio magis extensa et absoluta verbis Concilii, licet non sat aperte verti possint in nostram sententiam, ut opposita formaliter atque expresse damnata sit tanquam hæretica. In sensu obvio sumpta prædicta decreta aperte favent accidentibus absolutis : nam ex illis constat, remanere post consecrationem, sine ulla mutatione vel alteratione, eadem numerice accidentia quæ erant ante consecrationem. Sed non possunt remanere eadem numerice, absque illa sui mutatione, quin ita serventur ab omnipotenti Dei virtute. Ergo.

184. 2° *Doctoribus*. Ex quo Berengarius molitus est corruere dogma transsubstantiationis, Doctores Ecclesiæ magis explicite illius naturam perscrutati sunt, et apertius tradiderunt rationem accidentium. Lanfrancus jam an. 1059 contra Berengarium scribebat : « Contendimus sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine, Sacramento et re sacramenti, id est, corpore Christi, sicut Christi persona constat et conficitur Deo et homine. »

Sed doctrinam illam a Patribus insinuatam magis explicitius docuerunt Hugo Victorinus, II *De Sacram.*, part. 8, cap. 7; Alensis, part. 4, q. 40; S. Bonaventura; sed maxime illam illustravit D. Thomas, IV *Contr. Gent.* 65, et 3 p., q. 77, a. 1. Illam uti catholicam propugnarunt non tantum Thomistæ omnes, sed etiam melioris notæ alii theologi, inter quos Bellarminus, Suarez, De Lugo, etc.

185. Unde Catechismus Romanus, catholicæ traditionis fidissimus interpres, ut inconcussum docet systema accidentium absolutorum : « Tertium restat, quod in hoc sacramento maximum atque admirabile videatur, quod quidem, jam duobus aliis explicatis, facilius a pastoribus tractari posse existimandum est : panis videlicet et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subjecta constare. Nam quum ante demonstratum sit, corpus Domini et sanguinem vere in sacramento esse, ita ut amplius

nulla subsit panis et vini substantia, quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhærere non possunt : relinquitur, ut super omnem naturæ ordinem ipsa se, nulla alia re nisa, sustentent. *Hæc perpetua et constans fuit Catholicæ Ecclesiæ doctrina*, quæ etiam facile eorum testimoniorum auctoritate confirmari poterit, quibus antea planum factum est, nullam residere in Eucharistia panis aut vini substantiam. » (2 p. cap. 4, n. 40[1].)

186. 3° *Liturgia*. In officio festi Corporis Christi, lect. V, legitur : « Accidentia autem sine subjecto in eodem (Sacramento) subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum : et sensus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis. » Hæc verba Ecclesia deprompsit a D. Thoma ; ideo nihil potius desiderandum est in gratiam illius sententiæ.

Et in prosa missæ hujus festi :

« Sub diversis speciebus, signis tantum, et non rebus, latent res eximiæ. »

187. 4° *Ratione. Primo, ex impugnatione aliarum sententiarum*. Constat, ex antea dictis, nulla via posse salvari rationem signi sensibilis in Eucharistia, prout eam Christus instituit, nisi reponatur in accidentibus panis et vini ab omnipotenti Dei virtute sustentatis. Ergo.

188. *Secundo, ex possibilitate rei*. Ideo adversarii accidentia absoluta rejiciunt, quia existimant, illa implicare contradictionem. Porro neutiquam implicant contradictionem. Ergo. *Prob. min.* Inhærentia alicui subjecto est quidem de essentia accidentis, sed inhærentia *aptitudinalis* tantum, non vero *actualis ;* et quum multa accidentia propriam habeant entitatem, uti ostensum est in Ontologia (147 et seq.), inde fit quod possunt a virtute divina servari separata a suo subjecto : « Cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda,

[1] Pius IX, in encyclica *Nostis et nobiscum*, 8 decemb. 1849, Catechismum Romanum ita commendat. « Habere ob oculos non omittant (pastores) Catechismum Romanum, quem ex decreto Trid. Concilii et S. Pii V..... jussu editum, alii porro summi Pontifices, ac nominatim fel. record. Clemens XIII cunctis animarum pastoribus denuo commendatum voluit, tanquam *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram, sanamque doctrinam propagandam, stabiliendamque opportunissimum subsidium.*

Deus, qui est causa prima substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem, conservare potest in *esse* accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in *esse*, sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis, sine virili semine. » (3 p., q. 77, a. 1 [1].)

189. Unde, licet accidenti connaturale sit esse *actu* in suo subjecto, quemadmodum connaturale est substantiæ habere propriam subsistentiam in qua subsistat, attamen per miraculum potest servari sine actuali inhærentia, sicut per Incarnationem humanitas Christi caret sua propria subsistentia, atque in persona Verbi subsistit [2]. Nec in hoc accidentia vim patiuntur, quia, uti dictum est in *Theologia naturali* (166 et seq.), unaquæque res naturalis vehementius inclinatur ad obediendum suo Creatori, quam legibus ab ipso conditis; unde miracula sunt quidem præter naturalem rerum ordinem, sed nullatenus contra hunc ordinem. Si autem conferas illum ordinem cum supernaturali, cui ad famulandum natus est, miracula omnia, sed maxime miraculum accidentium Eucharistiæ harmoniam et colligationem rerum omnium constituit.

190. *Tertio, ex experientia.* Compertum habemus accidentia nutrire, sitim restinguere, ex illis vermes nutriri, si putrefiant, aut cineres produci, si comburantur. Porro si nullam entitatem in se haberent, sed essent tantum effectus actionis divinæ in sensus nostros agentis, multa ex illis non contingerent : virtus

[1] Separabilitatem accidentium a suo subjecto agnoverunt, non tantum Christiani, sed ipsimet ethnici philosophi, ut, post Thomam Waldensem, dicit Bellarminus, III *De Sacramento Euch.*, cap. 24. SS. Patres eam professi sunt, non solum in mysterio Eucharistiæ, sed etiam in aliis rebus. S. Basilius, *Hom.* 6 *in Hexameron*, dicit, prima die creatam fuisse lucem subsistentem ab omni subjecto separatam : « Primo die ipsa natura lucis producta est; quarto autem die, solis corpus, ut esset illi primogenitæ luci vehiculum, est conditum..... Itaque non mihi dixeris, fieri hæc non posse, ut lux a corpore solis separetur. Neque enim ego lucis a solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico, sed asserendum esse censeo, quæ mentis sola agitatione cogitationeque disparari a se possunt, ea reipsa sejungi facultate Creatoris utriusque naturæ posse. » Idem tenet S. Greg. Nazianz. in oratione *De novo die Dominico;* Theodoretus, *Super Genes.*, q. 14 et 16; S. Joan. Damasc., II *De Fide orthodoxa*, cap. 72.

[2] Vide 3 p., q. 77, a. 1. ad 2.

enim divina prorsus desinit, postquam accidentia facta sunt aut vermes aut cineres. Ergo.

PROPOSITIO II

In Eucharistia, quantitas dimensiva panis et vini est subjectum aliorum accidentium.

191. PROBATUR. *Primo, ex colligatione accidentium.* Inter accidentia eucharistica datur commune vinculum, ut patet experientia; non enim possunt ab invicem separari, nisi introducatur aliquod principium alicui ipsorum contrarium. Porro illud commune vinculum esse non potest, nisi quantitas dimensiva; nam ex aliis nullum tenet primum locum, et haberi potest ut principium. Ergo, etc. Sed illud commune vinculum est simul subjectum commune, alioquin accidentia non possent expelli a contrariis suis; non enim datur contrarietas proprie dicta, nisi in ordine ad tertium commune in quo sese non compatiuntur termini qui dicuntur contrarii. (*Ontologia* 176.) Ergo.

192. *Secundo, ex divisibilitate accidentium.* « Qualitates non sunt divisibiles, nisi per accidens, scilicet ratione subjecti, (qualitates enim ex se carent partibus). Dividuntur autem qualitates remanentes in hoc sacramento, per divisionem quantitatis dimensivæ, sicut patet ad sensum (sic panis et vini consecrati color, odor, sapor, etc., dividuntur). Ergo quantitas dimensiva est subjectum accidentium, quæ remanent in hoc sacramento. » 3 p. q. 77, a. 2.

193. *Tertio, ex immediato accidentium fundamento.* « Prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva; unde et Plato (apud Arist. I *Metaph.* text. 6 et 7) posuit primas differentias materiæ, magnum et parvum. Et quia primum subjectum est materia, consequens est, quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum, mediante quantitate dimensiva, ratione cujus quidam posuerunt, dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur I *Metaph.*, text. 10 et seq. (Cartesius incaute sequens illos philosophos, essentiam corporum in extensione reposuit.) Et quia, subtracto subjecto, remanent accidentia secundum *esse* quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensivam. » Id., ibid.

194. *Nota.* Attamen adverte sedulo, quantitatem, in ordine

naturali, non posse stricte appellari subjectum aliorum accidentium, licet omnia ipsi immediate cohæreant, quia quantitas dimensiva non potest ea sustentare, nisi mediante substantia, in qua radicantur omnia. Sed in Eucharistia, quia divinitus datur quantitati, ut per se sit, et eo ipso potest etiam per se alterius accidentis esse subjectum; non enim minus firmiter et inconcusse subsistit in quantitate per virtutem divinam suffulta, quam in quantitate per substantiam servatam [1].

COROLLARIUM

195. Quapropter accidentia eucharistica non sumuntur in abstracto, sed in concreto, quum inhæreant alicui quod se ad illa habet per modum subjecti; unde in ipsis non est simpliciter albedo, rotunditas, sapor, etc., sed album, rotundum, sapidum, etc.

Præterea, « hujusmodi accidentia acquisierunt *esse* individuum in substantia panis et vini, qua conversa in corpus et sanguinem Christi, remanent virtute divina accidentia in illo *esse* individuato quod prius habebant, unde sunt singularia et sensibilia. » 3 p. q. 77, a. 1, ad 3.

[1] Utrum vero addatur quantitati separatæ a substantia peculiaris modus existendi per se, ratione cujus subsistat independenter a subjecto, et aliis accidentibus substet, an econtra permaneat omnino eadem, ac erat ante avulsionem, controvertitur. Negant Paludanus, Soto, Valentia, Bellarminus, etc.; sed probabilius affirmant Cajetanus, Ferrariensis, Suarez, Vasquez, De Lugo, Gonet, etc. Actio enim qua Deus conservat quantitatem independenter a subjecto, debet necessario distingui ab actione qua illam conservabat ante consecrationem, tum quia alias non esset aliquid speciale superadditum, tum quia illæ ambæ actiones sunt ad invicem sicut creatio et eductio; quippe una conservat quantitatem independenter a subjecto, et altera dependenter ab hoc subjecto; tum quia una est naturalis, et alia supernaturalis. Atqui ubi est specialis, et aliquo modo diversa actio positiva transiens, debet esse specialis, et aliquo modo diversus terminus productus, maxime quando actio est virtualiter solum transiens, quæ nihil dicit per modum viæ et fluxus, sed tantum significat actionem immanentem cum termino a parte rei posito. Sed nullum alium terminum potest habere actio divina quantitatem servans extra substantiam, præter illum modum existendi per se; nam accidentia secundum se existebant ante consecrationem; sola autem separatio a subjecto, seu negatio inhærentiæ actualis, non potest esse terminus actionis realis et positivæ. Ergo.

SECTIO III

QUOMODO SPECIES EUCHARISTICÆ AGERE PATIVE POSSINT ET AN EX IPSIS ALIQUID GENERETUR

I. — Possunt agere sicut ante consecrationem.

196. *Primo*, unumquodque agit inquantum est ens actu, et ideo unumquodque ens se habet ad *agere*, sicut se habet ad *esse*. Porro species sacramentales idem servant *esse* quod habebant ante consecrationem. Ergo et suum *agere*. Quapropter id omne efficere possunt, quod efficere poterant dum inhærerent substantiæ panis et vini.

Secundo, « ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut *esse* accidentis dependet ab *esse* substantiæ. Et ideo, sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus, ut possint esse sine substantia, ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, a quo sicut a primo agente dependet omnis actio formæ, et substantialis, et accidentalis. » 3 p. q. 77, a. 3, ad 2.

Confirmatur : Principia quibus agunt species, sunt qualitates ; quantitas sustentat quidem principia agendi, sed ipsa non est principium agendi. Porro qualitates, quum retineant naturalem suum existendi modum, et naturalem agendi modum quoque retinent : quia non satis esset retinere *esse* ad agendum, nisi retineretur etiam modo accommodato ad agendum ; sic corpus Christi in Eucharistia retinet suum *esse*, et tamen non potest *naturaliter* habere omnem actionem suam, quia non habet illud modo accommodato ad agendum.

II. — Species pati possunt sicut ante consecrationem.

197. *Primo*, species retinent idem *esse* quod habebant ante consecrationem, sine ulla mutatione. Sed illud *esse*, ante consecrationem, pati poterat, scilicet alterari, vel augmentari, vel diminui. Ergo et post consecrationem.

Secundo, ante consecrationem, substantia panis et vini non patiebatur ullam alterationem, nisi præcedente alteratione circa accidentia ; substantia enim non attingitur ab agentibus naturalibus, nisi ope accidentium, quæ illam quasi involvunt undique. Ideo alteratio accidentium esse potest, quin sit substantia.

198. *Nota.* In ordine naturali, alteratio dupliciter contingere potest in accidentibus, per se et per accidens : per se quidem, quando fit alteratio in qualitatibus, aut decrementum augmentumve in quantitate : per accidens vero, quando corrumpitur vel subtrahitur subjectum accidentium. Hoc, servata proportione, etiam contingit supernaturaliter in speciebus eucharisticis ; corpus enim et sanguis Christi ea lege substituuntur substantiæ panis et vini, ut tamdiu conserventur sub speciebus, quamdiu substantia panis et vini conservata fuisset, si non facta fuisset transsubstantiatio, et e converso desinant species, ablata præsentia Christi, sicut desiissent, ablata substantia. Licet enim dependentia accidentium a præsentia corporis Christi non sit ejusdem rationis, quam eorum dependentia a panis et vini substantia, est tamen ejusdem proportionis, ita ut, quocumque utrorumque avulso, destruantur.

III. — Magna difficultas circa modum quo ex speciebus accrescit vel etiam producitur substantia.

199. Quum in speciebus eucharisticis non sit materia, inde difficillimum est dicere quomodo ex illis nutritio, augmentum vel etiam productio alteriùs substantiæ fiat, sicut contingit quando combustione convertuntur in cineres. Omnino enim perspicuum est, nihil generari ex corpore et sanguine Christi, utpote gloriosis et incorruptibilibus : aliunde nihil in speciebus remanet de substantia panis et vini ; quomodo igitur potest ex illis augeri vel generari substantia?

Hæc difficultas fuit maxima ipsismet D. Thomæ discipulis. Alii, ut eam solverent, dixerunt, hominem hoc sacramentali cibo non posse nutriri, sed solum confortari et refocillari, sicut quum ad odorem vini confortatur. « Sed, inquit D. Thomas, hæc quidem confortatio ad horam accidere potest, non autem sufficit ad sustinendum hominem, si diu sine cibo permaneat ; experimento autem de facili inveniretur hominem diu sacramentali cibo sustentari posse [1]. Mirandum etiam videtur cur

[1] Guillelmus Parisiensis refert, duos sacerdotes, qui hostiis consecratis tantum satagebant vivere, mox interiisse. Sed primum hoc factum uti apocryphum habetur apud probatissimos et eruditissimos auctores. Deinde forsan mortui sunt percussi a Deo, eo quod magnam panis quantitatem impie ac temere consecrabant.

negent hominem hoc sacramentali cibo posse nutriri, refugientes hoc sacramentum in carnem et sanguinem posse converti, quum ad sensum appareat quod per putrefactionem vel combustionem in aliam substantiam, scilicet cineris et pulveris, convertatur. » IV *Cont. Gent.* 65.

Alii dixerunt ea quæ generantur vel accrescunt, fieri, non ex speciebus, sed ex aere circumstante. Sed experientia oppositum evidenter testificatur : aer tunc non alteratur, nec nutrit, nec converti potest in cineres. Alii dixerunt, desinente corpore et sanguine Christi, redire substantiam panis et vini. Sed neque illa sententia satisfacit. Primum enim redire nequit nisi per conversionem corporis et sanguinis Christi in ipsam : porro hæc conversio, si forte possibilis, dedecet Christum, et non fieret sine novo et ingenti miraculo, quod Deus prorsus ad hujusmodi finem non edet. Deinde non datur locus huic reditui; nam, « si substantia panis redit, necesse est quod vel redeat, speciebus panis manentibus, vel speciebus panis jam destructis. Speciebus quidem panis durantibus, substantia panis redire non potest, quia quamdiu species manent, manet sub eis substantia corporis Christi; sequeretur ergo quod simul esset ibi substantia panis et substantia corporis Christi. Similiter etiam neque, corruptis speciebus panis, substantia panis redire potest; tum quia substantia panis non est sine propriis speciebus, tum quia, destructis speciebus panis, jam generata est alia substantia, ad cujus generationem ponebatur quod substantia panis rediret. » IV *Cont. Gent.* 66.

200. Propterea alii dixerunt, non proprie redire substantiam panis et vini, sed creari saltem materiam primam panis et vini quæ subjiciatur generationi substantiali. Ita Bellarminus, Suarez, De Lugo multique Thomistæ, quibus in hoc astipulantur communius cæteri theologi. D. Thomas, licet hanc sententiam non teneat, illam tamen habet ut probabilem. « Nisi forte dicatur, quod ipso ultimo instanti corruptionis specierum, redit, non quidem substantia panis et vini (quia illud idem instans est in quo primo habent *esse* substantiæ generatæ ex speciebus), sed materia panis et vini quæ magis de novo creata diceretur quam rediens, proprie loquendo. Et secundum hoc posset sustineri prædicta positio. »

201. « Verum quia non rationabiliter videtur dici, quod mira-

culose aliquid accidat in hoc sacramento, nisi in ipsa consecratione [1], ex qua non est, quod materia creetur, vel redeat, melius videtur dicendum, quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ, et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia panis et vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. » 3 p. q. 77, a. 5, o. Idem habet, IV *Cont. Gent.* 66 [2].

[1] Non videtur tamen quod in sententia Bellarmini et aliorum, necessario intercidat novum miraculum; quia dici potest, Deum, corruptis speciebus, introducere via creationis materiam ex qua aliquid generetur; et hoc sine miraculo. « Sicut enim cum disposita est materia corporis humani sufficienter, Deus animam creat et infundit, non miraculo, sed vi ordinis et legum ab ipso institutarum: ita etiam quando per alterationem specierum panis eo venitur, ut adsint dispositiones requisitæ ad aliquam formam introducendam, exigente ordine rerum, Deus materiam substituit, et in illo ipso instanti ab agente naturali, mediantibus dispositionibus præmissis, introducitur forma substantialis. » Bellarm., III *De Sacramento Euch.*, cap. 24.

[2] Quonam autem sensu intellexerit D. Thomas, fieri generationem ex quantitate tanquam ex subjecto, non est facile definire; prædicta enim illius verba duplicem sensum habere possunt: primus quem verba specie tenus præ se ferunt, est quod sola quantitas est subjectum hujus generationis, quin convertatur in materiam, vel redeat aliquo modo substantia panis et vini; unde res genita non constat ex forma et propria materia, sed ex forma et quantitate, quæ, tempore consecrationis, accepit miraculose vim et proprietatem ad supplendas omnes materiæ vices. Ita interpretati sunt D. Thomam multi ejus discipuli, præsertim Ferrariensis in IV *Cont. Gent.* 66.

Alii vero opinionem D. Thomæ in illo sensu intellectam habent uti incredibilem; nam alioqui compositum consurgens ex quantitate esset novum miraculum, scilicet ens compositum ex forma substantiali et accidente sine materia, imo illud miraculum perduraret quandiu non destrueretur quantitas, quæ usque ad mundi finem perdurare potest et successive transire de uno subjecto in aliud. Unde dicunt, quantitatem gerere vices materiæ, solum in receptione dispositionum præviarum ad generationem; positis autem hisce dispositionibus, quantitas convertitur in materiam quantam, ex qua proxime fit generatio. Ex vi institutionis atque consecrationis sequitur hæc conversio, et quantitas sic conversa habet quod suppleat absentiam materiæ. Ita D. Thomam exposuerunt Capreolus, Cajetanus, Soto, Sylvius, Gonet, Billuart. Et huic interpretationi aperte favet D. Thomas in IV, dist. 12, q. 7, a. 2, q. 4 ad 4: « Secundum quamlibet positionem oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum et aliquid naturale: reditus substantiæ, vel creatio

ARTICULUS III

DE MODO QUO CHRISTUS EST SEU PERMANET IN EUCHARISTIA

Dicemus 1° de iis quæ sunt sub singulis speciebus; 2° de iis quæ sunt in qualibet parte specierum; 3° de iis quæ Christus, prout est in Eucharistia, pati et agere potest; 4° an permaneat aliquandiu sub speciebus; 5° quomodo desinit esse Christus sub speciebus; et 6° de apparentibus mutationibus in Eucharistia.

PARAGRAPHUS I

DE HIS QUÆ SUNT SUB SINGULIS SPECIEBUS

Inquiri potest 1° utrum totus Christus sit sub speciebus; 2° an ibi sint accidentia Christi; 3° utrum corpus Christi sit in Eucharistia sicut in loco; 4° quid ex vi verborum, quid concomitanter sit sub speciebus?

SECTIO I

UTRUM TOTUS CHRISTUS SIT SUB SPECIEBUS

202. Errores. Nestorius, quia duas in Christo confitebatur personas, consequenter negavit, divinitatem esse in Eucharistia. Intinctores, quos Julius I damnavit (cap. *Cum omne*, *De Con-*

materiæ, vel conversio dimensionum in materiam est miraculum; sed quod materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones præcesserant in dimensionibus, hoc est naturale. » Et supponit, IV *Cont. Gent.* 63, ubi dicit, esse inconveniens, si aliquid de natura corporea primo creata deperderetur; quod in præsenti certe occurreret, si non rediret, aut per creationem, aut per conversionem quantitatis in ipsam materiam panis et vini quæ destructa fuit vi transsubstantiationis. Sed adhuc magis explicite, 3 p., q. 77, a. 6, 0 : « Species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam. quæ ex eis generetur. » Et ad 2 : « Species sacramentales etsi non sint ea ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur. »

Ideo, juxta D. Thomam, quantitas dimensiva, licet non habeat materiam, habet tamen per virtutem Dei actum et vim substantiæ, ita ut ex illa conversione resultet alia substantia perinde ac si remansisset substantia panis et vini, et inde supponit, hanc quantitatem habere vim et proprietatem, ut convertatur in materiam novæ substantiæ, sicut in ipsam fuisset conversa panis et vini materia. Propterea, 3 p., q. 77, a. 5 ad 3, dicit, quantitatem posse transire in substantiam et dimensionem; transiret autem tantum in dimensionem, si standum esset expositioni Ferrariensis et aliorum.

secr. dist. 2) intingebant species panis in speciebus vini ad complementum communionis, falso existimantes, sanguinem non esse nisi sub speciebus vini. Contra quos :

PROPOSITIO

Christus est totus sub singulis speciebus.

203. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6 : *Ego sum panis vivus... Qui manducat me, vivet propter me.* Pronomen *ego* vel *me* significat totam personam loquentis, non vero partem illius. Ergo [1].

204. 2° SS. *Patribus.* S. Ambros. *De Myster.* cap. 9 : « In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi. » S. Cyrill. Hier. dicit, *Catechesi* 4, Christianos, manducando corpus Christi, fieri Christiferos. S. Augustinus, serm. *De verbis Apost.*, docet eumdem Christum qui in cœlo sedet, esse in altari. Eadem docent S. Dionys. *De Eccl. hierarchia*, 3, S. Greg. Nazianz. orat. *De S. Gorgonio*, etc., etc.

205. 3° *Conciliis.* Constant. sess. 13, et Basileensis sess. 30, hæc veritas dicitur firmissime et sine dubitatione tenenda. Florent. *in Decreto :* « Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini ; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Trident. sess. 13, can. 1, jam superius recitato (94), et can. 3 : « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ, sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri : anathema sit. » Idem docet cap. 3 ejusdem sess., et cap. 3 sess. 21.

206. 4° *Praxi Ecclesiæ.* Ecclesia Christum totum veneratur atque deprecatur sub singulis speciebus ; et communionem fidelibus porrigit sub specie panis tantum ; et in liturgia canit :

Caro cibus, sanguis potus : manet tamen Christus totus sub utraque specie. *(Prosa missæ festi Corporis Christi.)*

207. 5° *Ratione. Primo, ex unione hypostatica. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* 6, 9) ; ideo de fide est, corpus et animam Christi esse sub singulis speciebus conjuncta. At vero in tra-

[1] Alia testimonia referemus infrà, ubi de communione sub utraque specie.

ctatu de Incarnatione ostensum est, unionem humanitatis Christi cum Verbo esse penitus indissolubilem, ita ut persona Verbi, etiam triduo mortis, fuerit conjuncta corpori Christi; unde illud vulgare Patrum : *Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit.* Ergo ubi est corpus vel anima Christi, et ibi est quoque persona Verbi, ac proinde totus Christus.

Secundo, ex statu glorioso Christi. Nullatenus decet ut corpus Christi gloriosum et divinum sit alicubi exanime, aut sine unione ad Verbum. Ergo a fortiori hoc non decet in Eucharistia, quum in hoc sacramento sit ad homines spiritualiter nutriendos vivificandosque; hanc autem vim caro Christi habet ex sua unione ad Verbum, ut docet concil. Ephesinum.

COROLLARIUM

208. Quapropter in Eucharistia sunt omnes partes integrantes corporis Christi, uti capilli, humores, etc.; corpus enim Christi non est mutilum, neque monstrosum, sed pulchrum et ornatum, maxime autem in statu gloriæ. Probabilius etiam in ipso est aliena substantia, si forte inveniatur in corpore glorioso, v. g. aer, vel alia substantia ad loquendum aptata. Sed res mere extrinsecæ et accidentaliter Christo adjunctæ, uti vestes, cibus non adhuc in stomacho coctus et non adhuc conversus in carnem vel sanguinem, prout accidit in ultima Cœna, etc., non sunt, neque fuerunt in Eucharistia, quando suum corpus Dominus porrexit Apostolis. Hæc enim omnia neque ad compositum, neque ad ornatum corporis Christi pertinebant.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

209. *Obj.* 1° Christus dicitur simpliciter jacuisse in sepulcro, quamvis ibi non fuerit sanguis, neque anima. Ergo a pari dici potest simpliciter præsens in Eucharistia, sub una specie, licet ibi totus non sit.

Resp. Nego conseq. et parit. Locutiones non sunt nude et abstracte considerandæ, sed juxta intentionem loquentium, et omnibus circumstantiis pensatis. Sic autem constat, Christum fuisse locutum de seipso vivente et perfecto Deo et homine, cum dixit: *Qui manducat me... Panis Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo... Ego sum panis vivus qui de cœlo de-*

scendi, etc. Dici enim potest panis vivus, quia in eo datur caro ejus viva, non mortua; et de cœlo descendisse dicitur, propter Verbi personam; humanitas enim in se sumpta non proprie diceretur de cœlo descendisse. Atque, ut facile videre est, idem est sensus SS. Patrum.

210. *Obj.* 2° Nihil debet esse frustra in Eucharistia. Porro si Christus est totus sub utraque specie, alterutra species est frustra; hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute ejus quod sub speciebus continetur. Ergo.

Resp. Nego min. Hoc sacramentum fuit sub utraque specie institutum maxime ob rationem sacrificii, quod, ex institutione Christi, non consistit in consecratione unius speciei, sicut in secunda parte ostendemus; nam ita repræsentatur passio Christi in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione. Deinde in Eucharistia corpus Christi præsertim offertur pro salute corporis nostri, et sanguis pro salute animæ, quia, ut dicitur *Levit.* 17, *anima carnis in sanguine est.* Vide 3 p. q. 74, a. 1, o, et q. 76, a. 2, ad 1.

Inst. Sub nomine corporis comprehenduntur omnes ejus partes, uti ossa, nervi, etc. Porro sanguis est pars corporis humani; propterea angeli, tempore resurrectionis Christi, ejus sanguinem collegerunt. Ergo, sicut non consecratur seorsum altera pars corporis Christi, sic neque sanguis debet consecrari seorsum.

Resp. Nego conseq. et parit. « In passione Christi, cujus hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliæ partes corporis ab invicem separatæ, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur *Exodi* 12, 46 : *Nec os illius confringetis.* Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia. » 3 p., q. 76, a. 2. ad 2.

SECTIO II

UTRUM SUB SPECIEBUS SINT ACCIDENTIA CORPORIS CHRISTI

211. I. Ponitur quæstio. Nulla est difficultas de accidentibus animæ Christi, utpote spiritualibus; nihil enim obstat quominus sint in Eucharistia, quum nec locum occupent, neque ab illo

pendeant, neque ab extrinseco agente, sed ab anima tantum pendent, ad cujus perfectionem pertinent, ac proinde illam comitantur, ubicumque existat. Punctum vero controversiæ est circa quantitatem et alia accidentia quæ, vel ratione illius, vel per ipsam substantiæ corporeæ insunt.

212. II. Duplex sententia. Durandus, Major, Gabriel, Ocham et alii pauciores censent, non esse in Eucharistia quantitatem corporis Christi, sed solam ac nudam materiæ substantiam ab anima informatam, et inde inferunt, neque remanere accidentia quæ materiæ insunt ratione quantitatis, puta color, odor, sapor, etc. Ratio est, quia corpus Christi non est in Eucharistia tanquam in loco, neque illum occupat : porro formalis effectus quantitatis est extensio in loco, seu illius quantitativa occupatio.

Attamen communis sententia tenet, corpus Christi in Eucharistia habere suam quantitatem, qua afficitur et vere quantum ibi constituitur. Ita D. Thomas, 3 p., q. 76, a. 4; Scotus, q. 1, § *De secundo;* S. Bonaventura, a. 1, q. 2; Alensis, 4 part. q. 7, memb. 3, a. 4 ; Soto, q. 2. a. 4 ; Ferrariensis, in IV *Cont. Gent.* 64 ; Suarez, in 3, disp. 51, sect. 2 ; De Lugo, *De Euchar.* disp. 5 ; Gonet, in 3, disp. 2, a. 2 ; Billuart, *De Euch.* dissert. 4, a. 2, etc.

PROPOSITIO

Corpus Christi in Eucharistia est cum sua quantitate.

213. Prob. 1° *SS. Patribus.* Patres semper docent, corpus Christi esse in Eucharistia, quale est in cœlo, aut quale erat in nocte Cœnæ, juxta verba Domini ipsius : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur.* Sed nec tradi potest corpus non affectum quantitate, nec effunditur sanguis, nisi liquidus, et consequenter tali modo quantitatis, talibusque dispositionibus temperatus. Ergo. Unde opinio quam impugnamus, est erronea, imo videtur temeraria Suarezio, « quia est contra mentem Doctorum, et sine ulla necessitate vel urgente fundamento admittit multa indecentia et absurda. »

214. 2° *Ratione. Primo, ex conjunctione quantitatis cum substantia.* Conc. Tridentinum, sess. 13, cap. 3, infert, corpus Christi esse in Eucharistia cum sua anima et divinitate, quia hæc

habent connexionem realem cum corpore ejus. Porro quantitas dimensiva corporis alicujus non separatur secundum *esse* a substantia ejus, cum ipsi inhæreat sitque ens substantiæ. Ergo tota quantitas dimensiva corporis Christi est in Eucharistia.

Secundo, ex informatione animæ. In Eucharistia est anima Christi conjuncta corpori, quod informat et vivificat. Atqui anima non conjungitur corpori ut ejus forma substantialis, quin ipsum habeat quantitatem; nam dispositio et organizatio quæ reddit corpus aptum ad animæ receptionem et informationem, non potest esse sine quantitate. Ergo.

Tertio, ex incommodis. Si corpus Christi esset in Eucharistia absque sua quantitate, existeret ibi sine ordine, decore et recta membrorum dispositione, confusum et monstrosum; pulchritudo enim corporis non est sine quantitate, cum supponat figuram, quæ est terminus quantitatis. Similiter, sublata quantitate, nec ordo partium, neque ipsæ partes supersunt. Porro hæc omnia consectaria dedecent corpus gloriosum Christi. Ergo. Vide Suarez, loco supra citato.

215. Attamen quantitas et alia corporis Christi accidentia sunt in Eucharistia, non vi sacramenti, sed vi realis concomitantiæ. Ex vi enim sacramenti, est in Eucharistia id in quod directe conversio terminatur. Conversio autem quæ fit in hoc sacramento directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones ejus; quod patet ex hoc quod quantitas dimensiva panis remanet, facta consecratione, sola substantia panis transeunte, 3 p. q. 76, a. 4, o.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

216. *Obj.* 1° Corpus Christi est sine extensione in Eucharistia. Atqui extensio est de essentia quantitatis. Ergo ibi est etiam sine quantitate.

Resp. Dist. maj. Sine extensione extrinseca et locali, *concedo;* sine extensione intrinseca et essentiali quantitati, *nego.* Eadem utor distinctione quoad minorem. Extensio interna est primaria atque essentialis proprietas quantitatis; est enim positio partium extra partes, vi cujus ab invicem distinctæ sunt et ordinatæ (*Ontolog.* 168); sic vi illius collum mediat inter caput et humeros, et ab utrisque distinctum est. Extensio autem externa seu localis radicatur utique in interna, tanquam in suo

principio, sed essentialiter ab ea differt, sicut effectus a causa; unde potest non esse, posita priore, sed non e converso. Sane externa extensio nihil aliud est quam extensio partium, non in ordine ad se invicem, sed ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, et alia alteri, cum actuali impenetrabilitate ac resistentia. Deinde hæc impenetrabilitas et resistentia non minus est de ratione quantitatis, quam ipsa extensio ad locum. Atqui tamen corpus Christi privatum fuit impenetrabilitate ac resistentia quando natus est de Maria Virgine, inviolato ejus claustro virginali, et e sepulcro, lapide obsignato, exivit, et ad discipulos, januis clausis, ingressus est [1].

217. *Inst.* 1° Totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiæ consecratæ. Sed nulla quantitas dimensiva tota continetur in aliquo toto, et simul in qualibet ejus parte. Ergo.

Resp. Dist. min. Si quantitas in ipso sit secundum suiipsius proprium essendi modum, *concedo;* si in ipso sit secundum alienum essendi modum, *nego.* Porro quantitas dimensiva corporis Christi est in Eucharistia, non secundum suiipsius modum, sed per modum substantiæ, quum ibi sit per concomitantiam et vi suæ inhærentiæ substantiæ corporis ; quemadmodum dulce quod intrat in visu per album cui alligatur, est ibi, non secundum dulcedinis modum, sed juxta modum albedinis : unde concil. Tridentinum, sess. 13, cap. 1, docet Christum « multis in locis sacramentaliter sua præsentia nobis adesse. » Sed substantiæ natura est tota in toto, et tota in qualibet parte, sicut tota ratio albedinis, invenitur in singulis albi partibus. Ergo.

218. *Inst.* 2° Verbum et anima Christi sunt in Eucharistia quoque per concomitantiam. Atqui tamen ibi sunt juxta suum proprium essendi modum, non autem juxta modum substantiæ corporis Christi. Ergo a pari quantitas, licet ibi est per conco-

[1] Durandus, Œcolampadus et quidam alii dicunt Christum fuisse ingressum per fenestram, vel alium aditum. Calvinus dicit, Christum fuisse ingressum, januis clausis, eo sensu quod ipse virtute divina, non autem Apostoli, eas aperuerit. Sed illæ expositiones opponuntur Patribus et Scripturis ipsis. Nam S. Joan. hunc Christi ingressum tanquam miraculum inculcat; et S. Lucas (cap. 24) dicit, Apostolos primum æstimasse esse spiritum, propter modum apparitionis; quod certè non cogitassent, si Christus per fenestram, vel alium aditum quem ipse aperuisset, fuisset ingressus.

mitantiam, et ibi est juxta proprium suum essendi modum.

Resp. Nego conseq. et parit. Verbum enim et anima Christi sunt substantiæ, dum quantitas est accidens, quod ideo participat de modo essendi substantiæ cui inhæret.

219. *Inst.* 3° In creatione corporis, quantitas fit per concomitantiam, quum actio creativa terminetur ad substantiam. Atqui tamen quantitas, ex vi creationis, non privatur suo modo essendi, sed potius illum sortitur. Ergo a pari, ex vi transsubstantiationis, obtinet suum proprium essendi modum, quia concomitantia nihil aliud est quam resultantia naturalis.

Resp. Nego conseq. et parit. Nam, ex vi creationis, quantitas corporis non ponitur separata ab eo, sed potius conjuncta ipsi, dum, ex vi transsubstantiationis, poneretur separata, sicut anima, Verbum et omnia quæ ibi sunt per concomitantiam, quæ reapse in Eucharistia non essent, si corpus Christi non esset impassibile, atque unio hypostatica non esset indissolubilis. Ideo transsubstantiatio, ex se, omnia hæc potius separat e corpore Christi, dum creatio, ex se, quantitatem cum substantia copulat.

220. *Obj.* 2° Impossibile est ut duæ quantitates dimensivæ sint simul. Porro in Eucharistia remanet quantitas dimensiva panis. Ergo ibi esse non potest quantitas dimensiva corporis Christi.

Resp. Dist. maj. Si essent ambæ secundum proprium suum essendi modum, *concedo;* secus, *nego.* Porro quantitas dimensiva panis est in Eucharistia juxta proprium modum, scilicet juxta quamdam commensurationem; dum quantitas dimensiva corporis Christi est ibi per modum substantiæ.

221. *Inst.* Si quantitas dimensiva corporis Christi esset in Eucharistia, non esset major quantitate dimensiva panis consecrati, quum nullatenus sit extra species. Atqui hoc falsum est. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si esset ibi juxta proprium suum essendi modum, *concedo;* secus, *nego.* « Quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati ad quam pertinet, quod major quantitas extendatur ultra minorem, sed est ibi per modum jam dictum (in corp. et ad 2). » 3 p., q. 76, a. 4, ad 3.

SECTIO III

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN EUCHARISTIA SICUT IN LOCO

222. Prænotanda. *Primo*, corpus potest dici præsens in loco tripliciter, scilicet *circumscriptive*, *definitive* et *sacramentaliter*. Circumscriptive præsens est, quando ejus quantitas commensuratur ad locum, ita ut partes corporis correspondeant partibus loci; sic corpora omnia sunt naturaliter præsentia in spatio. Definitive præsens est, quando non occupat locum, sed tamen ita in ipso est, ut non sit extra illum; sic anima humana præsens est in corpore, et angeli præsentes sunt in aliquo loco. Sacramentaliter præsens est, quando non occupat locum et potest esse extra illum. Hic ultimus modus existendi neutiquam occurrit in ordine naturali, et invenitur tantum in Eucharistia. Unde philosophi ethnici ne illum quidem suspicati sunt. Convenit tamen sacramentalis præsentia cum circumscriptiva, inquantum determinatur per aliquid corporeum ac visibile, scilicet per species, et cum definitiva, inquantum tota corporis Christi substantia est tota sub totis speciebus, et tota sub singulis eorum partibus. Differt autem a prima in quantum non commensuratur per locum, et a secunda, in quantum non restringitur ad unum locum.

Secundo, si præsentia realis sumatur in sensu lato, quatenus res aliqua adest hic potiusquam alibi, corpus Christi potest dici præsens in Eucharistia tanquam in loco, ut patet. Si autem in pressiori sensu sumatur, quatenus præsentia localis sit occupatio loci, adeo ut res localiter præsens situm habeat atque alias substantias expellat a loco quem occupat, corpus Christi non potest dici præsens in Eucharistia ut in loco.

PROPOSITIO

Christus non est in Eucharistia tanquam in loco.

223. Prob. 1° *Concil. Tridentino*, quod, sess. 13, cap. 1, ita habet: « Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster, semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem: et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem

tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus. » Unde præsentia Christi in Eucharistia, longe diversa est ab illius præsentia naturali in cœlis, atque adeo admirabilis est, ut vix exprimi possit. Porro si esset localis, non esset longe diversa ab illius præsentia in cœlis, nec ineffabilis, neque esset opus fidei ad ejus possibilitatem cogitandam. Ergo.

224. 2° *Ex Catechismo Romano.* « Christus Dominus in hoc sacramento, ut in loco, non est : etenim locus res ipsas consequitur, ut magnitudine aliqua præditæ sunt. Christum vero Dominum ea ratione in sacramento esse non dicimus, ut magnus aut parvus est, quod ad quantitatem pertinet, sed ut substantia est. Substantia enim panis in Christi substantiam, non in magnitudinem aut quantitatem convertitur. Nemo vero dubitat, substantiam æque in parvo atque in magno spatio contineri ; nam et aeris substantia totaque ejus natura sic in parva ut in magna aeris parte, itemque tota aquæ natura non minus in urnula, quam in flumine insit necesse est. Cum igitur panis substantiæ corpus Domini nostri succedat, fateri oportet, ad eumdem plane modum in sacramento esse, quo erat panis substantia ante consecrationem ; ea vero utrum sub magna, an sub parva quantitate esset, nihil ad rem pertinebat. » 2 p. cap. 4, n. 43. Vide etiam 3 p., q. 76, a. 1, ad 3.

225. 3° *Ratione. Primo, ex modo essendi in loco.* Esse in loco est accidens per comparationem ad continens extrinsecum. Porro Christus in sacramento Eucharistiæ, vi concomitantiæ, habet quidem sua intrinseca accidentia (213 et seq.), nullo autem pacto habet ea quæ sunt extrinseca ; quum ibi sit modo supernaturali, et juxta substantiæ modum, præcise eo fine ut lateat sensibus, et sola fide apprehendatur. Ergo.

Confirmatur. Substantia panis erat in loco, mediante quantitate quæ ipsi inhærebat, et per quam loco comparabatur. « Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum, mediantibus dimensionibus alienis, ita quod e converso dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum, mediante substantia : quod est contra rationem corporis locati. Unde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter. » 3 p. q. 76, a. 5, o.

226. *Secundo, ex inconvenientibus.* In primis « oportet, locum

et locatum esse æqualia, ut patet per philos. IV *Physicorum*. Sed locus ubi est hoc sacramentum, est multo minor quam corpus Christi. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco. » 3 p. q. 76, a. 5. Deinde, si Christus esset in Eucharistia tanquam in loco, varios situs successive haberet, prout moverentur species; nam situs est consectarium occupationis loci; et sic illius caput modo sursum, modo deorsum, etc., se haberet: atqui hoc majestatem sacramenti et Christi dedecet. Præterea corpus Christi est totum in qualibet parte specierum, uti mox ostendemus : atqui, si esset in speciebus tanquam in loco, non posset esse totum in singulis partibus; tunc enim partes corporis se invicem excluderent ab eodem puncto spatii. Demum præsentia totius corporis Christi naturaliter pugnaret etiam cum quantitate specierum, easque e suo loco expelleret, nisi speciali miraculo divinitus impediretur. Atqui hoc est præter finem et rationem hujus mysterii. Ergo.

227. *Nota*. « Attamen Hugo a S. Victore et S. Bonaventura addunt, quamvis Christus in hoc sacramento non habeat positionem seu figuram partium in ordine ad locum, pie tamen posse a fidelibus cogitari seu apprehendi sub figura crucifixi, vel alia simili, quia quælibet pars corporis Christi est in qualibet parte hostiæ. Quod intelligendum est de simplici et veluti apprehensione præcisiva, non de compositiva, affirmante hujusmodi figuram de corpore Christi sub sacramento existente, » Suarez, in 3, disp. 48, sect. 1, n. 25.

COROLLARIUM

228. Quocirca præsentia Christi in Eucharistia, ut jam inculcavimus, est omnino supernaturalis et supra omnem intellectum creatum; nam, ut dicemus infra, nec ab angelico quidem intellectu potest naturaliter videri, quia corpus Christi in Eucharistia nec circumscriptive, neque definitive præsens est : et licet non sit extra species, nec in alia parte altaris, « non pertinet ad hoc quod sit ibi definitive vel circumscriptive, sed ad hoc quod incœpit ibi esse per consecrationem et conversionem panis et vini. » 3 p. q. 76, a. 5, ad 1.

Unde si consecraretur panis replens totum orbem terrarum, et in toto orbe terrarum esset substantia corporis Christi, imo, si possibilis esset panis replens spatium, substantia corporis Chri-

sti, per illius panis consecrationem, esset substantialiter præsens singulis spatii punctis. Et sic iterum patet cur ratio humana non possit per se et a priori hujusmodi præsentiæ possibilitatem cogitare. Attamen quasdam illius adumbrationes invenit, tum in naturali, tum in supernaturali ordine : sic enim hodie potentissimis instrumentis quædam corpora latius extensa coarctantur intra exiguissimi spatii limites, quin aliquid de sua quantitate intrinseca amittant. Sic, *Matth.* 19, *Marci* 10 et *Lucæ* 18, Dominus dixit : *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Porro camelus non potest per foramen acus transire, nisi locum non occupando, alioqui majus esset minus suo minore[1]. Ergo.

Idcirco, ad solvendas difficultates, non est necesse, imo non est possibile directe et evidenti ratione naturali ostendere existentiam et naturam illius modi præsentiæ, sed satis est ostendere, nihil adduci posse quod evidenter demonstret, illud mysterium esse impossibile; nihil enim amplius exigi potest in mysteriis fidei.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

229. *Obj.* 1° Corpus quantitate dimensiva affectum est essentialiter extensum ac divisibile, et ideo non potest constitui indivisibiliter in natura rerum. Porro ita se habet corpus Christi in Eucharistia. Ergo.

Resp. Dist. maj. Fundamentaliter et aptitudinaliter, *concedo;* formaliter et actualiter, *nego.* Utique quantitas est essentialiter

[1] Alii cum Theophylacto dicunt per camelum ibi intelligi funem nauticum. Sed nihil refert quoad præsentem quæstionem; nam funis nauticus nequit ita deprimi, ut naturaliter transeat per foramen acus. Alii cum venerabili Beda per foramen acus intellexerunt portam angustam Hierosolymæ, per quam camelus, nisi deposito onere et flexis genibus, transire non poterat. Sed hæc expositio est aliena a communi Patrum mente, uti videre est apud Cornelium a Lapide. Deinde non cohæret contextui et verbis Domini subdentis : *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* « Quomodo, inquit Bellarminus, ista impossibilia sunt apud homines, si poterat arte humana fieri, ut cameli genua flecterent et intrarent? Præterea Christus ita fando usus est proverbio Judæorum, quo adhuc utuntur Thalmudistæ, et de foramine acus proprie dicti intelligunt. Similia proverbia significantia rem esse impossibilem multa adhibebant Judæi, et huic mori annuens Jesus Christus dixit, *Matth., 7, 3 : Quid autem vides festucam in oculo fratris tui : et trabem in oculo tuo non vides?*

divisibilis, et ex se postulat extensionem in loco; at vero actu occupare locum divisibiliter non est illi essentiale, sed est veluti ejus effectus, quem non repugnat ab illa separari per divinam virtutem, quæ est prima radix et causa hujus mysterii. *Esse* enim extensum in loco supponit *esse* extensum in se, atque naturaliter ab ipso veluti dimanat : porro omnipotentia Dei potest hanc dimanationem cohibere; ergo, etc.

230. *Obj.* 2° Corpus Christi in Eucharistia retinet suam figuram, nam figura est terminus quantitatis. Porro figura intelligi non potest sine extensione in ordine ad locum. Ergo.

Resp. Dist. maj. Intrinsecam et organicam, *concedo;* extrinsecam et situalem, *nego.* Eamdem distinctionem affero ad minorem. Nam sicut quantitativa præsentia corporis in spatio est quidam modus habens suam propriam extensionem, ita in ea intelligi potest propria figura. Unde hæc extrinsece pendet ab extensione in loco, et solum mediante illa convenit quantitati : prior autem intrinsece pendet a quantitate secundum se, et ratione extensionis ac compositionis quam in se habet, priusquam intelligatur locum occupare. Christus igitur, in Eucharistia, habet intrinsecam et organicam figuram, non vero extrinsecam, situalemque. Sic manus plicata diversam habet figuram in ordine ad locum, quamvis semper eamdem figuram organicam retineat; et idem fere videre est in corpore hominis stantis, vel sedentis.

231. *Obj.* 3° Si corpus Christi esset indivisibiliter in loco, non magis una pars ab alia distaret quam reliquæ, v. g. manus a capite, quam humerus. Atqui hoc repugnat; alioqui enim nulla pars mediaret inter alias, et ita, non ordo, sed confusio esset in corpore Christi.

Resp. Dist. maj. Non magis distaret, distantia locali et extrinseca, *concedo;* distantia quantitativa et intrinseca, *nego.* Ratio distinctionis sat patet ex antea dictis.

SECTIO IV

QUID EX VI VERBORUM, ET QUID CONCOMITANTER SIT SUB SPECIEBUS PANIS ET VINI?

232. I. Ponitur quæstio. Id dicitur esse ex vi verborum in Eucharistia, cujus præsentia necessaria est, ut verba sint vera, ac idcirco id quod directe ac præcise significatur per verba.

Veritas enim et efficacia verborum respondet significationi eorum, quia in Eucharistia, sicut in cæteris sacramentis, verba formæ efficiunt quod significant. Econtra igitur per concomitantiam in Eucharistia esse dicitur quidquid ponitur, quin directe et præcise significetur per verba; unde ponitur ex vi conjunctionis cum eo quod ponitur vi verborum. Lutherus hanc distinctionem irrisit; sed concil. Tridentinum, sess. 13, cap. 3, eam approbavit.

233. — II. Exponuntur sententiæ. Inter theologos catholicos movetur quæstio an Christi anima sit sub specie panis vi verborum? Quidam opinati sunt negative, quia sola materia prima corporis Christi satis est ad veritatem formæ. Sed hæc sententia vix sustineri potest; nam corpus omne, non tantum materia, sed etiam forma substantiali coalescit; unde, ut stet veritas verborum formæ, atque producant id quod significant, non satis est quod sit materia corporis vi verborum. Scotistæ, quia admittunt in homine, præter formam animæ, aliam formam corporeitatis, quæ, juxta ipsos, remansit in corpore Christi, triduo mortis, consequenter hanc solam corporeitatis formam esse in Eucharistia, vi verborum, inferunt. Sed hæc sententia innititur falso systemate, quod late impugnat Suarez in sua Metaphys., et rejiciunt communiter Thomistæ. Alii existimant, animam Christi, etiam quatenus animam, scilicet quoad gradum vitæ animalis, esse sub specie panis vi verborum, quia Christus de suo corpore vivo dixit: *Hoc est corpus meum.* Corpus autem non est vivum, nisi per animam. Sed hæc opinio consistere non potest cum doctrina concilii Tridentini, quod, sess. 13, cap. 3, aperte docet, animam esse sub utraque specie, per concomitantiam. Sane corpus Christi non est vivens in Eucharistia, vi verborum, alias enim includeret quoque sanguinem: quod est manifeste contra Concilium. Deinde in forma consecrationis nulla fit mentio vivi, nec mortui, sed corporis quod, ut sic, ab utroque statu præscindit. Nec vox *meum*, neque tota forma prolata a Christo vivente determinat significationem ad corpus vivum, sed solum ad corpus proprium, de quo tanquam de uno et eodem ipsemet homo vivens loqui potest, præscindendo ab illius vita aut morte: sicut enim Christus dixit: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, potuisset addere: *Sepelietur et resurget.* Ita loquuntur Patres de hoc sacramento, dicentes, illud

corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pependit in Cruce, jacuit in sepulcro, et gloriosum resurrexit. Missis igitur hisce sententiis, germanam doctrinam sequentibus propositionibus complectimur.

PROPOSITIO I

Ex vi verborum, corpus Christi est sub specie panis, et sanguis ejus, sub specie vini.

234. Prob. 1° *Concil. Trident.*, quod, sess. 13, cap. 3, ita habet : « Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie, ex vi verborum, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. »

235. 2° *SS. Patribus.* « Non omnia eadem ratione aut virtute in hoc sacramento continentur. Quædam enim sunt quæ ex vi et efficientia consecrationis in sacramento esse dicimus ; nam quum verba illa efficiant quidquid significant, id esse in sacramento ex vi sacramenti divinarum rerum scriptores appellarunt quod verborum forma exprimitur : ita, si contingeret, ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctim esset, id solum quod forma significaret, in sacramento esse, cætera non item esse docuerunt. » *Catechism. Rom.*, 2 p., cap. 4, n. 34.

PROPOSITIO II

Anima Christi est etiam sub specie panis, ex vi verborum, quatenus dat esse corporeum, non autem quatenus anima.

236. Prob. *Ratione. Primo, ex significatione verborum.* Verba formæ significant corpus Christi. Porro corpus Christi coalescit materia et forma ; forma autem alia non datur præter animam ; sed anima quatenus anima est in Eucharistia ex vi concomitantiæ tantum, ut docet concil. Tridentinum. Ergo significatur a verbis quatenus dat *esse* corporeum.

Secundo, ex termino conversionis. Conversio quæ fit per consecrationem, est transsubstantiatio. Atqui transsubstantiatio terminatur ad totum compositum substantiale, nempe ad materiam ab aliqua forma specificatam. Ergo. Et hæc est aperta D. Thomæ sententia: « Anima est forma corporis dans ei totum ordinem *esse* perfecti, scilicet *esse*, et *esse* corporeum, et *esse* animatum, et sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat *esse* corporeum, non autem secundum quod dat *esse* animatum tali anima. 3 p., q. 75, a. 6, ad 2.

Quæritur an totus sanguis Christi sit sub specie vini?

237. Quia Dominus noster dixit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis tradetur*, existimarunt aliqui non esse sub specie vini, ex vi verborum, nisi sanguinem effusum in passione, non vero sanguinem qui forsan in arteriis et corde remansit; sed hæc interpretatio videtur opposita concilio Tridentino, quod sine ulla restrictione dicit, sanguinem Christi esse in calice, ex vi verborum. Nec consistere potest cum obvio sensu verborum Christi; nam incidens propositio non fuit addita ad limitandam quantitatem sanguinis consecrandi, sed ad commendandum valorem et efficaciam hujus sanguinis, et indicandum finem propter quem illa consecratio fit, scilicet in memoriam nostræ redemptionis, quæ effusione illius sanguinis peracta est. Deinde communius et magis pie creditur, Christum in passione totum effudisse sanguinem suum ad nostram salutem, cujus rei testes sunt aqua et sanguis, quæ de aperto illius latere exiverunt.

PROPOSITIO III

Corpus Christi est sub specie vini, et sanguis ejus est sub specie panis, per concomitantiam.

238. Prob. 1° *Concil. Tridentino*, sess. 13, cap. 3 jam citato (234).

2° *Consensu unanimi Doctorum.*

3° *Ratione. Primo, ex verborum significantia.* Verba consecrationis panis nihil significant de sanguine, et vice versa, verba consecrationis vini nihil significant de corpore. Porro, ex una

parte, constat, esse in Eucharistia, ex vi verborum, ea tantum quæ significantur per illa (236); et, ex altera parte, constat, totum Christum esse sub singulis speciebus (203 et seq.). Ergo.

Secundo, ex fine binarum specierum. Eucharistia fuit instituta, ut sit expressa mortis Christi repræsentatio. Porro sicut effusione sanguinis et ejus separatione a corpore effecta est mors, ita Christus voluit, ut corpus et sanguis, ex vi verborum, seorsim consecrentur; quia enim reipsa jam separari nequeunt, decuit ut separatio saltem in modo et ex vi consecrationis repræsentaretur. Ergo. Unde si in triduo mortis Christi, « fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, et sub speciebus vini, sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate. » 3 p., q. 76, a 2, o.

239. *Dices :* Sub specie panis sunt, ex vi verborum, omnes partes corporis humani. Porro sanguis est pars corporis humani, non minus quam ossa, nervi et caro. Ergo.

Resp. 1° *Nego maj.* Corpus consecratur, ex vi verborum, non ut constans ex sanguine, sed præcise ut est quid separabile ab ipso; unde sanguis seorsum a corpore consecratur. 2° *Dist. min.* Est pars corporis vivi, saltem in proxima potentia, *concedo* (non desunt tamen qui opinentur, sanguinem non esse formaliter et actu partem corporis); est pars corporis humani utcumque sumpti, *nego:* non est enim pars corporis mortui. Porro corpus Christi, prout est in Eucharistia, abstrahit a mortuo et vivo; et ideo sanguis non est sub specie panis, ex vi verborum.

PROPOSITIO IV

Anima et divinitas Christi sunt in Eucharistia per concomitantiam.

240. Prob. 1° *Concil. Trident.* Vide n° 234.

2° *Ratione. Primo, ex significatione verborum.* Ea tantum sunt in Eucharistia, ex vi verborum, quæ directe significantur per verba. Atqui anima et divinitas, etc.

Secundo, ex termino conversionis. Ea tantum sunt in Eucharistia, ex vi verborum, ad quæ immediate terminatur actio conversiva. Atqui, etc. Unde quia anima Christi fuit revera a corpore separata, triduo mortis, si, eo tempore, Apostoli confecissent Eucharistiam, nec ex vi verborum, neque per conco-

mitantiam anima fuisset in hoc sacramento ; bene vero divinitas, quia illius unionem hypostaticam cum anima et corpore mors nullo pacto valuit solvere.

Quæritur an Pater et Spiritus Sanctus sint etiam in Eucharistia per aliquam concomitantiam ?

241. Dictum est, in tractatu de Incarnatione, Patrem et Spiritum Sanctum, vi circuminsessionis seu inseparabilitatis personarum, esse modo speciali in humanitate Christi, ita ut, si, per impossibile, non forent ubique, ratione immensitatis, nihilominus essent in humanitate Christi. Sunt igitur, eadem ratione, in Eucharistia, quum in ipsa sit humanitas Christi. Deinde quia peculiari modo producuntur in Eucharistia mirabiliores gratiæ effectus, et ibi peculiari modo esse debent Pater et Spiritus Sanctus ; siquidem opera ad extra sunt totius Trinitatis. In hoc conveniunt omnes Theologi.

242. At vero illa præsentia Patris et Spiritus Sancti in Eucharistia fitne per aliquam concomitantiam ? Affirmant Suarez, Vasquez, De Lugo, etc., dicentes, hanc concomitantiam esse *mediatam*, quatenus scilicet personæ divinæ habent naturalem connexionem inter se ; nam anima Christi et persona Verbi dicuntur esse in Eucharistia ex vi concomitantiæ, propter earum cum corpore unionem ; ergo, etc. Negant autem plerique Thomistæ, contendentes, hanc naturalem conjunctionem non satis esse ad concomitantiam sacramentalem, sed requiri, ut id quod conjungitur, in unitate suppositi conjungatur cum termino primario et formali conversionis, et cum illo constituat, vel pertineat ad idem suppositum ; et quum Pater et Spiritus Sanctus non uniantur hoc modo cum corpore et sanguine Christi, non sunt in Eucharistia per concomitantiam.

243. Controversia, ut patet, est tantum de nomine. Attamen dicendi modus Thomistarum videtur magis proprius, magisque concilio Tridentino consonare ; fundamentum enim concomitantiæ divinitatis reponit in unione hypostatica, quæ est solum cum Verbo. Atque etsi non expresse locutum est de Verbo, quum tamen adduxerit unionem hypostaticam, quæ respicit Verbum, eo ipso sat aperte mentem suam innuit. Quare sicut connexio quam, media natura divina, Pater et Spiritus Sanctus habent cum persona Verbi, non sufficit, ut dicantur terminare

mediate unionem hypostaticam, incarnari, concipi, nasci, etc., ita neque sufficit, ut dicantur esse per concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis et vini. Vide GONET, *De Eucharistia*, disp. 5, a. 1.

PARAGRAPHUS II

DE IIS QUÆ SUNT SUB QUALIBET PARTE SPECIERUM

Species eucharisticæ, utpote extensæ, habent partes quæ sunt vel divisæ, vel continuæ, prout post, vel ante specierum fractionem considerantur. Ideo inquiritur an totus Christus sit sub specierum partibus, sive post, sive ante divisionem?

PROPOSITIO I

Christus est totus sub singulis specierum partibus, post illarum divisionem.

244. PROB. 1° *Scriptura. Matth.* 26, *Marc.* 14, *Luc.* 22, Christus calicem consecratum porrexit omnibus et singulis Apostolis, non vero tot calices quot erant Apostoli, neque in eodem calice toties iteravit consecrationem; unde *Lucæ* 22, 17: *Accepto calice, gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos.* Verisimile est etiam, benedixisse atque consecrasse unum duntaxat panem, quem fractum distribuit Apostolis suis; unde nunc sacerdos, priusquam verba consecrationis proferat, recitat gesta Christi in institutione Eucharistiæ, et dicit de pane: *Benedixit, fregit deditque discipulis.* Porro singuli Apostoli sumendo dividebant partem specierum a reliquis partibus; et tamen certe totum Christum sumpserunt. Ergo.

245. 2° *SS. Patribus.* S. Hilarius, VIII *De Trinitate:* « Ubi pars est corporis, est et totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in ejus figura præcessit; de quo dicitur (Exod. 16): *Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit minus.* Non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis. » Hæc verba referuntur, cap. *Ubi pars, de Consecr. dist.* 2. S. Basilius, *Epist. ad Cæsaream Patritiam:* « Idem est virtute, sive unam partem quis accipiat, sive plures. » Alia testimonia videre est apud B. Canisium, *Catechism.*, tit. *De Eucharist.*, § 8.

246. 3° *Conciliis*. Huc redeunt testimonia superius adducta (205).

4° *Praxi Ecclesiæ*. Sacerdos in missa prorsus accipit corpus Christi, et tamen, ante sumptionem, frangit hostiam. Deinde quando deficit congruens hostiarum numerus, si tamen urgeat aliqua necessitas, partes hostiæ distribuuntur fidelibus tanquam vere continentes totum Christum. Tandem reliquiæ, et etiam minimæ particulæ quæ separantur ab hostia consecrata, magna veneratione sumi debent aut servari a sacerdote jejuno, tanquam corpus Christi continentes. Unde in prosa missæ corporis Christi :

> Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento,
> Tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.
> Nulla rei fit scissura : signi tantum fit fractura :
> Qua nec status, nec statura signati minuitur.

247. 5° *Ratione. Primo, ex natura conversionis*. Ibi est totus Christus, ubi esset substantia panis et vini, si non facta fuisset consecratio. Porro substantia panis et vini esset sub singulis partibus, si facta non fuisset consecratio. Ergo.

Secundo, ex incommodo. Si Christus non esset totus sub singulis partibus specierum, separatione facta, vel nullatenus ibi esset, vel ibi esset aliqua pars tantum Christi. Porro utrumque dici nequit : non primum, alioquin requireretur determinata quantitas panis et vini ad valorem consecrationis : non secundum, quia Christus non est in Eucharistia tanquam in loco (223 et seq.)

248. Cujus rei mirabilis imago habetur in voce humana, quæ multiplicatur ratione suscipientium eam, et tamen semper eadem, tota et integra permanet. Vel etiam in speculo, quod, si frangatur, non unam duntaxat objecti imaginem, sed tot imagines, quot sunt partes speculi fracti, totas et integras exhibet. Vel etiam in igne, cujus natura est semper tota et essentialiter eadem, quantumvis multiplicentur subjecta quibus insit.

PROPOSITIO II

Christus est totus sub quibuslibet partibus specierum, quantumvis exiguis, ante illarum separationem.

249. Prob. 1° *SS. Patribus*. Sicut supra, n° 245; nam in cap. *Ubi pars*, generatim dicitur, totum Christi corpus adesse, ubi est pars ejus : porro, ante divisionem, sub qualibet parte specierum est aliqua pars corporis Christi ; ergo ibidem est totum Christi corpus.

250. 2° *Concil. Tridentino*, sess. 13, cap, 3 : « Totus et integer Christus sub panis specie, et sub qualibet ipsius speciei parte, totus idem sub vini specie, et sub ejus partibus existit. » Licet Concilium non definiat expresse, Christum esse totum sub qualibet speciei parte, ante separationem, sicut canone 3 definivit esse, separatione facta, attamen cum prædictam assertionem simpliciter proferat, sat mentem suam aperuit. Nihil præterea addidit, ut, ex more suo, non damnaret catholicos theologos qui in contrarium sentiebant.

251. 3° *Ratione. Primo, ex præcedenti propos.* De fide est, sub singulis partibus hostiæ consecratæ, separatione facta, contineri totum Christum. Ergo et ante separationem sub illis totus continetur. Antecedens constat e præcedenti propositione. Consequens probatur, quia separatio partium non dat novam consecrationem. Ergo, si Christus non est sub singulis partibus ante separationem, neque sub eis erit totus, separatione facta. Confirmatur, quia si in uno calice misceatur vinum in pluribus calicibus seorsim consecratum, permanebit totus Christus sub singulis partibus ita unitis; ergo, etc.

Secundo, ex modo præsentiæ. Christus in Eucharistia est, non sicut in loco, neque ibi situm habet, neque major, neque minor est, sive magna, sive parva consecretur hostia (223 et seq.) Porro si non esset totus sub singulis partibus, esset ibi sicut in loco, et pars illius corporis responderet alicui parti loci ; imo corpus ejus esset planum, rotundum sicut hostia. Ergo.

Tertio, ex efficacia verborum. Verba formæ non minus in singulas partes materiæ, quam in totam massam cadunt ; siquidem una pars non convertitur, v. g. in caput, quin convertatur in pedes, etc., et alia, e converso, in pedes, quin convertatur in caput : hoc enim esset præter naturam mysterii et ministri intentionem, quia pronomen *hoc* significat tam continuas, quam discretas partes hostiæ, sicut quando consecratur acervus hostiarum ad communionem fidelium. Porro, ex vi formæ, Christus est totus sub tota quantitate panis. Ergo est etiam totus sub singulis illius partibus.

Quarto, ex natura conversionis. Transsubstantiatio est ex substantia in substantiam, adeo ut quantitas corporis Christi in sacramento sit per concomitantiam duntaxat, unde totum corpus Christi in hoc sacramento est juxta modum quo substantia

panis est sub dimensionibus suæ quantitatis. Porro tota ratio ac natura substantiæ panis est tota sub tota quantitate, et tota sub qualibet parte suarum dimensionum. Ergo. Quocirca præsentia corporis Christi in Eucharistia assimilatur præsentiæ animæ in corpore; anima enim, quoad essentiam et naturam, est tota in toto corpore et tota in singulis illius partibus, quantum augeatur illarum numerus.

COROLLARIUM

252. Hinc collucet quanto studio et pietate colligenda sunt fragmenta Eucharistiæ, ne conculcentur, vel pereant : quod aliunde diligentissime cautum est a lege ecclesiastica, uti videre est in Rubricis generalibus Missalis, et etiam in Jure canonico. Ita enim fert Rubrica : « Si deprehendat, post sumptionem corporis et sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant. » Juxta probabiliorem sententiam, cui Benedictus XIV, III *De sacr. Missæ*, cap. 17, n° 5, astipulatur contra De Lugo, disp. 15, n. 82, licet sacerdoti eas sumere in sacristia, dummodo adhuc indutus sit sacris vestibus. Sed probabilius ei non licet, post ablutionis sumptionem, sumere reliquias alterius sacrificii, nisi adsit periculum irreverentiæ; Rubrica enim loquitur tantum de reliquiis sacrificii, quæ idcirco ad ejus perfectionem pertinent. Vide S. Alphonsum. VI, n° 251.

Olim Summi Pontifices et Concilia graves pœnas intulerunt sacerdotibus, ex quorum negligentia aliquid de pretioso sanguine stillaverit, aut effluxerit vel in terram, vel etiam supra altare. Propterea quotiescumque sacerdos sanctissimas species tetigerit contactu physico, ex lege Ecclesiæ non satis est ut abstergat digitos linteo, sed debet eos aqua abluere. Aliunde, ut non detur locus huic incommodo particularum separatarum, quædam, priusquam magna hostia supponatur in patena ad sacrificium, vel parvæ hostiæ recludantur in ciborio ad communionem fidelium, sunt adhibendæ cautiones et media, quæ natura rei et maxime zelus erga venerabile Sacramentum sacerdoti vel ministro dictitat.

Quoad sanguinem, ita fert Rubrica *de defectibus in ministro occurrentibus :* « Si per negligentiam aliquid de sanguine

Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit, si usque ad tertium, linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum corporale, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapete, bene abluatur ut supra. »

Quoad corpus : « Si hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit mundetur, et aliquantulum abradatur : et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.

253. Nota. *Valde laudabilis est usus catilli.* In diœcesi Camberiensi et quibusdam aliis invaluit usus supponere ori communicantium catillum metallicum intus deauratum, aut saltem argentatum, ne in terram cadant particulæ hostiarum; sic collectas particulas sacerdos abstergit diligenter atque in calicem immittit, priusquam minister ablutionem infundat. Hic usus mihi videtur laudabilis atque pietati ac reverentiæ SS. Sacramento debitæ valde consonans.

Siquidem omnino compertum est experientia, haud posse sacerdotem, quantamcumque curam ac solertiam adhibeat, admodum frequenti populo communionem porrigere, quin fragmenta hostiarum sensibilia decidant : porro nonne potius est hujusmodi fragmenta suscipere in catillo mundissimo, ut consumantur a sacerdote, quam sinere ut cadant in terram, atque sub pedibus conculcentur? Ne SS. Sacramentum comburatur in incendio, vel in manus hæreticorum aut impiorum Ecclesiam invadentium incidat, licet, non tantum sacerdoti, sed etiam, si non suppetit sacerdos, laico non jejuno sumere et consumere sanctissimas species : imo Rubrica Missalis præcipit colligere sedulo hostiam quæ cadit in terram, atque radere partem pavi-

menti quam tetigerit ; quorsum igitur nefas erit colligere fragmenta, ne pereant atque conculcentur ?

Reponunt aliqui, non licere ut laicus deferat Sacramentum : porro, quia communiter laici sustinent ac deferunt catillum, deferunt Sacramentum, quando particulæ in ipso recipiuntur; ergo. Utique satius esset ut diaconus supponeret ori patenam, sicut tenetur facere quando ex officio ministrat sacerdoti celebranti , at quando deficit diaconus, nonne minus malum est, si a laico in mundissimo catillo suscipiatur SS. Sacramentum, quam ut in terram decidat et conculcetur ? Adverte quod interdum, propter frigus, aut aliam causam, hostia a digitis sacerdotis etiam pientissimi labitur : nonne operæ pretium est, ut recipiatur potius in catillo, quam ut in sinum mulieris, vel etiam in pulverem decidat?

Alii instant dicentes, hunc usum esse novum et incognitum majoribus nostris, qui non minori reverentia ac pietate erga SS. Sacramentum agebantur. Sed in primis, oportet utique respuere novitatem in rebus fidei et morum, necnon et ritibus præcipuis, non vero in quibusdam regulis practicis et valde secundariis; quædam enim diuturno tempore viguerunt ad sacram Eucharistiam spectantia, quæ tamen aut vetito Ecclesiæ, aut desuetudine contabuere; econtra non pauca fuerunt introducta, et adhuc vigent, quæ tamen fuerunt penitus ignota primis sæculis, uti solemnis processio in festo Corporis Domini. Forsitan majores nostri non adverterunt æque sicut et nos, interdum tam numerosa decidere fragmenta, dum ministratur Eucharistia, quia experimentum non tentaverunt. Demum, primis Ecclesiæ sæculis, Eucharistia, dum erat fidelibus dispertienda, non in exigua reponebatur pixide, sicut fit apud nos, sed in grandi patena, quæ facilius retinebat fragmenta dum sacerdos hostiam porrigeret. Hujusmodi patenas S. Sylvester obtulit septem aureas, quæ pensabant libras triginta, sicut videre est in ejus Pontificali; et ideo sacerdos illis non poterat uti in actione Sacrificii. Unde Benedictus XIV, lib. I *De Missæ sacrificio* 5, nº 2 : « Ministeriales etiam erant patenæ quædam multo capaciores, quæ ad sacram Eucharistiam sub specie panis populo dispertiendam adhibebantur. » Cæterum de hoc more interrogatur nunc S. Cong. Rituum, quæ responsum distulit; atque, salvo ejus judicio, cui obsequentissime obtemperabo,

teneo usum catilli esse laudabilem, et ut grassetur firmeturque auctoritate Ecclesiæ Romanæ, vehementer exopto [1].

Quæritur an remaneat Christus sub particulis segregatis tam parvis, ut vix cadant sub sensus?

254. In primis videtur certum quod non possit valide consecrari materia quæ non est humano modo sensibilis, quæ scilicet non potest percipi per visum perfectissimum, licet percipi posset ope instrumenti optici ; nam materia sacramentorum debet esse sensibilis humano modo, absque artis adminiculo. Deinde veritas formæ materiam humano modo sensibilem requirit, alias nihil demonstraret pronomen *hoc*.

Deinde certum est, totum Christum esse sub partibus etiam minimis specierum, ante separationem, licet illæ partes ab invicem sumptæ non sint visibiles, quia ante separationem sunt visibiles ac sensibiles humano modo per suam aggregationem vel continuitatem in toto. Quid vero nunc de partibus separatis adeo exiguis, ut non cadant sub sensus humano more? Major, dist. 11, q. 1, dicit, desinere præsentiam Christi sub hisce particulis, quia jam non sunt signum sensibile, quod tamen est de ratione sacramenti. Deinde partes hujusmodi non sunt aptæ ad usum et finem sacramenti. Et propterea, si Christus esset sub hisce particulis, impossibile'esset, corpus Domini non conculcari et irreverenter tractari. Unde hanc Majoris sententiam non pauci recentiores tradunt ut certam.

255. Attamen hæc sententia parum videtur consonare Conciliis, quæ loquuntur de partibus separatis sine ulla restrictione. Ideo donec manent species panis, et præsens permanet Christus ; nam substantia corporis Christi aliquatenus gerit vices substantiæ panis, et tamdiu permanet quamdiu permansisset substantia panis. Porro substantia panis permanere potest ali-

[1] Academia liturgica in Urbe erecta sacræ Rituum Congregationi proposuit hoc dubium :

« An in ministranda fidelibus sacra communione, liceat, loco tobalearum linearum, uti tabellis ex metallo, vel ejusmodi usus tolerari possit in iis diœcesibus in quibus fuit introductus ? »

S. Congregatio respondit, 20 martii 1875, « non esse interdicendum : nihilominus significetur R^mo D. Episcopo Alexandriæ non esse improbandum usum tobalearum linearum. »

quandiu sub speciebus tam exiguis, ut non cadant sub sensus. Ergo. Minor sat patet per experimenta. Major constat, quia partes consecratæ non amittunt suam consecrationem per separationem, nam ex se nullatenus conversiva est. Nec obstat quod partes illæ exiguæ jam non sint sensibiles, quia illud est omnino per accidens, sicut si consecraretur hostia quæ non præ se ferret speciem vel apparentiam panis, sed ligni vel ferri, ob suffusum colorem, valide consecraretur, dummodo naturam panis servasset. Materia sensibilis utique necessaria est pro confectione sacramenti, ut diximus supra (253), sed nihil inde infertur contra permanentiam Christi sub hisce particulis ; quatenus enim permanens est, Eucharistia essentialiter differt ab omnibus aliis sacramentis : maxime quia illæ particulæ, per se, et ex natura rei, sunt sensibiles ; quod autem actu non percipiantur per sensus, est omnino per accidens. Ad rem Suarez : « Respondetur, hic esse differentiam inter *fieri* et *factum esse* hujus sacramenti ; nam ut fiat, necesse est, totam materiam esse sensibiliter præsentem ministro, et posse sensibus demonstrari pronomine *hoc;* accidere autem potest ut, vel propter nimiam extensionem, vel propter nimiam et insensibilem parvitatem, non possit fieri materia hoc modo præsens, nec capax sit, ut in eam cadat forma ; at vero postquam materia consecrata est, vel per partes, quæ postea conjunguntur, et componunt nimis grandem magnitudinem, vel in toto, et postea separatur in quantitate nimis parva, jam non est necessaria probatio formæ, nec præsentia, ut ibi Christus conservetur ; et ideo quamdiu ibi conservatur substantia panis, tamdiu conservatur præsentia corporis Christi. Exemplum esse potest de anima rationali, quæ per se separata consecrari non posset seu charactere signari ; conjuncta autem corpori, et quodam modo sensibilis effecta, consecrari potest, et postea separata consecrationem retinet. » In 3, disp. 43, sect. 8, n° 7.

Aliunde Major addit quod si illæ partes exiguæ congregarentur et continuarentur, ita ut iterum caderent sub sensus, iterum quoque Christus præsens esset sub illis sine nova consecratione. Quod minus consequenter dicit ; nam statim ac corpus Christi desinit esse sub speciebus, sub illis apparet nova substantia, quam idcirco oportebit convertere in substantiam corporis Christi per novam consecrationem ; nam simplex conjun-

ctio partium, quæ potest fieri etiam a laico, non potest corpus Christi producere.

256. Unde Suarez, disp. 43, sect. 8, n° 6, dicit, sententiam oppositam Majori teneri communiter ab Ecclesiæ Doctoribus ; et difficultatem depromptam ex veneratione Sacramento et Christo debita solvit ita, n° 8 : « Respondetur, per se loquendo, magis pertinuisse ad stabilitatem et reverentiam hujus sacramenti, ut species consecratæ, dum manent, indebilem retineant consecrationem et infallibiliter contineant corpus Christi; alia vero quæ sunt per accidens, adhibita mediocri diligentia morali, caveri possunt, præsertim, quia vix possunt naturaliter particulæ tam minimæ quantitatis separari, ut sint insensibiles, quin statim corrumpantur, vel ex vi ipsius divisionis [1], vel certe ex actione corporis ambientis. »

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

257. *Obj.* 1° Si Christus est totus sub singulis partibus specierum, ante divisionem, est infinities in Eucharistia, et quidem sub una et eadem specie; nam potest in infinitum dividi. Porro numerus actu infinitus non minus repugnat in ordine supernaturali, quam in naturali. Ergo.

Resp. Nego maj. « Numerus sequitur divisionem. Et ideo quandiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus panis, et, per consequens, neque infinities, sed toties in quot partes dividitur. » 3 p. q. 76, a. 3, ad 1.

258. *Obj.* 2° Præsentia corporis Christi in Eucharistia se habet ad modum imaginis in speculo. Atqui imago non est tota in singulis partibus speculi, ante illius fractionem. Ergo a pari, etc.

Resp. Dist. maj. Se habet aliquatenus, inquantum imago in speculo fracto adumbrat præsentiam corporis Christi, *concedo ;* se habet perfecte et adæquate juxta eumdem modum, *nego.* « Multiplicatio hujusmodi imaginum accidit in speculo

[1] Substantia enim panis non remansisset sine aliqua determinata quantitate; unde si deficiat hæc determinata quantitas, illico abest quoque substantia corporis Christi, quæ, quoad præsentiam sub speciebus, omnino supplet vices substantiæ panis.

fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi (nam post fractionem multæ sunt superficies quibus radii luminis reflectuntur); hic autem non est nisi una consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento. » 3 p. q. 76, a. 3, o.

PARAGRAPHUS III

DE IIS QUÆ CHRISTUS AGERE ET PATI POTEST IN EUCHARISTIA

Ut breviter expediamus quæ scitu digniora sunt, illico doctrinam communiter receptam sequentibus propositionibus complectimur :

PROPOSITIO I

Christus in Eucharistia non potest moveri per se motu locali, bene autem per accidens, ad motum specierum.

259. PROB. 1ª PARS. *Primo, ex modo quo est in Eucharistia.* « Christus non est in hoc sacramento sicut in loco (222). Quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum ejus in quo est. » 3 p. q. 76, a. 6. Moveri enim localiter est derelinquere unum locum et acquirere alium : porro, etc. Deinde id quod per se, et non ratione alterius, movetur, debet etiam per se recipere terminum hujus motus : sed id quod non est per se in loco, non potest recipere terminum motus localis, quia hic terminus in corporibus non est aliud quam *ubi*, quod non resultat nisi ex adjacentia loci. Ergo quod non est per se in loco, non potest moveri localiter.

Secundo, ex natura præsentiæ realis. Præsentia sacramentalis corporis Christi est entitative supernaturalis. Ergo nulla potentia naturalis habet virtutem eam mutandi, sicut impar est ad illam producendam.

260. PROB. 2ª PARS. *Primo, ex respectu corporis Christi ad species.* Corpus Christi, licet ipsi non inhæreant species sicut accidentia substantiæ suæ, tamen, quoad illas, substantiæ panis et vini gerit vices. Porro substantia panis et vini movetur una cum speciebus. Ergo, etc. Ideo propter unionem Christi cum speciebus, Deus ipsis vim indidit quasi attrahendi corpus Christi, et consequenter conservandi sacramentalem ejus præsentiam, et efficiendi aliam similem. Unde corpus Christi in Eucha-

ristia movetur, motis speciebus, eodem prope modo, quo movetur anima humana, moto nostro corpore [1].

Secundo, ex experientia. De fide est, corpus Christi posse deferri ad infirmos (Trident. sess. 13, cap. 5 et can. 7); non minus etiam perspicuum est, in processionibus portari, elevari a sacerdotibus, post consecrationem, etc.; quæ omnia supponunt aliquem motum localem. Porro ille motus non est per se (259). Ergo est per accidens.

COROLLARIUM

261. Hinc corpus Christi in Eucharistia nec per se, neque per accidens potest ab intrinseco moveri per internam virtutem naturalem suæ animæ; non enim potest anima corpus suum naturaliter movere, nisi per membra organica, quibus, prout sunt in Eucharistia, uti non potest, quia naturalis motus horumce membrorum requirit eorum extensionem in loco; naturaliter enim anima movet totum corpus, quatenus unam partem mediante alia movet, ita ut corpus ipsum aliquatenus se active habeat quoad illum motum [2]. Porro membra corporis Christi non existunt hoc modo in Eucharistia.

262. Dico *per virtutem naturalem*, quia si anima Christi sumatur prout est instrumentum Verbi, et operatur per virtutem miraculorum effectricem, potest suum corpus in Eucharistia primario movere, ita ut motus specierum sequatur motum corporis, vel etiam ita ut moveatur corpus, immotis speciebus; in hoc enim non est major repugnantia, quam in aliis supernaturalibus effectibus, ad quos producendos humanitas Christi quamdam *instrumentalem* omnipotentiam accepit, sicut ostensum est in tractatu *de Incarnatione*. Unde legimus in probatis scriptoribus, hostiam consecratam interdum, nemine deferente,

[1] Juvat tamen advertere, substantiam panis recipere in se terminum motus, sicut homo qui, immotus manens in navi, movetur per accidens ad motum navis, recipit in se motum; dum corpus Christi, quum præsentiam localem stricte sumptam non habeat, sed sacramentalem tantum, et omnino supernaturalem, consequenter nullatenus recipit in se terminum motus; et inde eadem penitus remanet illius præsentia, quantumvis aliunde species localiter moveantur.

[2] Attamen aliqui putant, non repugnare, ut corpus mere passive se habeat quoad illum motum, qui corporibus gloriosis supernaturaliter communicatur

sponte sua fuisse motam, vel ad aliquem justum, ut communicare posset, sicut de S. Catharina martyre, S. Catharina Senensi, et aliis refertur ; vel ut injuriam infidelium declinaret ac pertinaciam confunderet. Quamquam enim dicere quis posset in hisce et aliis casibus hujusmodi species consecratas deferri ab angelis, tamen etiam potuit Christi corpus interno impetu ferri, et secum species deferre. Suarez, in 3, disp. 53, sect. 1.

PROPOSITIO II

Corpus Christi in Eucharistia nec agere, nec pati potest per actionem corpoream.

263. Prob. *Primo, ex conditione actionis corporeæ.* Omnis actio et passio corporea requirit in agente et patiente extensionem localem. Porro corpus Christi in Eucharistia non est extensum localiter. Ergo. Minor patet ex dictis supra (222 et seq.) Major autem constat ex eo quod agentia corporea non agunt nisi mediis potentiis et organis, quæ non sunt proxime et formaliter apta ad agendum, sine quantitate et extensione locali.

Confirmatur. Nullum corpus potest naturali virtute agere in aliud, aut ab eo pati aliquid, nisi illud contingat, sicut dicit D. Thomas, 1 p. q. 45, a. 5, o : « Nullum corpus agit, nisi tangendo vel movendo. » Porro corpus Christi, prout est in Eucharistia, nec aliud tangere, neque ab alio tangi potest, quia contactus quantitativus supponit extensionem localem utriusque corporis se invicem tangentis. Ergo.

264. *Secundo, ex subjecto actionis et passionis corporeæ.* Actio transiens et passio recipiuntur in patiente, unde fit ut necessario recipiantur ad modum patientis, et consequenter participent illius modum existendi. Porro nulla actio vel passio corporea potest habere modum existendi qui competat corpori Christi in Eucharistia, cum in ea existat modo inextenso et indivisibili. Ergo.

265. Attamen nihil obstat quominus Christus in Eucharistia eliciat operationes intellectuales, tum per scientiam beatam, tum per scientiam infusam, subindeque actus voluntatis ad illas consequenter producat : nam intellectio et volitio hujusmodi neutiquam egent ministerio sensuum et conversione ad phantasmata. Vide Gonet, *De Euchar.* disp. 5, a. 4, nº 71-74 ;

Suarez, in 3, disp. 53, sect. 2, n° 2 et 3 ; De Lugo, *De Euchar.* disp. 9, sect. 1.

266. *Dices :* Christus potuit mori in Eucharistia, nam si fuisset conservatus panis consecratus, tempore passionis, quando Christus mortuus est in cruce, mortuus quoque fuisset in Eucharistia, ut docet D. Thomas, 3 p. q. 8, a. 4. Ergo a fortiori potest saltem aliqua pati nunc in Eucharistia.

Resp. Nego conseq. « Corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento et in propria specie, sed non eodem modo. Nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento ; et ideo quidquid pertinet ad Christum secundum quod in se est, potest attribui ei, et in propria specie, et in sacramento existenti, sicut *vivere*, *mori*, *dolere*, *animatum esse*, et cætera hujusmodi. Quæcumque vero conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento ; sicut *irrideri*, *conspui*, *crucifigi*, *flagellari*, et cætera hujusmodi. » 3 p. q. 88, a. 4, o. Ita etiam Innocentius III, lib. IV *De mysteriis Missæ*, cap. 11.

Quæritur an Christus, prout est in Eucharistia, possit naturaliter elicere actus sensuum ?

267. Respondeo negative cum D. Thoma et aliis theologis fere catervatim contra Nominales ; nam species necessariæ ad operationes sensuum sunt materiales et naturaliter petunt extensionem, non vero solum propinquitatem, ut volunt Nominales. Deinde ipsæ potentiæ sensitivæ, cum sint organicæ, non possunt naturali virtute, exire in operationem, sine eadem extensione in ordine ad locum ; quippe requirunt contactum quantitativum medii deferentis speciem ex objecto ad potentiam.

268. Quia tamen extensio localis est solum conditio, tum ex parte objecti, tum ex parte sensus, potest suppleri per divinam virtutem. Ideo probabile et credibile est, Christum in Eucharistia, etiam oculis corporeis, videre supernaturaliter fideles qui ibi adsunt et ea quæ ipsi coram venerabili Sacramento agunt, juxta illud *Cantic.* 2, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, puta species sacramentales. Secus corpus Christi nullam vitæ sensitivæ ope-

rationem exerceret in Eucharistia, atque in ea esset veluti lapis; quod valde corpus gloriosum dedecet.

Quo autem modo hoc fiat, non facile est definire; quum multifáriam contingere possit, nempe vel quatenus Deus elevat virtutem potentiæ sensitivæ, vel quatenus objecta elevat ad species imprimendas, sicut in cœlo recipit species objectorum distantium, vel quatenus ipse immediate has species defert in sensus Christi, vel denique quatenus corpus Christi per concomitantiam habet species et actus sensuum, quos habet in cœlo.

PROPOSITIO III

Intellectus creatus quilibet nec ipsum corpus Christi, nec ejus modum existendi in Eucharistia potest naturaliter videre, bene autem supernaturaliter.

269. Prob. 1ª pars. Quoad intellectum hominis viatoris, res ex se patet; nam in hoc statu intellectus indiget extrinsece ministerio sensuum et phantasmatum, quod impossibile est, ubi agitur de corpore Christi et modo quo latet sub speciebus. Quoad vero intellectum animæ separatæ, vel etiam angeli, constat, quia Christus est in Eucharistia modo penitus supernaturali, nec habet connexionem, sive causæ, sive effectus, sive debiti cum rebus naturalibus, quæ sunt objectum intellectus creati, attenta ejus virtute naturali. Ideo sicut unio hypostatica, gratia, fides et alii supernaturales habitus non sunt naturaliter cognoscibiles ab intellectu creato, ita et præsentia sacramentalis Christi in Eucharistia.

270. Quapropter Dæmonium, licet videat species panis et vini, non potest tamen certo inferre, ibi adesse corpus Christi, quia substantia panis et vini potest divinitus ipsi occultari, et ideo, ex eo quod illam non perspiciat, non potest certo conjectare præsentiam realem; sicut in Incarnatione, licet non viderit creatam atque humanam subsistentiam, non potuit, seclusa revelatione Dei, certo cognoscere, humanitatem subsistere in Verbo, quia potuit dubitare utrum Deus, pro sua potentia absoluta, subsistentiam creatam ipsi occultaverit, vel concursum ad illam cognoscendam denegaverit.

271. Prob. 2ª pars. Omnes theologi ultro largiuntur, intellectum creatum scientia beata vel infusa suffultum posse videre

Christum in Eucharistia. Priori modo omnes beati vident Christum, nam hæc visio magis pertinet ad perfectionem felicitatis, quam visio rerum naturalium. Posteriori modo potest naturaliter infundi scientia hujus mysterii per infusionem speciei propriæ, repræsentantis sive Christum in sacramento, sive ejus modum existendi, sive modum existendi accidentium, et simul per infusionem luminis auxiliique accommodati usui illius speciei. Hac scientia potiri animam Christi, omnino certum est ex dictis in tractatu de Incarnatione; idemque pie credendum est de B. Virgine in statu gloriæ; de aliis autem beatis res est incerta. SUAREZ, in 3, disp. 53, sect. 5, n° 2.

Quæritur an oculus corporeus possit aliquo modo videre corpus Christi in Eucharistia?

272. *Resp.* 1° Omnino certum est, corporeum oculum non posse virtute naturali videre Christum in Eucharistia, quia nullam impressionem corpus Christi exercet in sensoria; siquidem nec potest actiones transeuntes elicere, neque influere in aliquod medium, quod illius speciem ad sensus deferat (263 et seq.). Præterea in Eucharistia est per modum substantiæ; substantia autem nequit naturaliter videri oculis corporeis.

2° Aliqui existimant, oculum corporeum ne supernaturaliter quidem posse videre Christum in Eucharistia, quia, juxta illos, implicat contradictionem quod sensus materialis atque extensus intueatur corpus Christi in exiguissimo puncto, sicut reapse est in Eucharistia, utpote existens totus sub qualibet minima parte specierum. Alii vero communius et verius oppositum tenent, sedulo tamen distinguentes inter corpus Christi et modum quo existit. Modus enim nec coloratus, nec quantus, etc., sed omnino supernaturalis est, et ideo non est intra objectum specificativum visus corporei. Corpus vero, quantumvis imitetur modum existendi rerum supernaturalium, retinet tamen suum *esse* materiale et accidentia intrinseca, et in Eucharistia est cum sua naturali quantitate, colore, pulchritudine; et ideo est intra objectum specificativum visus corporei. Unde si virtus divina suppleat defectui visus orienti ex peculiari modo existendi corporis Christi, non videtur impossibile, ut videat illud. Quod expresse D. Thomas docet de visu ipsius Christi: « Oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre

ipsum modum essendi quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum. » 3 p. q. 76, a. 7, ad 2. Scotus, S. Bonaventura, Alensis et alii dicunt, Beatam Virginem ex speciali privilegio, oculis corporeis videre corpus Christi in Eucharistia. De cæteris beatis rem dubiam reliquit D. Thomas, in IV, dist. 10, q. 1, a. 4, q. 1, ad 1 : « Oculus Christi extra species sacramentales existens non videt seipsum intra species sacramentales existentem nisi miraculose. Et similiter alii oculi gloriosi non vident ipsum hic, nisi forte per miraculum. » In Eucharistia autem oculus Christi non indiget hoc miraculo, quia jam per miraculum existit ad modum substantiæ, sine quantitate locali : « Non tamen est simile de alio oculo glorioso; quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus. » 3 p. q. 76, a. 7, ad 2. Vide Suarez, in 3, disp. 53, sect. 4; Gonet, *De Euchar.* disp, 5, a. 5 ; Sylvium, in dictum D. Thomæ articulum.

PARAGRAPHUS IV

DE PERMANENTIA CHRISTI SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS AC DE ILLIUS DESITUDINE

Ambas complectimur sub eodem titulo has quæstiones, quia sunt essentialiter connexæ, ita ut una solvi nequeat sine alia.

273. Exponitur error Protestantium. Protestantes omnes contendunt, Eucharistiæ sacramentum essentialiter consistere in re transeunte, non secus ac Baptismum. Unde Lutherani, qui præsentiam realem retinuerunt, dicunt, Christum esse in Eucharistia, dum sumitur, aut perficiuntur ea quæ spectant ad usum hujus sacramenti, scilicet dum panis benedicitur, frangitur et distribuitur.

Hanc excogitavit sententiam Bucerus, ut Lutheranorum et Zuinglianorum dissidia componeret, et illos in sententiam mediam concordes adduceret. Licet jurgium permanserit, attamen utrique avide hoc figmentum acceperunt ac propugnarunt, ut doctrinam catholicam, maxime cultum SS. Eucharistiæ labefactarent. Triplici potissimum fundamento innituntur, scilicet primo, verbis institutionis; Christus enim postquam consecrasset Eucharistiam, eam non servavit, sed illico porrexit Apostolis ; secundo, analogia et similitudine aliorum sacramentorum, quæ omnia consistunt in actione seu re transeunte; et tertio, praxi primævæ

Ecclesiæ, in qua præceptum erat reliquias Eucharistiæ parvulis edendas tradere, vel comburere, ne aliquid ex sacra Cœna superesset. Quia tamen crebra et apertissima testimonia Patrum aliam fuisse praxim Ecclesiæ ostendunt, ut eorum vim aciemque declinarent, aliqui mitigarunt systema Buceri, atque concesserunt, Christum permanere in Eucharistia, dum immediate post cœnam ad ægrotos defertur ; imo quidam dixerunt, toto triduo posse servari Eucharistiam, propter ægrotos, et, toto illo tempore, corpus Domini permanere. Vide BELLARM. IV *De sacrament. Euch.* 1.

Primum igitur errorem profligabimus, stabiliendo dogma catholicum, cui deinde subnectemur aliam veritatem, quæ, etsi non est definita, nihilominus tanquam certissima habenda est, utpote immediatum consectarium veritatis fidei.

PROPOSITIO I

Eucharistiæ sacramentum est essentialiter res permanens, et Christus permanenter in eo existit.

274. PROB. 1° *Scriptura.* Ex verbis institutionis constat, Christum consecrasse Eucharistiam, et ejus corpus sub specie panis, ac sanguinem sub specie vini fuisse, priusquam singuli Apostoli Sacramentum sumpserint ; etenim nondum sumpserant quum tamen jam dixerat Dominus : *Hoc est corpus meum ; Hic est sanguis meus.* Porro hæc verba sunt vera et efficacia, et illico producunt id quod significant, juxta illud : *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Ergo. Minor patet et conceditur ab adversariis. Major constat *primo*, ex contextu ; et licet apud Marcum verba consecrationis calicis recitentur post verba sumptionis[1], attamen certum est, Christum ea fuisse prolatum ante sumptionem, ut constat ex cæteris Evangelistis et veritate verborum ; nam pronomina *hoc* et *hic* significant rem præsentem quæ ostendatur. Aliunde ipsimet Protestantes coguntur fateri, hæc verba non fuisse prolata post sumptionem, alias nec in usu ipso esset sacramentum. *Secundo*, quia Christus, ut adducat Apostolos ad manducandum et bibendum id quod ipsis præbet, valde com-

[1] MARC., 14, 23 et 24 : *Et accepto calice, gratias agens dedit eis ; et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effundetur.*

pellentem profert rationem, scilicet veritatem corporis et sanguinis sui, sicut patet particula causali *enim*. *Tertio*, quia Christus una vice tantum hæc verba protulit, et tamen constat, Apostolos successive de eodem calice consecrato bibisse, et neutiquam pro singulis, dum sumerent, Christus verba consecrationis iteravit. Unde concilium Tridentinum verba institutionis ponderans, sess. 13, cap. 3, ait : « Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ et invisibilis gratiæ formam visibilem : verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. »

275. Reponit Calvinus, verba *Hoc est corpus meum* non intelligenda esse de præsenti, sed de futuro, atque ipsis promissionem tantum significari. Sed hoc Calvini commentum repugnat Evangeliis, in quibus omnia conspirant ad significationem de præsenti. Deinde si hæc verba sint tantum promissio, ubinam erit forma sacramenti ? Quandonam verbum accedet ad elementum ? Præterea impletio promissionum Christi fit tantum postquam homines acceperint; ideo Christus esset in Eucharistia, seu tunc solum existeret sacramentum postquam Christiani manducassent : quod absonum est et oppositum D. Paulo dicenti, I *Cor.* 11 : *Qui manducat indigne, judicium sibi manducat*. Temperamentum quod adducunt alii, est introductum absque ullo fundamento ; si enim Christus est præsens in Eucharistia per unam vel aliam horam, cur non erit per tres, aut quatuor ? Aut, si triduo, cur non quatriduo? Aliunde tunc moveretur quæstio, non de ipsa permanentia, sed de illius diuturnitate tantum.

276. 2° *SS. Patribus*. S. Optatus Milev. *Contra Parmen.*, lib. 6, vocat altare sedem corporis Christi, et calices, Christi sanguinis portatores. S. Chrysost. *Homil. 24 in I Cor.*, dicit, eumdem Christum nunc in altari consistere, qui aliquando in præsepe a Magis fuit adoratus. S. August. in *Psalm.* 33, concione 1 et 2, dicit, Christum, in ultima cœna, in suis manibus portasse corpus suum. Porro hæc et sexcenta alia testimonia aperte demonstrant, Christum esse in Eucharistia ante usum.

Ergo, etc. Unde jam vehementer S. Cyrillus Alexand., *in epist. ad Calosyrium*, corripiebat eos qui male sentiebant de permanentia Christi in Eucharistia : « Aliquos esse audio, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt : neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus ejus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetua in illo existit. »

277. 3° *Conciliis*. Florentinum, in *Decreto*, docet, totum Christum esse sub singulis speciebus, et sub singulis specierum partibus, separatione facta. Ideo aperte docet, Christum esse in Eucharistia, ante usum. Trident, sess. 13, cap. 3 supra citato (274), et can. 4 : « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini : anathema sit. »

278. 4° *Praxi Ecclesiæ. Primo*, a cunabulis Ecclesiæ, quod supererat de corpore Domini, peracta communione, reponebatur a diaconis, cum debita reverentia, in pastophorio [1], juxta decretum S. Clementis I, quod habetur, VIII *Const. Apost.* 13, alias 20.

279. *Secundo*, S. Justinus Martyr, *Apologia 2*, scribit, post sacra peracta in Ecclesia, dari consuevisse Eucharistiam diaconis deferendam ad absentes fratres, qui aliqua de causa impediti fuerant, ne interessent celebrationi mysteriorum. Et S. Irenæus, in epistola ad Victorem Papam, testatur, morem fuisse illius temporis, ut Papa Eucharistiam mitteret in signum pacis et communionis ad alios episcopos.

280. *Tertio*, ipsimet fideles S. Eucharistiam deferebant secum in domos suas, maxime sæviente persecutione : quo fine habebant peculiare linteum et peculiarem arcam ad SS. Eucharistiam accipiendam ac recondendam. Cui mori alludens

[1] S. Hieronymus, in *Isaiæ* cap. 32, dicit, pastophorium significare tabernaculum, seu thalamum ubi templi præpositus habitat. Hinc igitur Apostoli vas illud, in quo Sacramentum asservandum recondebatur, pastophorion dixerunt, quia in Eucharistiæ sacramento vere, realiter ac substantialiter est Christus, qui excellentissimus templi præpositus est.

Tertullianus, lib. II *ad uxorem*, cap. 5 : « Non sciet maritus (quia infidelis erat) quod secreto ante omnem cibum gustes : et si sciverit, panem illum esse credet qui dicitur. » *Et S. Cyprian.*, sermone *De lapsis* : « Mulier quædam, cum arcam suam, in qua Sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. »

281. *Quarto*, primævis Ecclesiæ sæculis, interdum navigantes secum habebant Eucharistiam, tum ut a periculis evaderent illæsi, tum ut, adveniente naufragio, non discederent sine sacra communione. Quod refert S. Ambrosius, in oratione *De obitu Satyri fratris sui*, cap. 7 ; scribit enim, eum in orario involutam Eucharistiæ particulam suspendisse ad collum suum in periculo naufragii, et eo auxilio fretum se dejecisse in mare, ac liberum ad littus evasisse. Joannes diaconus refert, in II *Vitæ S. Gregorii Magni*, cap. 33, quosdam monachos a Constantinopoli Romam navigantes secum detulisse SS. Eucharistiam.

282. *Quinto*, concil. Nicænum I, can. 13, præscribit, ut, secundum antiquam regulam, in mortis articulo nemini denegetur sacra communio. Et can. 14, alias 18 aut 20, jubet, ut in absentia presbyterorum, diaconi Eucharistiam porrigant.

283. Ex his et aliis sexcentis factis aperte colligitur, SS. Eucharistiam non semper fuisse totam in celebratione mysteriorum sumptam, sed fuisse servatam sub specie panis pro variis adjunctis. Sed quid desideramus testes, quum ipse Calvinus, IV *Instit.* 17, cogatur rem fateri, atque de his qui servant SS. Eucharistiam, dicit : « Sed enim qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor verum in re tanta et in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quam ipsam veritatem sequi. » Optime ! sed qui pristinam Ecclesiæ consuetudinem sequitur, non autem qui commentis Calvini addictus est, veritatem sequitur. Vide Bellarm. IV *De sacram. Euchar.* 4 et 5. Unde concil. Tridentin., sess. 13, cap. 6 : « Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam, adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam cum summa æquitate et ratione conjunctum est, tum multis in conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo Catho-

licæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta Synodus retinendum omnino et salutarem hunc et necessarium morem statuit. »

5° *Præscriptione.* Eodem modo instituitur argumentatio, ac supra, ubi de existentia transsubstantiationis (123), et de præsentia reali (101 et 102).

284. 6° *Ratione. Primo, ex natura Eucharistiæ.* Eucharistia instituta est ad alimoniam ac refectionem spiritualem fidelium, per modum cibi et potus. Porro cibus et potus vere et proprie existunt, priusquam sumantur, et usus necessario illos præsupponit. Ergo.

Secundo, ex ministro. Hujus sacramenti minister conficiens est sacerdos. Porro si consisteret in usu, jam non sacerdos, sed potius sumens esset minister illius ; manducatio enim magis se tenet ex parte manducantis, quam ex parte porrigentis. Ergo.

Tertio, ex ruina fundamentorum adversariorum. Ad primum : Fateor, Christum non distulisse usum Eucharistiæ, postquam illam consecraverit, neque legi in Scriptura, quod ipse jusserit eam in crastinum servari ; sed neque legitur, id prohibuisse. Porro multa suæ Ecclesiæ potestati et prudentiæ concredidit Dominus. Ostendant igitur locum Scripturæ ubi praxis Ecclesiæ prohibita perhibeatur.

Ad secundum : Quum tota ratio sacramentorum pendeat a libera Christi voluntate, atque septem novæ Legis sacramenta sint specifice diversa, illatio neutiquam potest in paritate fundari. Sane generatio est actus transiens, et necessario requirit subjectum quod actu generetur ; dum cibus et potus est res permanens, atque illius confectio non requirit subjectum cui actu porrigatur. Porro per Baptismi collationem generatur aliquis ad vitam spiritualem, dum per Eucharistiæ confectionem præparatur tantum mensa Domini.

Ad tertium : Reliquiæ SS. Sacramenti, communione facta, pueris tradebantur, vel parvulis, si plus æquo superessent partes ; unde quædam tantum servabantur, et cæteræ tradebantur vel comburebantur, præsertim reliquiæ nimis parvæ aut deformatæ, quæ decenter servari non poterant ad communionem fidelium. Deinde aliquando illæ reliquiæ tradendæ vel comburendæ non erant particulæ in novissimo sacrificio consecratæ,

sed reliquiæ quæ usquedum servatæ fuerant; et ideo oportebat eis novas subrogare, ne corrumperentur. Tandem hæc praxis, nedum impingat thesim nostram, potius eam fulcit; nam, si post usum, seu communione facta, jam non sit sacramentum, quorsum tanta cura circa reliquias? Cur aut sumendæ sint cum timore a clericis qui jam communionem fecerunt, aut diligentissime combustioni vel pueris sint tradendæ? Vide Bellarm. IV *De Euchar.* 5.

PROPOSITIO II

Christus desinit esse sub speciebus, quando desitura fuisset propria illarum substantia.

285. Prob. *1° Auctoritate.* Hæc est sententia Patrum et Doctorum Ecclesiæ, et omnium fidelium, ut constat ex multis testimoniis et factis in præcedenti propositione adductis.

2° Ratione. Primo, ex connexione Christi cum speciebus. Christus sub speciebus gerit aliquo modo vices substantiæ panis et vini; siquidem tota substantia panis in totam substantiam corporis, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi, sub iisdem speciebus, convertitur. Ergo ex institutione Domini et natura mysterii, Christus desinit quando, etc.

Secundo, ex liberalitate Dei. « Deus nunquam se subtrahit a rebus, nisi res ipsæ talem subtractionem poscant, nam, ut ait Apostolus, *Rom.* 11, *dona Dei sunt sine pœnitentia.* Sed præsentia Christi sub speciebus panis et vini est maximum donum hominibus concessum. Ergo nunquam a speciebus illis se subtrahit, nisi hanc subtractionem poscant; quod solum tunc contingit, quando desitura fuisset propria illorum substantia. »

« Unde erronea est et a Gregorio IX, ut refertur in directorio Inquisitorum, damnata aliquorum sententia, qui dicunt, desinere Christum sub sacramento, quando in aliquem locum immundum projicitur; cum enim corpus Domini sit in hoc sacramento impassibiliter, nullam contrahit in his casibus in seipso immunditiam, ut recte ait S. Thomas, in IV, dist. 9, q. 1, a. 2 q. 1, ad 3. » Gonet, *De Euch.* disp. 5, a. 6.

COROLLARIUM

286. Hinc fideles caveant ne diutius Eucharistiam retineant

in ore, maxime si copia salivæ affluat ; nam saliva brevi dissolvit parvam hostiam. Porro de ratione communionis est quod hostia deglutiatur, quia hoc sacramentum sumitur per modum cibi. Unde si hostiam dissolvatur in ore, priusquam deglutiatur, fidelis non vere sacramentum sumpsit, sicut non vere sumeret qui acceptam in ore hostiam nequiret deglutire.

287. Si stomachus sit calidior ac vegetior, species eucharisticæ brevissimo tempore dissolvuntur; nam, ex peritissimorum medicorum judicio, hostia parva infra trigesimam vel etiam sexagesimam horæ partem, et magna hostia cum vino consecrato, in parva quantitate, prout fit communiter, infra medium quadrantem, vel etiam ante elapsum illud breve tempus, consumitur. Quocirca si sacerdos bene valeat, species dissolvuntur penitus quando vestibus fuerit exutus. Attamen, propter reverentiam Sacramento debitam, non licet se provocare ad vomitum, sanitatis causa, nisi post quadrantem pro laicis, et dimidiam horam pro sacerdotibus. Dixi *prout fit communiter*, nam si magna copia vini consecraretur sumereturque, vel etiam si sumerentur a sacerdote multæ parvæ hostiæ in tabernaculo repositæ, ne corrumpantur, vel etiam si plures hostiæ præberentur eidem fideli [1], paulo diuturnius tempus requireretur ad illarum dissolutionem, ut patet. Item si stomachus sit valde debilis ac frigidus propter morbum vel senectutem ; tunc propter reverentiam Sacramento debitam, convenit gratiarum actionem aliquantisper protrahere.

288. Unde illa sapientissima Ritualis Romani regula : « Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis, id tamen diligenter curandum est ne iis tribuatur a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest. » Quo non obstante, contingere potest, ut infirmus sacras species evomat, priusquam dissolutæ fuerint, tunc summo studio ac pietate sunt colligendæ atque sumendæ a sacerdote, vel etiam a laico, si desit sacerdos, nisi tamen huic sumptioni valde refragetur animus ; tunc enim, propter vomitus periculum, timenda est nova injuria et indecentia erga Sacramentum, et

[1] Innocentius XI, post decretum S. C. damnavit abusum tradendi communicantibus plures particulas simul, vel solito grandiores.

magnum incommodum pro suscipiente. Quocirca, si nemo, nec sacerdos, neque laicus adsit indolis impavidæ et flagrantis studii erga venerabile Sacramentum, oportet sacras species caute separare a vomitu, et in aliquo loco sacro reponere, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur. Ita enim fert Rubrica Missalis, ubi *de defectibus in ministro ipso occurrentibus.*

Quæritur quid fiat si aliquis liquor misceatur vino consecrato?

289. I. Prænotanda. Hic obiter aliqui theologi, post D. Thomam, 3 p. q. 77, a. 8, quærunt quid fiat, si misceantur species eucharisticæ alicui extraneo? Quæstio ponitur præsertim pro specie vini, nam species panis, nisi conteratur, non potest misceri, quin remaneat discreta distinctaque.

In primis advertendum est, dupliciter fieri mixtionem, nempe cum alteratione, ita ut mixta, aut saltem unum ex illis non servet naturam suam specificam, sed transmutetur in aliud; vel sine alteratione, ita ut mixta servent naturam suam et proprietates in composito. Apud modernos, prior mixtio peculiare nomen obtinuit, quod gallice dicitur *combinaison*, et est vere ac proprie compositio physica atque substantialis; de ipsa dicit D. Thomas (loco citato): « Quod est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum; » posterior autem sortita est nomen *mixtionis* simpliciter. Deinde ut principium generale ponitur, quod liquor non corrumpit alterum liquorem ejusdem speciei, quia omne agens tendit ad producendum sibi simile; neque illum corrumpit, ut in eadem specie producat aliud individuum, quia agens non intendit individualem similitudinem quam consequi non potest, sed specificam, quæ jam præsupponebatur. Nec ad hoc sufficit aliqua diversitas in accidentibus tantum, sicut contingit forte inter album et rubrum vinum; si enim substantiæ sint similes et homogeneæ, accidentia unius sufficiunt ad conservandam formam substantialem alterius, et vice versa; unde illi ambo liquores nec mutuo suas formas substantiales alterant, neque expellunt.

290. II. Expenduntur præcipui casus. *Primo*, si misceatur

vinum consecratum cum liquoris alterius speciei magna quantitate, non manet ibi sanguis Christi, quia non mansisset substantia vini.

Secundo, si autem liquor commixtus sit in parva quantitate, ita ut multum excedat illam quantitas vini consecrati, communiter prævalet vinum, et consecrationem servat. Dico *communiter*, quia fieri potest ut liquor mixtus, licet in parva quantitate, prævaleat tamen atque corrumpat vinum, si præpotentes ac mordaces habeat proprietates, quibus, sin illico, saltem paulatim solvat species vini; tunc enim excessus virtutis et qualitatis supplet parvitatem quantitatis.

Tertio, si misceatur vinum consecratum cum alio vino quod habeat easdem proprietates, communiter tenetur, non fieri alterationem, quum nullum sit principium contrarium; et ideo non desinit sanguis Christi sub speciebus. Quod videtur certo contingere, si errore vel malitia vinum consecratum infunderetur in lagena vel dolio ex quo haustum est. Attamen non consecraretur vinum cum quo permiscerentur species; nam virtus consecrandi non fuit a Domino speciebus indita, sed solum verbis formæ. Ita D. Thomas, D. Bonav., Scot., Alensis, Suarez, et communiter theologi. Et confirmari potest ex Innoc. III, qui, cap. *Cum Marthæ*, *De celebrat. Missarum* (Decretal. lib. 3, tit. 41, n° 6) dicit : « Si post calicis consecrationem, aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur; sed accidentibus prioris vini commixtum corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum, ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. »

291. Quid autem fiet de vino consecrato ita permixto? Paludanus et Sotus existimant, illud esse habendum sicut vinum commune et posse ad usus profanos converti. Sed Suarez, De Lugo et alii communius in contrarium sentiunt, et dicunt, hoc vinum esse servandum ad usus sacros, præsertim ad sacrificium Missæ; nam manet totum benedictum, ratione specierum sacratarum; et licet forte non fiat contactus in omnibus et singulis partibus, quum tamen non distingui, nec separari possint partes quæ forsan contactum non sunt expertæ, ideo,

propter periculum et dubium, prædicta diligentia adhibenda est. Ita, post Richardum, Suarez, in 3, disp. 57, sect. 4.

PARAGRAPHUS V.

DE MIRACULOSIS ATQUE APPARENTIBUS MUTATIONIBUS IN EUCHARISTIA.

292. I. EARUM EXISTENTIA. Hucusque diximus de mutationibus quæ vi legum naturalium accidunt in venerabili Sacramento; sed ad completam rei doctrinam, adhuc oportet aliquid pertingere de iis quæ miraculose contingunt. Enim vero extra dubium est quod interdum, sive ad firmandam fidem aut remunerandam pietatem, sive ad deterrendos infideles, sive ad reverentiam Sacramenti faciendam, fiant in Eucharistia mutationes stupendæ, uti videre est apud Paschasium, *De Euch.* cap. 14, Guitmundum, et alios : sic Eucharistia modo versa est in lapidem, aut cineres, in ore sumentis ; modo effluxit sanguis ex hostia, ut accidit S. Bernardo, dum celebraret die Natali Domini; modo circa species factus est splendor, vel auditi sunt angeli laudantes Dominum, etc., etc.

293. II. MODI QUIBUS CONTINGUNT. Hæc contingere possunt ita ut nulla fiat mutatio in Sacramento, sicut in casu splendoris, vel angelorum laudantium. Interdum mutatio est mere subjectiva, nimirum fit tantum in potentiis aliquorum adstantium, sicut fit quando multi adstantes nullatenus mutationem percipiunt. Vel etiam si mutatio brevissimo fiat tempore, adeo ut species statim iterum appareant sicut antea ; merito tunc existimatur, fieri mutationem, aut in medio, aut in potentia; multa enim contingunt hujusmodi facta, propter læsionem sensus, vel debilitatem phantasiæ. Vide Alens. 4 p. q. 53, memb. 4, a. 3.

« Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in Magorum præstigiis, quia talis species divinitus formatur in oculo ad aliquam virtutem figurandam, ad hoc scilicet, quod manifestetur vere corpus Christi esse sub hoc sacramento ; sicut etiam Christus absque deceptione apparuit discipulis euntibus in Emmaus. Dicit enim Augustinus, in libro II. *De quæst. Evangelicis*, q. ultima, in principio, quod cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte Sacramenti, manifestum est quod non

desinit Christus esse sub hoc sacramento, tali apparitione facta. » 3 p. q. 76, a. 8, o.

294. III. QUANDONAM DESTRUITUR SACRAMENTUM? Sacramentum destruitur, si non remaneat quantitas accidentium, vel si corrumpantur cætera accidentia propria vino, vel pani, sicut sapor, odor, etc.; si vero evanescant tantum accidentia communia, quæ scilicet inesse possunt pani vel vino et aliis corporibus, uti color, figura, etc., tunc permanet Sacramentum. « Manentibus dimensionibus quæ prius fuerant, fit miraculose quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram et colorem, et alia hujusmodi, ut videatur caro, vel sanguis, aut puer. . . Remanentibus dimensionibus quæ sunt fundamenta aliorum accidentium. . ., remanet vere corpus Christi in hoc Sacramento. » Id. ibid.

295. IV. NEUTIQUAM MUTATIO FIT CIRCA CHRISTUM. *Primo* enim Christus est omnino impassibilis; unde nec sanguis ejus potest proprie fluere, neque caro ejus videri potest separata ab anima; deinde quod apparet, aliquando nigrescit et corrumpitur. *Secundo*, « corpus gloriosum quod apparet ut vult, post apparitionem, cum voluerit, disparet, sicut dicitur *Lucæ* ult. quod Dominus ex oculis discipulorum evanuit. Hoc autem quod sub specie carnis in hoc sacramento apparet, diu permanet : quinimo legitur, quandoque esse inclusum, et, multorum episcoporum consilio, in pyxide reservatum; quod nefas esset de Christo sentire, secundum propriam speciem. » Id. ibid. *Tertio*, ex probabiliori sententia, idem corpus in propria specie existens est definitive in loco, et ideo corpus Christi in propria specie existens in cœlo non videtur ut tale in sacramento Eucharistiæ. Deinde etiamsi possibile esset [1] quod idem corpus sit in propria specie, et videatur in multis locis, nulla est necessitas hujusmodi miraculum tam ingens ponendi, quum aliter res contingere possit.

296. V. QUOMODO PERTRACTANDÆ SPECIES? Si species conservarunt dimensiones suas, atque immutatæ fuerunt solum quoad accidentia communia, oportet sub eis adorare Christum, sicut

[1] S. THOMAS, 3 p., q. 76, a. 8, et in multis aliis locis, multilocationem extra Sacramentum impossibilem reputat; ei astipulantur communiter Thomistæ. In oppositum sentiunt Bellarm., Suarez, De Lugo et non pauci alii theologi.

ante mutationem, imo peculiaris addenda est reverentia, propter miraculum in eis factum. Quia vero sub illa forma non possunt sine horrore sumi, oportet illas conservare ; neque enim Christus jussit, corpus et sanguinem suum sumi, nisi sub speciebus panis et vini. Unde, etiam si hoc contingeret dum sacerdos offert sacrificium, ipse non teneretur sumere ; « nec propter hoc transgressor legis efficitur, quia ea quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset sacerdoti quod iterato corpus et sanguinem Christi consecraret et sumeret. » 3 p. q. 88, a. 4. ad 3. Non tamen ad id teneretur, ut sacrificium non remaneret imperfectum, quidquid in oppositum dicat S. Antoninus; quando enim iterum consecratur panis et vinum, non proprie perficitur sacrificium inchoatum, sed aliud de novo offertur. Unde D. Thomas dicit *consulendum*. Si autem mutatio facta fuisset in una tantum specie, tunc prorsus iterum consecranda esset nova materia illius speciei, ad integritatem ac perfectionem sacrificii. Addit Suarez, nullo præcepto, sive divino, sive ecclesiastico stricte esse prohibitum sumere hujusmodi species; sed quum semper timendum est vomitus periculum, si sumantur, non recedendum est ab Ecclesiæ consuetudine, atque in vase mundo eas servari oportet, potissime quia hoc multum confert ad Sacramenti reverentiam. Atque, advertit Sylvius, « quamvis, ob temporis diuturnitatem, interdum apparere possint sufficientia indicia corruptionis, adhuc tamen possunt asservari et honorari, non eo honore qui debetur corpori Christi, sed qui ejus signo vel vesti. Præterea non improbabile est, species istarum apparitionum sacramentales divina virtute servari subinde incorruptas diutius quam alioquin permansissent, sicut servantur quorumdam sanctorum reliquiæ. » In 3, q. 77, a. 8.

ARTICULUS IV

DE CULTU EUCHARISTIÆ PERSOLVENDO

Dicemus 1° de adoratione Eucharistiæ, 2° de regulis circa custodiam et cultum illius, 3° de veneratione debita rebus sacris quæ spectant ad Eucharistiam. Nam illæ regulæ et veneratio, licet non sint præcipua ac essentialis pars cultus erga SS. Sacramentum, attamen ipsi connexæ sunt atque spectant sive ad

modum adorationis, sive ad illius adjuncta : ac proinde illarum complexus spectat saltem ad secundarium illius cultum.

PARAGRAPHUS I

DE SS. SACRAMENTI ADORATIONE

297. Exponuntur errores. Zuingliani, Calvinistæ et omnes qui inficiantur præsentiam realem Christi in Eucharistia, contendunt cultum aliquem, præsertim latriæ, huic sacramento rependere, esse idololatriæ scelus. Nonnulli negant, etiamsi Christus sit in Eucharistia, ibi esse adorandum ; quia non est adorandus, nisi ubi ipse vult adorari ; atqui nunquam jussit, ut eum in Eucharistia adoremus ; nec legimus Apostolos, in supremæ nocte Cœnæ, adorasse Christum in Eucharistia ; aliunde ipse dixit : *Accipite et comedite*, non autem dixit : *Adorate*. Qui permanentiam Christi sub speciebus negant, atque contendunt, esse in usu tantum, consequenter inficiantur, Christum esse adorandum ante usum, vel post usum, sicut faciunt Catholici, dum elevatur Sacramentum post consecrationem, vel solemniter circumfertur in processionibus, vel exponitur, vel etiam recluditur in pixide. Tandem quidam existimant, mente discernendum ac separandum esse Christum a signo sensibili : Christus enim est quidem adorandus, non vero species, utpote res creatæ et incapaces adorationis. Ut hosce errores arceamus et una catholicam doctrinam fulciamus, sequentes propositiones probabimus :

PROPOSITIO I

Christus adorandus est in Eucharistia, perinde ac si in propria specie videretur.

298. Prob. 1° *Scriptura. Deut.* 6, et *Matth.* 4 : *Dominum tuum adorabis et illi soli servies.* Porro Christus in Eucharistia, sive ante usum, sive in usu, sive post usum, est Dominus Deus noster. Ergo. Atque ineptissime objicitur, Christum non jussisse ut adoretur in Eucharistia, adoratio enim ei non debetur ratione loci, aut modi existendi, sed ratione divinitatis, quæ inseparabilis est ab humanitate. Unde *Joan.* 4, 21, ipse Dominus : *Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis.* Deinde *Matth.* 2, Magi eum adoraverunt in præsepio, et tamen non acceperunt præceptum positivum adora-

tionis. Sic cum ambularet in terris, non ambulabat ut adoraretur, sed ut doceret, et tamen passim adorabatur, sicut videre est *Matth.* 8, 9, 14, 20, *Joan.* 9, etc. Si standum esset principio adversariorum, principes liceret venerari solummodo quum sedent in solio cum sceptro et diademate, non vero quando vias perlustrant, vel in horto suo deambulant. Unde etiamsi non daretur præceptum positivum adorandi Christum in Eucharistia, nihilominus dictamen rationis et lex naturalis hunc cultum præscriberent.

299. 2° *SS. Patribus.* S. Ambros. III *De Spiritu Sancto* 12 : « Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus. » S. Chrysost. *Hom. 24 in I Cor.* : « Hoc corpus in præsepi reveriti sunt Magi..... imitemur saltem barbaros, nos qui cœlorum cives sumus.... Tu vero non in præsepi sed in altari..... vides. »

S. August. *in psalm.* 98, n° 9 : « Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. »

Vide etiam S. Dionys. *De Ecclesiast. hierarchia*, cap. 3, part. 3; Origenem, *Homil. 5 in Evangelia ;* S. Cyrill. Hieros. *Catechesi* 5, etc. Juvat advertere, quod SS. Patres dicunt, ad verba consecrationis, cœlos aperiri et multitudinem Angelorum descendere, ut adorent Christum. Vide S. Chrysost. VI *De Sacerdotio*, S. August. *De corpore Christi*, S. Greg. Magn. IV *Dialog.* 58, Innoc. III *De mysteriis Missæ*, cap. 24.

300. 3° *Concil. Tridentino*, sess. 13, can. 6 : « Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento, Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras : anathema sit. »

301. 4° *Praxi Ecclesiæ. Primo, ex ritu consecrationis.* Perantiquus est ritus elevandi sive hostiam, sive calicem, statim post consecrationem. Porro licet ea cæremonia mysticam etiam

habeat significationem, quatenus nempe significare potest elevationem Christi in cruce, vel resurrectionem et ascensionem ejus, sicut docet conc. Ephesinum, in *epistola ad Nestorium*, et S. August. sermone 28, *De verbis Apostoli*, potest item significare internum cultum et elevationem mentis ad Deum, quomodo etiam in Lege veteri oblata elevabantur super altare coram Deo (*Exod.* 13, *Levit.* 8, *Num.* 5); licet hæc, inquam, vera sint, tamen propria et litteralis ratio hujus actionis est, ut populus fidelis, qui credit, statim post consecrationem Christum hic adesse, ipsum adoret, sicut constat ex omnibus liturgiis, et ex S. Dionys. *De Eccles. hierarchia*, cap. 3, part. 3 : « Pontifex augustissima mysteria conficit, et quæ ante laudaverat in apertum agit, divina munera reverenter ostendens. » Apud Græcos ipse Diaconus elevat, post consecrationem, SS. Eucharistiam. Ut autem attentio et fides Christianorum excitentur, atque adorent venerabile Sacramentum, perantiquus mos est pulsare parva campana in templo pro singulis sacrificiis. Cui mori S. Greg. Magnus addidit institutionem pulsandi majus campanum, saltem diebus Dominicis et festivis, ut etiam absentes ab Ecclesia moneantur atque SS. Eucharistiam adorent. Vide Martenium, I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. 4, a. 8, n° 22[1].

302. *Secundo, ex ritu communionis.* Est etiam perennis traditio in Ecclesia Dei, vi cujus, communicaturi, priusquam suscipiant Christum, eum adorant in sacra Eucharistia. Quod factum legitur in omnibus perantiquis liturgiis, nempe S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysost., etc., et apud Patres. Propterea, ut corda fidelium moveantur, atque adorent SS. Sacramentum, sacerdos in manibus tenens sacram hostiam, ter admonet communica-

[1] « In Ecclesia Occidentali, maxime in Galliis, diebus præcipuis quibus universus populus ad sacram Synaxim accedere tenebatur, solemni ritu ad communionem invitabatur his verbis : *Venite populi, sacrum immortale mysterium et libamen agendum : cum timore et fide accedamus. Manibus mundis pœnitentiæ munus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri sacrificium propositum est : ipsum solum adoremus, ipsum glorificemus cum angelis clamantes : Alleluia.* Cujus ritus meminere antiquum ordinarium missæ ecclesiæ Lugdunensis, Athanacensis monasterii missale, ordinarium Cabilonense, Carnotense, S. Joannis, et rituale S. Martini Turonensis » MARTENE, I *De ant. Eccl. ritibus*, cap. 4, a. 10, n. 6.

turos, dicens alta voce : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* [1].

303. 5° *Præscriptione.* Tempore quo Protestantes impugnarunt cultum SS. Eucharistiæ, ipse vigebat in universali Ecclesia, non tantum Romana, sed etiam apud omnes sectas hæreticorum et schismaticorum. Atqui, etc. Huc redeunt etiam omnes rationes adductæ supra pro reali præsentia (102).

304. 6° *Ratione.* Adoratio Christi in Eucharistia est consectarium necessario dimanans ex dogmate præsentiæ realis, sicut ostensum est supra (238), et luculentissime exponit concil. Trident. sess. 13, cap. 5 : « Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur huic SS. Sacramento in veneratione exhibeant; neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur institutum : nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit (*Psalm.* 96, *Hebr.* 1) : *Et adorent eum omnes angeli Dei;* quem (*Matth.* 2) Magi procidentes adoraverunt; quem denique (*Matth.* 28) in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. »

Unde ipse Lutherus, sub finem vitæ, ad hunc Ecclesiæ Catholicæ morem se recepit, et propter hoc vehementer eum ita coarguit Calvinus, in *epistola ad Bucerum :* « Quorsum illud Lutheri *adorabile* Sacramentum, nisi ut idolum in templo erigatur? »

305. *Dices :* Adoratio Eucharistiæ exponit periculo idololatriæ, nam fieri potest ut celebrantis malitia vel inadvertentia, aut etiam invalida ordinatione, falsa materia, etc., Christus non sit in Eucharistia. Ergo e medio pellenda est.

Resp. Dist. antec. Nego conseq. Exponit periculo idololatriæ mere materialis, et quidem rarissime, *concedo;* formalis ac sæpe, *nego.* Unde ipse Taylor, episcopus Anglicanus et protestans : « Objectum eorum (Catholicorum) adorationis, in venerabili Sacramento, est unicus verus et æternus Deus hypostatice

[1] In statutis Carthusianis, anno 1368 edictis, legitur : « In elevatione corporis Christi ad missas conventuales, aperiuntur portæ chori, et in his ac etiam in privatis cereus accendatur, et casula elevetur. »

conjunctus cum sua sancta humanitate, quam humanitatem ipsi credunt actualiter præsentem sub velo signorum sacramentalium; et si putarent, non esse præsentem, tantum absunt ab adorando pane in hoc casu, ut profiteantur, id præstare esse idololatriam. »

PROPOSITIO II

Latriæ cultus non solum Christo, sed etiam toti Sacramento, prout ex Christo et speciebus constat, deferendus est.

306. PROB. 1° *SS. Patribus.* S. Cyprian. sermon. *De Cœna Domini:* « Sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat divinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infundit essentia, ut esset religioni ad sacramenta devotio, et ad veritatem cujus corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus. »

S. Chrysost. *Hom. 5 in Matth.*, 45 *in Joan.*, 20 *in I Cor.*; S. Greg. Nazian. *Oratione de sorore Gorgonia*, et alii Patres, quos citat Suarez (in 3, disp. 65, sect. 1, n° 3) late prosequuntur cultum ipsius Sacramenti, dum loquuntur de venerando tactu et osculatione Eucharistiæ cum reverentia et timore. Recollige etiam testimonia superius adducta (299).

307. 2° *Conciliis.* Viennense in Clementina unica *De reliquiis et veneratione Sanctorum*, dicit : « O excellentissimum Sacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, et sinceris mentibus retinendum! » Concil. Trident. sess. 13, cap. 5, supra citato (304), in quo simpliciter dicit, Sacramentum esse adorandum cultu latriæ.

308. 3° *Praxi Ecclesiæ.* Semper et ubique Ecclesia absolute totum Sacramentum adoravit, et nunquam abstraxit a speciebus eucharisticis; unde illud liturgiæ notissimum :

Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.

309. 4° *Ratione.* Sacramentum Eucharistiæ est quid unum ex Christo et speciebus coalescens. Ergo hoc totum Sacramentum potest uno actu adorari, quo primo et per se adoretur Christus, qui est unicum suppositum hujus sacramenti, ad quod per se tendit adoratio : coadorantur autem species tanquam Christo conjunctæ, et cum illo unum componentes, sicut coadoratur thro-

nus vel purpura, quando adoratur Princeps in throno sedens purpura indutus. Major autem conjunctio vel habitudo est in hoc sacramento inter Christum et species, quæ sunt veluti thronus in quo Christus continetur, seu quasi vestimentum quo tegi voluit. Vel etiam sicut coadoratur humanitas per adorationem Christi, propter unionem hypostaticam, ita eodem actu adorantur species cum Christo propter unionem accidentalem. Si quis tamen velit præcisione mentis considerare solas species, poterit quidem eas adorare tanquam rem sacram, nullatenus autem eis latriæ cultum rependere. Unde sicut qui adorat Verbum in carne, eodem cultu adorat carnem ipsam, ut docet D. Thomas, 3 p. q. 25, a. 2, ita qui adorat Christum in Sacramento, eadem adoratione adorat ipsum Sacramentum.

310. *Dices :* Deus est in orbe universo, et, speciali modo, in anima justi. Atqui tamen nec universus orbis, neque anima justi est adoranda. Ergo a pari, etc.

Resp. Nego conseq. et parit. Licet Deus sit in orbe universo, et in anima justi, nonnisi moraliter cum eis conjungitur, nec cum eis aliquid unum constituit, dum ex Christo et speciebus consurgit aliquid per se unum, videlicet Eucharistiæ sacramentum.

PROPOSITIO III

Laudabilis est usus Ecclesiæ proponendi et circumgestandi publice SS. Sacramentum.

311. Prob. 1° *Conciliis.* Viennense, occasione festi Corporis Domini, quod instituerat Urbanus IV, et ipsum confirmat in Clement. unica *De reliquiis et veneratione Sanctorum,* et miris encomiis superexaltat cultum Eucharistiæ, atque congruentias festi Corporis Christi simul tradit.

Concil. Tridentinum, sess. 13, cap. 5 : « Declarat præterea sancta Synodus, pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam introductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. » Can. 6 : « Si quis dixerit in sancto, etc. Vide n° 300.

312. 2° *Ratione. Primo, ex gratiis agendis.* His pompis et solemnitatibus Christiani gratos et memores testantur animos erga communem Dominum ; cujus rei et figuram, et exemplum habemus, II *Reg.* 6 et 7, ubi David ludebat coram Arca Domini, quando totus populus solemni pompa illam circumdabat. Et simile prorsus exemplum habemus, III *Reg.* 8.

313. *Secundo, ex memoria triumphi Christi.* Hoc beneficio, victoria et triumphus quem Christus in morte reportavit, repræsentantur, atque innuitur Ecclesiam lætari et quasi triumphalem diem agere pro gloriosa victoria, quam Christus Dominus messuit super inimicos, juxta illud *Psalm.* 109 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis : donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*

314. *Tertio, ex triumpho fidei super hæresim.* A tempore Berengarii, veritas SS. Sacramenti impugnata fuit, sed semper firmior ac splendidior evaserat. Oportebat igitur victricis veritatis de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant. De qua re optima figura legi potest, *Josue* 6 [1].

315. *N. B.* Attamen qui, ob negligentiam, non eliceret actus adorationis, sive tempore elevationis post consecrationem, sive cum Eucharistia ad infirmos defertur, aut in processionibus gestatur, non peccaret lethaliter, secluso contemptu et scandalo ; quia communiter censent theologi, materiam esse levem. Aliter vero sentiunt de præcepto negativo, quo prohibetur injuriam et irreverentiam SS. Sacramento irrogare ; quia intrinsece malum est rem honore infinito dignam irreverenter tractare. Unde in Extravagante *De celebratione Missarum*, et *De custodia Eucharistiæ*, et *De Consecr.* dist. 1 et 3, nonnullæ, et quidem graves imponuntur pœnæ his qui aliquid negligenter vel irreverenter egerint contra SS. Sacramentum. Hæ tamen pœnæ jam a multis sæculis non incurruntur *ipso facto*, sed Episcopus potest eas imponere, cujus prudenti arbitrio commissæ fere jam sunt hujusmodi pœnæ, sicut innuit D. Thomas, 3 p. q. 83, a. 6, ad 7 :

[1] Hanc triplicem rationem fere quoad verba deprompsi ex concil. Trident., sess. 13, cap. 5 : « Æquissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, etc. »

« Pensatis tamen conditionibus negotii et personæ, potest minui vel addi ad pœnitentiam prædictam. »

316. *Dices* : I *Reg.* 4, filii Israel, bona quidem intentione, sed absque mandato Dei adduxerunt Arcam Dei in castra, existimantes, per eam Arcæ circumgestationem, se victoriam de hostibus adepturos fore ; sed contra accidit, nam exercitus cæsus est, sacerdotes qui Arcam adduxerant, occisi sunt, et ipsa Arca capta est. Ergo, sine mandato Dei, non licet circumferre SS. Sacramentum. Ita Kemnitius, qui hoc argumentum insolubile existimat.

Resp. Neg. conseq. Causa tot tantarumque calamitatum non fuit inductio Arcæ intra castra, sed peccata Israelitarum, et præcipue sacerdotum Ophni et Phinees, filiorum Heli, Sacerdotis Magni, sicut ipse Deus testatur, I *Reg.* 2 et 3. Nam alioqui Arca erat in castris, quando insignem victoriam retulit Saul, I *Reg.* 14, et quando Israelitæ, *Num.* 14, ab Amalecitis victi sunt ; Scriptura monendum putavit, non fuisse tunc Arcam Dei cum illis qui præliabantur. Demum placuisse Deo honorem Arcæ impensum in solemni processione et circumgestatione, sive ipse id mandasset, sive non, perspicuum est ex variis Scripturæ divinæ testimoniis : *Josue* 6, solemnis circumgestatio Arcæ septem diebus celebrata effecit, ut corruerent mœnia Jericho, et caperetur urbs sine Hebræorum sanguinis effusione. Et illa quidem processio a Deo mandata fuit. Sed II *Reg.* 6 et 7, et III *Reg.* 8, solemnissimæ et Deo gratissimæ leguntur processiones, cum Arca Domini deferretur de loco in locum, quas tamen Dominus minime fieri jusserat. Bellarm. IV *De sacram. Euch.* 30.

Inst. Jam honoratur et publice defertur SS. Sacramentum, feria quinta in Cœna Domini. Ergo non fuit causa instituendi festum Corporis Christi.

317. *Resp. Nego conseq.* Non enim plus æquo honoratur tantum Sacramentum, etiamsi duplex solemnis dies specialiter ad illius cultum deputetur. Deinde, ut optime habet concil. Viennense (Clement. *De reliquiis et veneratione Sanctorum*), « licet hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur et dignum, ut de ipso saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam et infamiam, memoria solemnior et celebrior habeatur. In die namque Cœnæ Domini, quo die ipse Christus hoc

instituit Sacramentum, universalis Ecclesia, pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione Chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, et aliis quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi hujus maximi Sacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa observat Ecclesia, ut quamvis in Litaniis et Missis, ac aliis etiam ipsorum memoriam sæpius renovemus, nihilominus tamen ipsorum natalitia, certis diebus, per annum solemnius recolat, festa propter hos eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut alias, ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certam diem, in qua generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi, quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum existeret, solveretur. Potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum sacramentum corporis et sanguinis Jesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria et corona, ut festivitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo quod in aliis missarum officiis, circa solemnitatem, est forsan prætermissum, devota diligentia suppleatur, et fideles, festivitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis missarum solemniis, sæcularibus forsitan agendis implicite, aut alias, ex negligentia vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente id humilitate spiritus et animi puritate restaurent. Intelleximus (Pontifex Clemens V) autem olim dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis divinitus revelatum festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum. Nos itaque ad corroborationem et exaltationem catholicæ fidei, digne ac rationabiliter duximus statuendum ut de sancto Sacramento, præter quotidianam memoriam quam de ipso facit Ecclesia, et solemnior, et specialior annuatim memoria celebretur, certum ad quod designantes et describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post Octavam Pentecostes, ut in ipsa quinta feria devotæ turbæ fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant, et tam clerici quam populi gaudentes, in cantica laudum surgant : tunc enim omnium corda et vota, ora et labia hymnos persolvant lætitiæ salutaris : tunc psallat fides, spes trepidet, exultet charitas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas jucundetur, etc. »

318. Hoc decretum tulit concil. Viennense, an. 1312, sed ut jam dictum est supra, Urbanus IV instituerat festum Corporis Domini occasione miraculi, quod contigit Vulsinii prope Urbem veterem, dum sacerdos Belgicus, qui Romam petebat, missam celebraret, dubitans de præsentia reali; fluxit enim sanguis, in fractione hostiæ, respersitque linteum et altare, ita ut imaginem Salvatoris depinxerit.

Quocirca ipse Leibnitzius, *in systemate theologico:* « Adoratio sacratissimi Eucharistiæ sacramenti, tametsi non semper æque usitata fuerit, laudabili tamen pietate recepta est. Primi enim Christiani in omnibus quæ ad externam cultus demonstrationem pertinent, christiana simplicitate utebantur, quæ quidem reprehendi non potest; intus enim animi vera pietate flagrabant. Cum vero paulatim refrigesceret zelus, necessarium fuit adhibere exteriora signa, ritusque solemnes instituere, quæ officii admonerent, ardoremque devotionis resuscitarent, præsertim ubi magna ratio aut occasio esset. »

Quæritur an necesse sit mente ponere aliquam conditionem, quando adoratur SS. Sacramentum?

319. Alensis requirit hanc tacitam conditionem, et illi favere videtur S. Bonaventura, nam, in III, dist. 24, a. 1, q. 1, ita habet: « Omnis fidelis recte adorans hostiam consecratam adorat sub ea conditione, si perfecta sunt circa ipsam ea quæ ad consecrationem sunt necessaria, secundum divinam institutionem; et sic nunquam decipitur, nec errat. » Attamen verius plerique theologi cum S. Thoma (in III, dist. 9, q. 1, a. 8, q. 6, ad 2) dicunt, per se loquendo, et seclusis specialibus circumstantiis, per accidens occurrentibus, absolute adorandum esse hoc sacramentum, nulla in actu posita conditione. Nam, ut homo simpliciter et absolute operetur, sufficit moralis certitudo; alioquin nec parentes possemus absolute venerari, neque sacerdos posset absolvere, sed sub conditione tantum, v. g. si es baptizatus, vel rite dispositus, etc. Deinde si contingat deceptio, non eo ipso elicitur actus idololatriæ, quum non sit alia intentio, saltem in habitu, quam adorare solum Deum Jesum Christum.

PARAGRAPHUS II

DE REGULIS CIRCA CUSTODIAM ET CULTUM EUCHARISTIÆ

1. — Regula generalis.

320. Eucharistia iis tantummodo ritibus est colenda, quos non privata devotio, sed ecclesiastica auctoritas probaverit; alias enim facile irreperent abusus, qui in contemptum et injuriam tanti Sacramenti vergerent. Quantavis enim privatus fidelis etiam sacerdos, vel episcopus, polleat sanctitate et doctrina, non est tamen infallibilis, et ideo potest etiam bona intentione intempestivos introducere ritus. Aliunde, si fas esset unicuique sacerdoti, vel etiam episcopo novum ritum, novumque morem introducere circa Eucharistiæ cultum, mox haud unitas cultus eluceret in Ecclesia Dei, sed farrago atque confusio pessima, quam summopere ex omni cultu arcenda est, sed maxime ex cultu erga Sacramentum Sacramentorum. Propterea quæ spectant ad cultum publicum, solus Summus Pontifex ac Concilia œcumenica decernere possunt; Papæ enim, quatenus summo Sacerdoti et Doctori atque veritatis ori, concreditum atque impositum est a Christo munus servare fidem atque germanum Dei cultum, qui est fidei perfectissima expressio, juxta illud : *Modus supplicandi est lex credendi.* Recollige quæ explanavimus in tractatu *De Ecclesia*, ubi de Ecclesiæ seu Pontificis Romani dotibus.

321. Aliunde hanc regulam delineavit ipse Benedictus XIV, in constitutione *Cum, ut recte nosti*, directa ad episcopum Tusculanum, vicarium generalem Papæ, die 27 julii 1755 : « Sepositis itaque superius allatis animadversionibus, rationibusque, vel ritui faventibus, vel oppositis, ut tuto liceat ad propositam metam pertingere, unica cui insistas, tutaque via sita est in investigandis expendendisque regulis ab Ecclesia præscriptis de cultu sanctissimæ Eucharistiæ; neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate, vel ex veræ etiam devotionis, zelique affectu, novum ritum inducere.... Et quoties aliquem ritum hujusmodi induci contigit, etsi nihil continentem pietati ac religioni oppositum, Apostolica Sedes eumdem ipsum interdicere non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis, nullatenus prævisis, vel neglectis ab eo qui ritum invexit. »

II. — Regulæ quoad locum

322. 1° *Jus commune.* Ex generali regula Ecclesiæ, non licet asservare sacram Eucharistiam, nisi in ecclesiis parochialibus; nam asservatio potissime conceditur, ut ægrotantes possint refici sacra communione, ideo quum ad parochum pertineat sacramenta ministrare, in ecclesiis parochialibus tantum, ex regula juris communis, licet SS. Sacramentum asservare. Hanc regulam memorat Bened. XIV, in constitutione *Quamvis justo*, § 24, data 30 aprilis 1749 : « Quoniam vero alterius hujusmodi gratiæ concedendæ jus ad Nos et Apostolicam Sedem privative pertinet, quod innuit decretum superius relatum (S. C. Episc. a Bened. XIV approbatum et confirmatum), et canonica docet disciplina, juxta quam sacrosancta Eucharistia in ecclesiis quæ parochiales non sunt, retineri non potest, absque præsidio Apostolici indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quæ hujusmodi indulti præsumptionem inducit; ut late ostenditur in *Commentariis* bon. mem. Cardinalis Vincentii Petra ad Romanorum Pontificum Constitutiones, et signanter ad Const. I Urbani IV. »

323. 2° *Consuetudo.* Consuetudo etiam obtinuit jam a declinante præcedenti sæculo, ut asservaretur in sacellis regularium monialium in clausura viventium, et hospitalium. Et hæc consuetudo approbata fuit a Summis Pontificibus. Ratio in promptu est; nam illæ communitates, aut vi suarum constitutionum et regularum, aut vi infirmitatis, veluti segregantur a parochia, et non sine magnis incommodis SS. Sacramentum ab earum sacellis amoveretur. Vide S. Alph. lib. VI, n. 424.

Imo apud nos invaluit usus asservare Eucharistiam in sacellis seminariorum, et hunc usum approbavit etiam expresse S. Cong. Conc. Seminaria enim instituuntur vi decreti concilii Tridentini et constitutionum Summorum Pontificum.

S. Alphonsus, loco citato, dicit : « Non permittitur autem in collegiis solius Ordinarii auctoritate constitutis, ut sunt conservatoria, quæ non approbantur, sed tantum a Sede Apostolica tolerantur, et in quibus jura parochialia reservantur parocho. » Deinde dicit : « Neque permitti in granciis regularium, neque in collegiatis, nisi asservatio Eucharistiæ ibi esset pro servitio suarum parochiarum; neque in ecclesiis confraternitatum, quæ non vivunt in clausura, nisi tamen adesset consuetudo, vel neces-

sitas asservandi Eucharistiam ad consulendum saluti animarum. » Et hæc omnia confirmat variis decretis SS. Congregationum. Sed apud nos episcopi indulgent ut sacrosancta Eucharistia in prædictis sacellis servari possit. Hac autem facultate potiri episcopos, dummodo tamen adsit rationabilis causa, constat ex decreto S. C. Rit. in *Iseolensi de ferro*, 11 jun. 1604, quod refert Ferraris.

324. 3° *Oratoria privata et ruralia.* In oratoriis autem privatis, vel etiam in ruralibus parochialibus, nunquam licet asservare Eucharistiam sine indulto Apostolico; neque excipitur oratorium palatii episcopalis, ut constat ex multis decretis quæ referunt Analecta (25 fasc. col. 636.) Solus etiam Papa potest secum deferre sacram Eucharistiam in itinere; sed ipse potest concedere sacerdotibus, tempore persecutionum, ut eam habeant in privatis domibus, eamque deferant secum; imo indulgere hoc potest ipsis laicis, sicut narratur de S. Pio V, qui Mariæ Scotorum Reginæ dum in carcere degeret, hunc favorem concessit. Vide constitutionem Bened. XIV *Etsi pastoralis*, § 6, n, 7 : « Obsequium enim ac reverentia qua singuli fideles augustissimum hoc sacramentum prosequi debent non patitur ut privatim ac latenter, cujuscumque arbitrio et voluntate, domi illud retineatur, aut in itineribus ac peregrinationibus asportetur. »

325. *Nota.* Quoad communionem distribuendam fidelibus qui intersunt sacrificio Missæ, aliqui existimarunt, non requiri specialem licentiam, freti his verbis conc. Tridentini, sess. 22, cap. 6 : « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret. » Sed hanc sententiam pessumdavit Benedictus XIV, in laudata constitutione *Quamvis justo*, § 23 : « Verum aliam esse subjunximus, quæ Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum oratorium domi habet, dum Missæ in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanæ etiam consuetudini, sive praxi cohærens nobis visa est (dum esset adhuc Bononiensis archiepiscopus) ; ac proinde ordinavimus ne in privato oratorio recipi communio posset ab iis qui in eodem Missæ intersunt, quum vel sæcularis sacer-

dos, vel sacerdos regularis celebraret, nisi vel nostram. vel generalis vicarii nostri licentiam obtinuisset. » Deinde in § 24, declarat Pontifex, rectum disciplinæ ordinem postulare, ut hac in re episcoporum statuta observentur.

III. — Regulæ quoad tabernaculum.

326. 1° *Antiqui modi.* Fere usque ad tempora Gregorii XI, Eucharistia asservabatur in secretario seu sacristia. Postea Romæ mos invaluit recondere Eucharistiam in arca seu tabernaculo super altare principale vel etiam speciale collocato. In Galliis sat communiter invaluerat usus, saltem in præcipuis ecclesiis, ut Eucharistia servaretur quidem in ecclesia, sed suspensa in vase, non autem reposita in tabernaculo. Hunc morem nunquam viguisse in italicis basilicis, demonstrat Mabillonius, in *Itinere italico*. Duplicis generis autem vasa adhibebant antiqui ad asservandam Eucharistiam, scilicet turres et columbas : interdum etiam erat in usu vasculum quod urnæ formam habebat. Hæc vasa modo aurea, modo argentea, modo eburnea, vel etiam lignea erant. De ipsis erudite disserit Mabillonius, et Martenius, I *De Antiq. Eccl. ritibus*, cap. 5, a. 3.

327. 2° *Modus hodiernus. Primo*, SS. Sacramentum servari debet in tabernaculo supra altare majus reposito et benedicto, nisi Ecclesia sit cathedralis. In ipsa enim « non est asservandum in altari majori, sed in alia capella, propter functiones pontificales necessario peragendas ab Episcopo retrorsum ad altare majus. » S. Alph. lib. VI. n. 424. Et pluries declaravit S. Cong. Episcoporum.

328. *Secundo*, sine speciali indulto Apostolicæ Sedis, non licet Eucharistiam in duplici tabernaculo ejusdem ecclesiæ servare ; ita enim declaravit S. Cong. Rituum, 21 jul. 1696, et 16 mart. 1861.

329. *Tertio*, nunc SS. Sacramentum recluditur in pixide seu ciborio ex solida et decenti materia confecto, sub quo extenditur corporale mundum. Nihil, præter Eucharistiam, fas est reponere in tabernaculo, ne SS. oleorum quidem vasa, a fortiori neque reliquias, neque purificatorium, neque vas ad abluendos digitos. Ita decrevit S. C. Episcop. 3 maii 1693. Tabernaculum vero potest esse ferreum, vel ligneum, vel lapideum, etc., dummodo accurrate clausum; sed exterius debet vel ex

toto, vel ex parte deaurari, et interius esse decenter contectum panno sericeo albi coloris; ita enim declaravit S. Cong. Concilii, et S. Cong. Episcop. Item pixis esse debet cooperta velo albo et ornato; sic enim fert Rituale Romanum : « Curare porro debet Parochus ut perpetuo aliquot particulæ consecratæ eo numero qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pixide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, et, quantum res feret, ornato in tabernaculo clave obserato. »

«Hoc autem tabernaculum conopæo decenter opertum atque ab omni alia re vacuum, in altari majori vel in alio quod veneratione et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum; ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. »

Apud nos infauste quædam omittuntur, præsertim velum pixidis, et conopæum tabernaculi; sed S. C. Rit. 21 jul. 1855, declaravit hæc esse observanda, nisi forte intus totum condecoretur lamina aurea vel argentea. Conopæi color potest esse albus, vel idem ac paramentorum color in die adhibitorum; confici autem potest ex gossypio vel lana, vel cannabe. Attamen usus conopæi non est strictæ obligationis.

Si autem Eucharistia amoveatur a tabernaculo, debet remanere apertum, et lampas extinguenda est, ne fideles in errorem inducantur.

330. *Quarto*, in vertice tabernaculi collocanda est crux quæ deferat Jesum Crucifixum. Supra illud, aut ante illud, non licet flores, neque thecas reliquiarum, neque imagines, vel aliquid simile ponere, ut sæpe declaravit S. Cong. Rituum, sicut videre est apud De Herdt, *Sacra Liturgia*.

331. *Quinto*, « jus retinendi claves tabernaculi privative spectat ad parochum ; idque non permittendum monialibus, neque laicis, etiam in feria quinta Cœnæ Domini, nisi adsit in aliquo loco immemorabilis consuetudo; quam tolerandam esse censet Pignatellus, et testatur sic servari in Hispania et in regno Siciliæ, ac etiam Neapolitano. » S. Alph. lib. VI, n. 424. Hæc consuetudo viget quoque apud nos; sed tamen recta ratio postulat, ut claves tabernaculi habeat parochus, quia ipse ab Ecclesia constituitur custos SS. Sacramenti.

IV. — Regulæ quoad lampades.

332. *Primo*, ita fert Rituale Romanum : « Lampades coram eo (SS. Sacramento) plures vel saltem una diu noctuque perpetuo colluceant. » Obligatio servandi atque fovendi lampadem ardentem videtur esse sub gravi ; nec est dubium quin peccaret lethaliter parochus, vel ille cui commissa est hæc cura, si ex illius negligentia, lampas tota die, vel aliquot noctibus, non arderet ante venerabile Sacramentum. Ita Busembaus et alii, quibus astipulatur S. Alphonsus, lib. VI, n° 248. Si autem una tantum hora maneret extincta, peccatum esset leve, juxta S. Alphonsum, ibid. Nunquam Summi Pontifices dispensaverunt ab obligatione nutriendi lampadem ante SS. Sacramentum ; et paucis abhinc annis, cum instantissime rogaretur Pius IX, ut supra hoc faceret dispensationem, ob extremam aliquarum parochiarum paupertatem, quæ neutiquam expensas sustinere poterant, Pontifex respondit, non esse asservandum Sanctissimum.

333. *Secundo*, lampas ponenda est in medio ante tabernaculum ; si plures sint, aliæ debent poni hinc et inde, atque suspendi, ita ut ingredientes locum sacrum moneantur illico de præsentia reali. Ideo non licet eas collocare supra valvas templi, vel inuncare ac veluti conglutinare ad illius parietem. Debet emicare oculis, ut sponte, et sine ulla indagatione videatur.

Quod ut tutius præstetur, valde optabile est, ut plures lampades ardeant coram SS. Sacramento. Aliunde hæc est mens Ecclesiæ, quæ, veluti per tolerantiam, unam patitur lampadem ; nam Rubrica Præconii Paschalis simpliciter ita fert : « Hic accenduntur lampades. » Quocirca Romæ et aliis non paucis Italiæ in Ecclesiis, plures lampades diu noctuque perpetuo collucent coram SS. Sacramento.

Qui igitur in lampade ellychnium adeo tenue constituunt, ut ignis potius appareat esse exigua lampyris noctiluca, quam flamma lampadis, vix præceptum Ecclesiæ adimplent. Præter quod fidei paucissimæ, sin extinctæ, et zeli fere congelati indicium atque signum haud dubium fidelibus præbent. Proh pudor ! apud Romanos ethnicos erat collegium Vestalium, ut ignis ardens semper nutriretur super altare Jovis, ea lege, quod, si, ex negligentia alicujus Vestalis, extingueretur, rea mortis damnaretur ; et apud Catholicos, illa scintilla flammæ quæ perpetuo

lucere debet ante Agni Immaculati altare', negligitur, aut avare minuitur : adeo ut in Ecclesia, sicut olim in castello Betaniæ, resonet hoc sordidissimum : *Ut quid perditio hæc?*

334. Intolerabilis est abusus, quod lampas suspensa in medio ante altare extincta maneat fere semper, sin excipias dies festorum solemnium, atque linum vix fumigans collocetur in loculamento. Juvat etiam advertere quod munus et cura lampadis primario ac præcipue imponitur sacerdoti; unde neutiquam satisfecit suo officio, quando illud onus imposuerit laico, nisi noctu diuque ipse sollicitus sit an lampas perpetuo colluceat. Quod certo præstabit, si illius caritatis et zeli flamma coram hominibus luceat.

335. *Tertio,* oleum lampadis deberet esse olivarum; si tamen non facile haberi possit, aut facultates non suppetant ad illud emendum, Episcopus decernere potest ut lampas ex alio oleo enutriatur, v. g. nucum : atque illius judicio standum est, ut declaravit S. Cong. Rit., 9 jul. 1864. Ita fert : « Generatim utendum est oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit, vegetabilibus. » Quoad expensas olei, probabilius est parochum teneri per se illas erogare, nisi tamen beneficii ejus redditus sint exigui, aut non excedant id quod requiritur ad honestam sustentationem. Dico *per se*, quia fieri potest ut ex vi consuetudinis, hoc onus imponatur fabricæ, vel etiam parochianis. Si vero deficiant redditus fabricæ et parochiani reluctentur, tenetur Parochus lampadem ex suis sumptibus nutrire, si excedant *congruam debitam*, quæ ægre admodum determinari potest; nam pendet a multis variisque adjunctis. Attamen canonistæ ut *congruam debitam* pro parocho, definiunt summam centum nummorum argenteorum romanorum, et pro vicariis perpetuis, quinquaginta nummorum. Vide Craisson, *Manuale totius juris canonici*, n° 3590.

V. — Regulæ quoad specierum renovamen.

336. *Primo*, ita fert Rituale Romanum : « Sanctissimæ Eucharistiæ particulas frequenter renovabit (parochus). Hostiæ vero seu particulæ consecrandæ sint recentes, et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat, vel sumat. »

Martenius (I *De ant. Eccl. ritibus*, cap. 5, a. 3, n° 9) citat

canonem concilii Turonensis in quo præscribitur presbytero renovare sacratissimas species, saltem singulis triduis, sed addit : « Communis tamen Ecclesiæ Latinæ usus obtinuit, ut semel tantum singulis hebdomadis, aut ad summum singulis quibusve quindenis diebus Eucharistia ad viaticum infirmorum reservata innovaretur ; id quod infinitis prope testimoniis probare possemus. »

337. *Secundo*, sane Innocentius IV, an. 1254, postquam damnavit morem apud Græcos vigentem, quo per totum annum servabant Eucharistiam consecratam in Cœna Domini ad communionem infirmorum, jussit ut ad minus singulis quibusque quindenis diebus renovaretur. Cujus decreti meminit Benedictus XIV, in § 29 constitutionis *Allatæ sunt*, 26 jul. 1755. Et ipse in constitutione *Etsi pastoralis*, jam ita decreverat, § 6, n° 4 : « Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur [1]. »

Præfatam regulam primum tradit Bouvier (*De Euch.* 2 p. cap. 3, a. 2, § 3, n° 3.) et memorat auctoritatem Benedicti XIV ; et tamen supponit deinde, formulas consecratas posse servari usque ad mensem. Sed nequaquam mihi compertum est quo fundamento innitatur, ut adeo deflectat a norma Ecclesiæ quæ prorsus non excedit modum, neque intolerabile onus imponit ; si enim in veteri lege Panes Propositionis, qui erant tantum figura Eucharistiæ, renovari debebant singulis sabbatis, quidni panis Eucharisticus [2] ?

Omnino standum est legi Ecclesiæ, ut ostensum est supra (320 et 321) ; alias erumperent abusus, et, proh dolor ! de facto eruperunt passim : aliqui enim usque ad mensem, alii usque ad sex hebdomades, alii usque ad duos, aliqui ad tres, vel etiam

[1] Articulus 391 Constitionum Synod. diœcesis Cambericnsis ita fert : « Il faut employer les hosties aussi fraîches qu'il se peut : on ne doit pas consacrer celles qui auraient plus d'un mois. Il faut toujours avoir soin aussi de faire consumer les plus anciennes et les renouveler en entier tous les quinze jours, et même plus souvent si l'église et le tabernacle sont humides. »

Conc. Mediolanense XI, sub S. Carolo Borromæo, ita decrevit : « Hostiæ octavo quoque die renoventur, idque fiat ex hostiis non ante viginti die ad summum confectis. »

[2] I *Paralip.*, 9, 32 : *Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant Propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent.*

quatuor menses servant eamdem hostiam pro expositione SS. Sacramenti. Hæc turpissima negligentia mihi videtur non posse excusari a mortali peccato, etiam si non corrumperentur species, quia lex ecclesiastica est in re gravi et fundatur præsumptione periculi. Sane ita præparari et coqui potest panis, ut servetur integro anno, quin corrumpatur, sicut faciebant olim Græci; et ideo tunc non esset mortale servare toto anno hunc panem consecratum.

Si autem tabernaculum ex maceria extrinsecus esset noviter extructum, sæpius renovandæ essent hostiæ; alioqui humescerent, atque corrumperentur, aut saltem minus decenter possent porrigi communicantibus. Tunc satius est lunulam ostensorii cum hostia recondere in pixide hermetice occlusa.

VI. — Regulæ quoad expositionem SS. Sacramenti.

338. *Primo*, inquiritur utrum probanda, an improbanda sit Eucharistici sacramenti frequens expositio? Hanc quæstionem sibi ponit Benedictus XIV, in constitutione *Accepimus*, 16 april. 1746, et respondet: « Hæc sane quæstio conferri potest cum alia quæstione, utrum consentaneum magis judicetur rem divinam singulis diebus conficere, an vero aliquando intermittere; utrum pariter illi qui sacerdotes non sunt, et tamen ad percipiendam Eucharistiam quotidie accedunt, laude an censura digni videantur. Nullum his quæstionibus responsum fieri potest, nisi antea declarentur peculiares rerum circumstantiæ, ex quibus omnis solutio difficultatis desumenda est. » Deinde dicit, si, ex frequenti expositione, non minuatur reverentia erga SS. Sacramentum, et augeatur devotio, expedire ut Episcopus eam prosequatur; si secus, prudentia et consilio oportet expositiones diminuere, ita tamen ut pusilli nullum scandalum et offensionem patiantur. Eamdem regulam tradit cum Concina S. Alphonsus, lib. VI. nº 424, sed addit: « Modo (exciperem) non sit nimis frequens; nimia enim frequentia esset quidem causa ut reverentia erga tantum Sacramentum minueretur. » Ideo facilius permittitur frequens expositio SS. Sacramenti in sacellis monachorum et monialium. Et ratio in promptu est, quum religiosæ communitates ac familiæ soleant majori charitate ac devotione erga SS. Sacramentum fervere.

339. *Secundo*, exceptis feria quinta in Cœna Domini, et tota

octava festi Corporis Domini, non licet, nisi ob causam publicam gravem, et cum licentia episcopi, extrahere SS. Sacramentum a tabernaculo atque exponere. Et huic regulæ subjacent etiam regulares, sicut declaravit S. Cong. Concilii, 17 aug. 1630. Hanc regulam confirmavit Benedict. XIV, in constitutione *Accepimus :* « Illud in primis certissimum est huic Sedi Apostolicæ, in quibuscumque ecclesiis etiam privilegio immunibus, sive sæcularibus, sive regularibus, non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint; solius autem Episcopi partes esse, ut causæ publicæ meritum expendat ac declaret. »

340. *Tertio*, potest sacerdos, etiam ob privatam causam, aperire tabernaculum ad venerandum SS. Sacramentum, dum non extrahatur atque velatum remaneat; ita enim decrevit S. Cong. Episc. 9 dec. 1602. « Si quandocumque privata ex causa sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur, sed pixide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus sacerdotis stola et superpelliceo induti et cum sex saltem luminibus cereis. Quod enim in ecclesiis sæcularium servari mandamus. » Quod confirmavit Bened. XIV, in const. *Cum ut recte nosti*, § 13; deinde subdit Pontifex : « Si autem non debet a tabernaculo educi, facile intelligitur in designatis casibus non esse illud afferendum ad ecclesiæ januam, nec cum eo benedictionem impertiendam. »

341. *Quarto*, ex decreto Papæ Innocentii XII, dum fit expositio Sacramenti, debent amoveri reliquiæ sanctorum, statuæ ac imagines animarum purgatorii; sed retineri possunt angeli adoratores, qui idcirco non debent in capite suo coronas deferre.

Simplex sacerdos dum impertit benedictionem cum SS. Sacramento unum duntaxat signum crucis describit nihil dicens; episcopus tria crucis signa producit. Interea nec cantores, neque musici debent canere, sicut expresse prohibuit S. Cong. Conc. febr. 1762 : « In benedicendo populum cum SS. Sacramento, celebrans nihil dicere, cantores et musici nihil quoque canere interim debent, ad præscriptum *Ritual. Roman.* et *Cærem. Episc.*, non obstante quacumque contraria consuetudine. »

PARAGRAPHUS III

DE VENERATIONE DEBITA REBUS QUÆ SPECTANT AD EUCHARISTIAM

SECTIO I

DE CULTU NEGATIVO

* Templa, altaria, vasa, linteamina et indumenta sacra potissime referuntur ad SS. Eucharistiam. Porro quædam prohibentur circa illa, et constituunt cultum negativum; quædam vero præscribuntur, et constituunt cultum positivum. Prohibentur autem imprimis irreverentia et injuria erga prædictas res sacras; deinde, Ecclesia, ut magis ac magis foveret venerationem erga illas, decrevit immunitatem ecclesiarum, et prohibuit tangere quasdam res sacras quæ proximius SS. Eucharistiam respiciunt ac appropinquant.

PUNCTUM 1. — *Irreverentia et injuria.*

342. *Primo*, jure ipso naturali prohibitum est facere quidquid in injuriam vel irreverentiam rerum sacrarum vergere potest; et, supposita veritate mysterii Eucharistiæ, hæc conclusio est apertissima, nemoque eam potest inficiari. Unde Elias, in III *Reg.* 19, conquerebatur : *Domine, altaria tua destruxerunt.* Et Dominus ipse *Matth.* 21, ejecit negotiatores e templo dicens : *Domus mea, domus orationis est.* Et *Joan.* 2 : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Quæ omnia a fortiori dicenda sunt de templis in quibus est vere, realiter, ac substantialiter Christus. Notissima sunt alia loca tum veteris, tum novi Testamenti. Quocirca concil. Aquense seu Aquisgranense III (sub Pipino) ita habet, cap. 17 : « Si Abraham pro eo quod Dei altaria erexit cultumque ejus veneratus est, tot a Deo prærogativis donatur, dubium non est, quin altarium sanctorum eversores, et sacrarum rerum, quibus in iisdem altaribus famulandum est Deo, subreptores damnentur. »

343. *Secundo*, hinc non est licitum aliquid venale in Ecclesiis vel etiam cœmeteriis exponere, nisi fortasse in usum ipsius ecclesiæ. Hoc expresse prohibetur a conc. Constant. III, sexto generali, in canone 79, et a multis aliis conciliis. Prohibentur etiam omnia negotia sæcularia; nec excipiuntur judicia, præsertim in causis temporalibus, et maxime in criminalibus. Item

conventus seu concilia publica sæcularia, quæ prohibentur etiam jure ecclesiastico, uti videre est ubi *De immunitate ecclesiarum*, cap. *Cum Ecclesia*, cap. *Decet*, etc. Imo etiam convivia seu agape in ecclesia prohibentur a S. Paulo, I *Cor.* 11; quod postea multis decretis Ecclesia confirmavit, maxime VI Synodus. Unde fit, idem a fortiori dicendum esse de aliis actionibus humanis, quæ locum sacrum minus decent, ut sunt hospitari ibi, dormire, etc. Quæ omnia sunt tamen intelligenda nisi ex necessitate aliqua fiant, vel ob piam causam cum debitis et honestis circumstantiis.

344. *Tertio*, quod autem dictum est de ecclesia et altari, applicari facile potest ad vasa sacra et res similes, quæ constringere, aut ad profanos usus convertere, per se et natura sua malum est; v. g. si quis uteretur calice in mensa communi, vel corporali, aut purificatorio ad abstergendas manus vel labia extra sacrificium, etc. Imo, ex jure ecclesiastico, pleræque res sacræ, etiam postquam suam consecrationem amiserunt, sive per dissolutionem, vel scissionem, aut fractionem, non possunt in usus profanos converti, sicut legitur in cap. *Altaris:* « Altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea quæ in sacrario fuerint, male tractari; cineres quoque eorum in baptisterium inferantur. » Quod intelligendum est etiam de vestibus sacerdotalibus et de aliis ornamentis vel rebus sacris, præsertim benedictis, et quæ immediate attingunt altaris ministerium, vel ecclesiæ ornatum.

345. Quoad vasa sacra, si sint confecta ex metallo, usus invaluit, ut possint converti in usus profanos, dummodo tamen prius frangantur vel in fusionem persolvantur. Aliunde, sicut bene advertit Suarez, ut vasa sacra possint ad alios communes usus deservire, debent iterum ferro et igne quodammodo transmutari, et ideo, moraliter loquendo, jam videntur esse omnino aliæ res; et ideo nullum est incommodum, quod postea aliis usibus deserviant. Suarez, in 3, disp. 84, sect. 8, n. 7. Vide S. Alphonsum, lib. III, n. 41.

346. *Nota.* E veteri jure ecclesiastico non licebat ipsa Ecclesiæ ligna converterè in usus profanos, sicut habetur *De Consecr.* dist. 1, cap. *Ligna:* « Ne ligna ecclesiæ dirutæ ad aliud opus sumantur, nisi ad aliam ecclesiam, vel ad profectum in mona-

sterio fratrum, non vero in usum laicorum, sed igni potius esse comburenda. » Ubi notat Glossa, etiam in conventu religiosorum non debere assumi ad fabricam coquinæ, vel alterius loci similis, sed ad capitulum, vel dormitorium, vel alia similia honesta loca. Quæ tamen lex contabuit ex consuetudine contraria jam a multis sæculis ubique introducta.

Quæritur an e converso ex rebus quæ profanis usibus servierunt, possint confici res sacræ?

347. Resp. affirmative, quidquid in oppositum dixerint aliqui. Nam « constat spolia domus profanæ dirutæ posse sanctissime dedicari in templum vel monasterium ædificandum. Item ex veste pretiosa potest fieri casula, ut constat ex piorum usu. Unde quotiescumque res profana mutat figuram seu artificialem formam, non est dubium, quin hoc possit fieri. Difficultas vero nonnulla esse potest, retenta etiam eadem figura, an possint res profanæ ad usus sacros dedicari. Sed in hoc etiam dicendum est, si secundum illam figuram aptæ sint ad aliquem usum sacrum, id posse fieri, per se loquendo, si alioqui non interveniat scandalum, vel specialis aliqua indecentia; quia hoc nullibi est prohibitum, et per priorem usum non contrahunt maculam aliquam, et si quam videntur moraliter habere quadam extrinseca denominatione, per benedictionem, vel declarationem ad usum sacrum purgantur; sic enim constat, communes domos in templa esse conversas. Marcellus enim papa domum Lucinæ consecravit, Urbanus domum Cæciliæ; nec solum vulgares domos, sed templa idolorum in ecclesias conversa sunt, ut constat de celebri romana ecclesia, quæ *Rotunda* dicitur, quæ *Pantheon* prius dicebatur, quam Bonifacius IV in honorem omnium sanctorum consecravit; et idem constat de aliis innumeris, quæ longum esset referre. Idem ergo fieri potest in paramentis et aliis hujusmodi rebus. » Suar. ibid. n. 8. Vide S. Alphons. lib. III. n. 9. Non decet tamen ut donatorum nomina et stemmata in locis apparentibus ædificiorum aut vestium insculpantur et depingantur, licet nulla lex scripta id prohibeat. Vide S. Alphons. lib. III, n. 10 [1].

[1] Sylvester, Verb. *Benedictio*, 1, q. 7, negat esse licitum, sub prætextu pietatis, mortuos etiam sacerdotes sacris vestibus induere atque ita sepelire. Sed in primis mos oppositus ubique invaluit, estque religioni ac pietati consentaneus. Deinde sacra indumenta tunc non adhibentur ad usus profanos,

PUNCTUM II. — *Immunitas locorum sanctorum.*

348. Fere ab incunabulis Ecclesiæ viguit jus immunitatis, quod prohibebat extrahere per vim ex ecclesiis eos qui ad illas confugerant, sicut videre est in capitibus *Definivit*, *Id constituimus*, *Si quis contumax*, etc. In cap. *Ecclesiæ* declaratur, hac immunitate gaudere omnes ecclesias in quibus divina mysteria celebrantur, etiam si consecratæ non sint. Ad quod jus alludens S. Ambrosius, epist. 33, dicit : « Nec altaria tenebo, vitam obsecrans. » Potissime enim ratione altaris hoc privilegium conceditur ecclesiæ. Hoc jus concessum est ecclesiis ad imitationem veteris templi ac tabernaculi, ut sumitur ex *Exodi*, 21, et III *Regum*, 1 et 2. Attamen privilegio immunitatis non gaudent qui spe talis immunitatis in ecclesia delinquunt, sicut declaratur in extravag. *De immunitate ecclesiarum*, cap. *Inter alia*.

PUNCTUM III. — *Prohibitio tangendi res sacras.*

349. *Primo*, si vasa sacra contineant SS. Eucharistiam, presbytero et diacono tantum licet ea tangere, extra casum necessitatis ; nam in casu necessitatis omnis homo et etiam mulier potest ea tangere, ne scilicet, v. g. evertatur calix, aut Sacramentum conculcetur, vel in terram decidat. Unde sacerdote jam celebrante, licet ministro etiam laico deferre pallam, patenam vel corporale et alia ad sacrificium necessaria, si desit minister qui has res vi ordinis suscepti tangere possit. Quo in casu est tamen optabile, si commode fieri potest, ut illas mediante velo apprehendat, ut contactus non sit immediatus. Quod tamen, propter incommodum, non suadetur operariis, in casu reparationis ; ipsi enim absque licentia possunt tangere res sacras, prout postulat operis commoditas. Vide Ferraris.

sed pios ac religiosos ; nam ipse actus sepeliendi defunctum est actus pietatis et misericordiæ, et circa personam sacram potest esse actus religionis. Nec mos ille est contra jus commune, adeo ut dicatur cohonestatus sola consuetudine ; nam jus canonicum (ut videre est cap. *Xenodochiis*, *De Relig. domibus*, et cap. *Nemo*, 2, *De consecr.* dist. 1) prohibet sepelire cum palla, vel corporali quæ immediate tetigerunt corpus Domini ; vel etiam de mappa altaris qua nullus defunctus obvolvi debet. Sed nihil dicit de ministrorum ac sacerdotum indumentis. Vide SUAREZ, in 3, disp. 81, sect. 8, n. 6. Quinimo Rubrica Ritualis præscribit usum vestium sacrarum.

350. *Secundo*, altaria, vasa sacra, lintea quæ immediate tangunt corpus Christi, nempe corporale, palla et purificatorium, post usum, non possunt tangi, ex jure communi, nisi a ministris sacris et acolytho [1]; sicut expresse de vasis dicitur in cap. *Non liceat*, dist. 23 : « Non liceat cuilibet ministro tangere nisi subdiacono aut acolytho in secretario vasa dominica. » Ita etiam tenet Benedict. XIV, notif. 29, n. 18, S. Alphonsus, lib. VI, n. 382, Ferraris, Quarti, etc. Attamen acolythus non potest ea deferre super altare in ordine ad sacrificium. Dico *post usum*, nam præter altaria, calices et res sancto chrismate consecratas, cæteræ omnes tangi possunt, si nondum adhibitæ fuerint ad usus sacros, vel si lintea noviter lota non adhuc iterum adhibita fuerint. Laicus aut clericus qui sine licentia tangeret vasa, aut linteamina sacra, non peccaret mortaliter, secluso contemptu et scandalo, sed venialiter tantum. Ita communissime theologi.

Juvat advertere, ostensorium non proprie recenseri inter vasa sacra aut benedicta, sed tantum ejus lunulam, quæ immediate corpus Christi tangit, atque ad hunc finem benedicitur : ostensorium vero non immediate corpus Christi tangit, neque benedicitur.

351. *Tertio*, Suarez, S. Alphonsus et alii non pauci dicunt, ex vi consuetudinis, licere omnibus clericis, monialibus et etiam laicis oblatis congregationum sacerdotum sæcularium sacristis, dum funguntur munere sacristæ, tangere vasa et linteamina sacra, prout ratio muneris expostulat. Addit S. Alphonsus, illos omnes satis excusari a necessitate, etiam si rem non sufficienter cohonestaret consuetudo, « quia, dum officium sacristæ exercent, semper adest aliqua necessitas sacra vasa tangendi (lib. VI, n. 382). Hanc necessitatem libenter admitterem pro quibusdam ecclesiis, in quibus scilicet numerosi sacerdotes celebrant missam, non autem pro singulis paræciis. Quidquid id est, illa consuetudo non viget in Galliis. Unde communiter licentia Episcopi petitur pro sacristis laicis ac monialibus.

352. *Quarto*, quandiu subdiaconatus non fuit ordo sacer,

[1] Ex antiquissimo jure, ne subdiaconi quidem poterant vasa sacra tangere; primævis enim sæculis, subdiaconatus nec sacer, neque major ordo erat.

munus fuit diacono proprium lavare linteamina sacra, nempe corporalia, pallas, et purificatoria ; ita enim decrevit jus : « Pallas vero et vela sanctuarii, si sordidata fuerint ministerio, diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lavent, non ejicientes foras e sacrario ; et velamina Dominicæ mensæ abluant *(De consecr.* dist. 1, n. 40). » « Quæ omnia, inquit Suarez, servanda sunt, saltem in prima lotione ; hoc enim nulla consuetudine abrogatum est, neque rationabiliter abrogari potest..... Quod si in secunda vel tertia lotione hoc idem servetur, optimum erit. » Adjunxi purificatoria linteaminibus sacris ; nam « licet benedictum non sit, tamen valde propinque attingit sanguinem Domini, et interdum fortasse aliquæ reliquiæ corporis vel sanguinis illi adjunguntur. De aliis vero pallis aut ornamentis altaris, etiamsi benedicta sint, non est similis ratio, et ideo sine scrupulo possunt lavari etiam a feminis et prima lotione. » In 3, disp. 81, sect. 8, n. 6.

353. S. Alphonsus et non pauci alii existimant vi decreti S. Clementis, etiam clericos in minoribus ordinibus constitutos posse prædicta lavare, nam dicitur Diaconi *cum humilibus ministris :* qui humiles intelligi possunt non tantum subdiaconi, sed omnes alii ministri. Quam interpretationem vix admittere possum ; nam minus facile conceditur licentia lavandi linteamina sacra quam illa aut vasa sacra tangendi. Unde prædicti auctores censent ipsas moniales posse ex licentia Episcopi lavare sacra linteamina. Sed S. Cong. Rit. decrevit, 12 sept. 1857, episcopos non posse concedere monialibus licentiam abluendi corporalia, pallas et purificatoria. Et Pontificale Romanum, ubi de ordinatione subdiaconorum, recenset ablutionem pallarum et corporalium inter propria munera subdiaconi, non secus ac diaconi calicem et patenam in usum sacrificii offerre : « Adepturi, filii dilectissimi, officium subdiaconatus, sedulo attendite quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare ; Diacono ministrare ; *pallas altaris et corporalia abluere*, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offere. »

SECTIO II

DE CULTU POSITIVO

PUNCTUM I. — *Ejus existentia.*

354. Omnino tenendum est, deberi aliquem cultum locis et rebus sacris, nam aperte hanc doctrinam tradiderunt Patres et Concilia. S. Ambros. *Epist.* 14, dicit, fideles solitos esse altaria osculari, venerationis causa, sicut solemus reliquias et imagines osculari. — S. Greg. Naz.: « Præsepe adora; nam quæ Deo oblata sunt, ejus participatione et contrectatione sancta fiunt. » —S. Chrysost. *Hom.* 30 in II *Cor.*: « Nonne videtis quod vestibula templi hujus exosculantur, illi quidem flectentes, alii autem manu contingentes, et ori manum admoventes. » Alia testimonia colligere est apud Suarez, in 3, disp. 81, sect. 8, n. 9.

Conc. Nicænum II, act. 6 : « Quæcumque Deo offeruntur, aut consecrantur, sive divina fuerit venerandæ crucis figura, sive sacer Evangelii codex, sive venerandæ imagines, sive sacra vasa, ea complectimur et veneramur, ut qui spem habeamus sanctificationis ab ipsis reddendæ, et ob id illis adorationem honorificam exhibemus. »

Deinde ratio ipsa aperte inculcat hujusmodi cultum atque adorationem; nam positivus cultus est fundamentum cultus negativi, siquidem prohibitiones de quibus antea actum est, suam sufficientem rationem habent in sanctitate rerum tanquam in suo fundamento. Confirmatur, quia irreverentia circa hujusmodi res est sacrilegium; ergo e contrario eis debetur gloriosa veneratio.

355. Hæc veritas innititur quoque in S. Scripturis, nam *Exod.* 3, quando apparuit Moysi Dominus in flamma ignis de medio rubi, dixit illi : *Ne appropies huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et *Exod.* 12, et 28, et alibi, dies festi dicuntur sancti, vestes sacerdotales vocantur sanctæ. A fortiori igitur ecclesiæ, dies festi, vasa et indumenta sacerdotalia in nova Lege.

Et *Psalm.* 98 : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Ubi per scabellum intelligitur Arca Testamenti, juxta illud I *Paral.* 28 : *Paravi Domum, ubi requiesceret Arca Domini et scabellum pedum Dei nostri;* et ratio illius meta-

phoræ colligitur ex II *Reg.* 6, ubi dicitur Deus sedere in Cherubim super Arca; erat enim super Arca, inter duo Cherubim, Propitiatorium tanquam sedes Dei; et ideo dicitur Arca *scabellum pedum ejus*. Quod si, ut alii volunt, per scabellum intelligitur templum, etiam sic confirmatur quod intendimus; nam inter res sacras de quibus agimus, templa computamus. Unde S. Hieron. in Epist. 18 *ad Marcell.*: « Venerabantur Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim et Propitiatorium et Arca Testamenti. » Ergo multo magis nos venerabimur templa nostra, in quibus Christus Dominus præsens adest; et eadem ratio est de aliis rebus sacris. Suarez, in 3, disp. 81, sect. 8, n. 9.

PUNCTUM II. — *Ejus natura.*

356. I. DEBET ESSE INTERIOR. Durandus existimavit exteriorem actum honoris et adorationis circa res sacras sufficere; sed hæc sententia aperte opponitur conc. Nicæno II, act. 6; nam honoraria adoratio quam ipsum requirit, non potest esse, quin exeat corde. Sane verus honor non est ille qui tantum apparens ac fictus est. Unde si res sacra fari posset, recte diceret illud *Isaiæ* 29 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Deinde actus et honor externus per se non est adoratio, sed potest esse ludibrium : imo etiam ritus externus qui se habet per modum venerationis, non ideo est cultus et adoratio, licet recta intentione fiat; alias qui se humilians coram Deo terram deosculatur, veneraretur atque adoraret terram; quod falsum est. Ergo non satis est externe osculari altare, calicem et cætera hujusmodi; sed præterea riquiritur actus internus et formalis intentio exhibendi cultum, sicut declaravit Synodus, act. 4 : « In omni salutatione et adoratione intentio ipsa requiritur et spectatur. »

357. II. EST ADORATIO RESPECTIVA. Cultus rebus sacris persolvendus non est absolutus sed respectivus tantum. Nam VII Synod. act. 6, dicit : « Habemus item et alia plurima consecrata vasa; hæc, quia in nomine tuo facta sunt et consecrata, exosculamur. » Antea dixerat, « imaginis honorem in primum exemplar reverti. » Deinde ut hanc doctrinam confirmet, adducit auctoritatem multorum patrum.

Sane res inanimatæ non sunt capaces honoris propter seipsas, et ideo nonnisi respectiva earum adoratio potest esse recta ac

legitima. Unde pertinet ad eamdem virtutem qua colitur Deus, scilicet ad religionem; nam tota ratio adorandi has res desumitur ex divina excellentia, ad cujus cultum templa, altaria, vasa sacra, etc., ordinantur.

358. Quapropter hæc adoratio non est latriæ, sed inferioris ordinis; fit enim propter extrinsecam tantum, non vero propter intrinsecam Dei excellentiam. Atque ut eam discriminet a cultu latriæ, qui soli Deo exhiberi potest, VII Synodus dicit, adorationem imaginum et rerum sacrarum non fieri in spiritu et veritate, quia animus adorantis eis non subjicitur, tanquam serviens propter seipsas, sed tanquam serviens Deo in ipsis, vel tanquam serviens ipsis propter Deum. Vide Suarez, in 3, disp. 81, sect. 8, n. 11 et seq. Unde S. Tharasius, in epistola lecta in conc. Nicæno II, act. 6 : « Quapropter non indignas habebimus imagines honore, salutatione et veneratione, debitamque adorationem illis dare debemus; sive igitur placebit salutationem, sive adorationem appellare, idem profecto erit, modo sciamus excludere latriam. »

Mihi fas sit claudere quæstionem de cultu Eucharistiæ per aliqua excerpta Encyclicæ *Annus qui*, quam edidit Benedict. XIV, die 19 februarii, occasione imminentis Anni Sancti. « Enixe commendamus, ut ecclesiæ optimo in statu sint, nitidæ, mundæ, sacroque supellectilli instructæ. Hic autem adverti volumus Nos verba facere non de sumptuositate et sacrorum templorum magnificentia, nec de divite ac pretioso supellectili; non enim Nos latet, hæc non omnibus in locis haberi posse; sed decentiam et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt. Inter cætera mala quibus Ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat ven. card. Bellarminus : *Omitto*, inquiens, *quod alicubi vasa sacra et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniantur, indigna prorsus quæ ad tremenda mysteria adhibeantur*..... Quamobrem prædecessor noster rec. me. Benedictus XIII..... proponere solebat in exemplum patrum Capucinorum ecclesias, in quibus est summa paupertas æqualisque munditia omnium oculis spectanda se offert..... Et jure merito contra eos invehitur qui domos bene ornatas et cultas habent, ecclesias vero in squalore et sordibus relinquunt. Magnus Ecclesiæ doctor Hieronymus, in epistola ad

Demetriadem, parum se curare haud obscure indicavit, pauperesne, an divites sint ecclesiæ. *Alii ædificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sentientia; ebore, argentoque valvas, et gemmis aurata distinguant altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet : meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare.* At vero ecclesiarum munditiem maximi facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens ac sollicitus fuit in nitore et munditia ecclesiarum atque altarium curanda, ut videre licet in ejusdem Nepotiani epitaphio, quod Sanctus ad Heliodorum misit : *Erat ergo*, ait, *sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita; non minus, non majus negligebat officium.* Profecto sedulo ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima Ecclesiastici ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus cardinalis Bellarminus : *Ego*, ait, *cum aliquando ex itinere apud episcopum nobilem et prædivitem hospitarer, vidi aulam vasis splendidam argenteis, et mensam omni genere præstantium ciborum refertam; mappas quoque et reliqua omnia nitida, et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad ecclesiam palatio contiguam descendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria, id est, vilia et sordida, ut vix auderem in tali loco, et cum tali apparatu divina mysteria celebrare.* » Utinam istiusmodi scandalum amplius non appareret in Ecclesia ! Faxit Deus, ut unusquisque sacerdos sic se gerat erga SS. Sacramentum, sicut decet sanctos Dei, et sine mendacio, sed in omni veritate epitaphium Nepotianum possit in ejus sepulcro insculpi !

CAPUT II

DE ESSENTIA METAPHYSICA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Dicemus 1° de essentiali differentia hujus sacramenti a cæteris, ut affulgeat quid sit, per respectum ad alia ; 2° de illius partibus metaphysicis, seu constitutivis essentiæ, ut affulgeat ejus penetralia, et pateat quid in se sit ; 3° tandem de illius unitate : nam

quum unitas sit prima proprietas transcendentalis ab ente dimanans, et quum aliunde peculiares importet difficultates in hoc sacramento, consequenter, ut genuina simul ac plenior scientia essentiæ hujus sacramenti habeatur, opportunum duxi illico unitatis quæstionem subnectere.

ARTICULUS I

DE ESSENTIALI DISCRIMINE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ A CÆTERIS OMNIBUS

359. Status quæstionis. Omnia ac singula novæ Legis sacramenta essentialiter differre ab invicem, omnino certum est, et a nemine negatur ; habent enim materiam et formam propriam. Unde, ubi agitur de essentiali discrimine hujus sacramenti a cæteris, movetur quæstio de iis quæ ita sunt differentia et Eucharistiæ propria, ut ejus specifica differentia, non solum a materia et forma, sicut fit pro aliis, sed etiam a multiplici alio capite repetatur.

360. *Prima differentia.* Prima et potissima differentia, quæ haberi debet tanquam radix aliarum, in eo est quod in aliis sacramentis, præter materiam et formam sensibilem, nihil inest nisi instrumentaria virtus gratiæ efficax ; dum in Eucharistia adest substantialiter ipsemet Christus, qui est auctor et fons gratiæ ; et consequenter Eucharistia est simul principium et finis aliorum sacramentorum. Principium quidem, quatenus continet Christum, e cujus vulneribus cætera sacramenta fluunt tanquam rivuli : finis vero, quatenus cætera ordinantur ad nostram cum Christo unionem, cujus consummatio est Eucharistia. Quocirca, ut bene advertit D. Thomas, sacerdotis potestas ac jus alia sacramenta conficiendi ac ministrandi radicatur in potestate circa verum Christi corpus. Ideo, in suo genere, Eucharistiæ sacramentum cæteris præstat sicut visio beata Dei præstat cuilibet alteri cognitioni ; nam quælibet cognitio, præter beatam, fit ope alicujus repræsentationis creatæ atque accidentalis, dum visio beata fit ope ipsius essentiæ divinæ. Consimili modo cætera sacramenta sunt efficacia per aliquam vim sibi divinitus inditam ; Eucharistiæ vero sacramentum est efficax per ipsum Christi corpus et sanguinem.

361. *Secunda differentia.* In aliis sacramentis, materia proxima est aliqua actio, remota autem est aliquid aliud, ex quo,

vel circa quod talis actio exercetur. At vero in hoc sacramento, materia non est actio, sed res permanens, quæ, quatenus in confectione sacramenti transit secundum substantiam, est materia remota ; quatenus autem manet secundum accidentia, est materia proxima.

362. *Tertia differentia.* In aliis sacramentis, tam materia quam forma sunt res successivæ, et ideo moraliter sunt et simul desinunt. In hoc autem sacramento, forma est successiva et transit, dum materia proxima remanet.

363. *Quarta differentia.* In conficiendis aliis sacramentis, nulla fit materiæ atque elementi in aliam naturam mutatio ; v. g. Baptismi aqua et Confirmationis chrisma, cum illa sacramenta administrantur, priorem aquæ et chrismatis naturam non amittunt. In Eucharistia vero, quod panis et vinum ante consecrationem erat, confecta consecratione, vere est corporis et sanguinis Domini substantia.

Unde in aliis sacramentis, tam materia quam forma ordinantur ad unum et eumdem effectum in suscipiente efficiendum ; in Eucharistia autem diversos habent effectus : forma enim nihil efficit in suscipiente, sed in materia, quam transmutat et conficit ; et materia consecrata habet in suscipiente gratiæ effectum.

ARTICULUS II

DE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ PARTIBUS CONSTITUTIVIS

364. I. Aperitur quæstio. Omnes catholici ultro confitentur, ad sacramentum Eucharistiæ quatuor concurrere, videlicet 1° panem et vinum, ut materiam remotam, et accidentia, ut materiam proximam, 2° verba consecrationis, quibus conficitur sacramentum, 3° corpus et sanguinem Christi, quæ sub speciebus consecratis continentur, 4° denique, post hæc, requiri usum tanquam hujus sacramenti finem. Sed valde dissentiunt quando definiendum est quænam ex his quatuor intrinsece constituant sacramenti essentiam.

365. II. Exponuntur præcipuæ sententiæ. 1ª. Aureolus et Capreolus, testibus Suarez et Gonet, docere videntur, usum sive sumptionem Eucharistiæ esse partem integrantem hujus sacramenti, eo modo quo satisfactio est pars integralis sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est, quia sumptio Eucharistiæ complet ejus

significationem et effectum ; nam ante sumptionem, nec confertur gratia, neque perfecte significatur unio fidelium cum Christo. Porro quod significat et confert gratiam, est saltem aliqua pars essentialis sacramenti. Ergo.

366. 2ª. De Lugo *(De Euch.* disp. 1, sect. 4 et 5) existimat, non tantum species et corpus Christi, sed etiam verba consecrationis constituere intrinsece sacramentum Eucharistiæ. Quod ita exponit : Verba non constituunt sacramentum quatenus habent vim illud efficiendi ; illa enim mirabilis atque invisibilis virtus qua fit conversio, est via et medium ad sacramentum constituendum, eique præsupponitur, non vero illud constituit ; sicut actio spiritualis qua producitur gratia in anima, v. g. dum suscipitur Baptisma, non est sacramentum, sed potius res sacramenti Baptismatis. Ideo agitur de verbis prout sunt signum sensibile ; nam conc. Florentinum, in *Decreto*, definivit, formam Eucharistiæ esse verba consecrationis : forma autem est de intrinseca ratione et compositione sacramenti ; ergo, etc. Pro sua sententia De Lugo citat Scotum, Gabrielem, Catharinum, Valentiam et quosdam alios.

367. 3ª. Alii, pauciores quidem, docuere, species non esse partem sacramenti Eucharistiæ, sed ipsum esse adæquate reponendum in sola verborum forma. Nam, in hoc sacramento, sola verba sunt simul signum sensibile et efficax gratiæ, id est, Christi ; species autem nihil efficiunt. Deinde verba habent prorsus significationem sacramentalem : ergo vel sunt totum sacramentum, vel tantum pars illius ; sed non sunt pars, quia non habent compartem cum qua unum totum constituant ; sunt enim successiva, dum species sunt permanentes ; successivum autem non potest cum permanente conjungi ad aliquid unum constituendum ; ergo sunt totum Sacramentum. Hæc sententia tribui solet Cajetano et Marsilio.

368. 4ª. Sylvius, in 3, q. 33, a. 1, dicit, proprie dictum sacramentum non esse ipsas species post consecrationem remanentes, sed verum Christi corpus et sanguinem, non quidem absolute considerata, sed quatenus sub visibilibus panis et vini speciebus existunt. Nam *primo*, hoc sacramentum adoratur cultu latriæ : porro non adorantur species, sed id quod sub illis continetur. Unde festum venerabilis Sacramenti non intelligitur, neque dicitur festum specierum, sed festum Corporis Christi

sub speciebus. *Secundo*, Sacramentum gratiam confert et continet : porro non species, sed corpus Christi gratiam continet et confert. Et confirmatur auctoritate D. Thomæ, qui, in IV, dist. 8, q. 1, a. 1, q. 1, ad 2, affirmat quod « illæ non sunt causæ corporis Christi, neque alicujus effectus spiritualis in anima, nisi mediante corpore Christi vero, secundum quod ex speciebus et corpore Christi fit unum sacramentum. » *Tertio*, hoc sacramentum est cibus animæ, juxta illud *Joan.* 6 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus :* porro species non sunt cibus animæ, sed corporis tantum, et quidem per accidens. *Quarto*, eædem numero species erant ante consecrationem : porro sacramentum non existit, nisi post consecrationem. *Quinto.* materia hujus sacramenti est panis et vinum : porro panis et vinum non sunt materia specierum, cum species neque fiant ex pane et vino, neque panis et vinum convertantur in ipsas. *Sexto*, in forma juramenti professionis fidei, ex præscripto Pii IV, sic dicitur : « Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. » Si sub una specie et Christus et sacramentum sumitur : ergo ipse Christus sacramentum est, quatenus ibi continetur. Unde D. Thomas, 3 p. q. 75, a. 6, o : « Accidentia panis in hoc sacramento remanent, ut sub eis videatur corpus Christi; » et in IV, dist. 8, q. 1, a. 1, q. 1, ad 2 : « Corpus Christi verum est visibile non in se, sed in speciebus quæ ipsum tangunt; sicut et substantia aliorum corporum videtur mediante colore. » *Septimo*, idem est sacramentum Eucharistiæ et sacrificium seu res quæ incruente sacrificatur in Missa : porro hæc res est corpus et sanguis Christi sub speciebus, ut docet conc. Trident. sess. 22, cap. 1.

369. 5ª. Suarez, Vasquez, Busembaus et alii non pauci tenent, sacramentum Eucharistiæ directe et immediate significare æque species et corpus Christi, adeo ut tum species, tum corpus Christi, non tantum quocumque modo essentialia sint sacramento, sed etiam intrinsece ad illud pertineant, et utrumque in ejus conceptu formali includatur primario ac directe, non autem in obliquo seu indirecte et extrinsece. Hanc sententiam dicit esse probabilem S. Alphonsus. lib. VI, n. 190. Nam *primo*, S. Irenæus, IV *Adversus hæreses.* 34, dicit, « Eucharistiam duabus rebus constare, terrena et cœlesti. » S. August. *Serm.*

ad infantes seu neophytos : « Contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine ; sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi, sicut Christi persona constat et conficitur Deo et homine. [1] » Ita fere omnes Patres. *Secundo*, sacramentum Eucharistiæ conficitur proprie per consecrationem : porro per consecrationem conficitur compositum ex corpore Christi et speciebus, sicut docet D. Thomas, in IV, dist. 8, q. 1, a. 1, q. 1, ad 2 : « Ex speciebus et corpore Christi fit unum sacramentum. » Si autem non coalesceret intrinsece ex corpore Christi et speciebus, non posset rigorose ac simpliciter dici Eucharistia fieri unum sacramentum ex his duobus. *Tertio*, sacramentum Eucharistiæ, cum sit signum practicum, est instrumentum efficax gratiæ cibantis : porro hoc instrumentum est simul corpus Christi et species sub quibus continetur.

370. 6ª. Sotus, Gonet, Salmanticenses, Contensonius, Billuart et plerique Thomistæ primariam ac formalem sacramenti Eucharistiæ rationem reponunt in sacris speciebus prout continent corpus et sanguinem Christi. Unde corpus et sanguis Christi continentur essentialiter in sacramento, atque species sacræ essentialiter dicunt ordinem ad illa ; sed tamen per sacramentum significantur directe species, et indirecte corpus et sanguis Christi. Et huic sententiæ multum favet Bellarminus, IV *De Euch.* 6, ubi demonstrat, « rationem sacramenti magis convenire speciebus, ut continent corpus, quam corpori Christi, ut est sub speciebus. » Et hæc sententia mihi videtur saltem probabilior, licet S. Alphonsus eam habeat uti probabilem tantum.

PROPOSITIO I

Usus Eucharistiæ non est pars intrinsece constituens Sacramentum.

371. Prob. 1° *Ex respectu usus ad sacramentum.* Usus Eucharistiæ se habet ad sacramentum, sicut actus secundus ad primum, vel sicut *agere* ad *esse :* porro nec actus secundus

[1] Hoc decerptum habetur in cap. *Hoc est, De Consecra.* dist. 2 ; sed verba sunt Lanfranci contra Berengarium, non autem S. Augustini ; frustra enim ea inquisivi in loco citato.

est pars integrans actus primi, neque *agere* constituit intrinsece ipsum *esse*. Unde D. Thomas dicit, usum Eucharistiæ pertinere ad extrinsecam hujus sacramenti perfectionem, sicut *agere* ad perfectionem agentis. Huic rationi multum favet conc. Trident. sess. 13, cap. 3, ubi reponit essentiale discrimen inter hoc sacramentum et cætera, quod perficiatur ante usum, reliqua vero tunc accipiant vim sanctificandi, cum illis utimur.

372. *Ex natura hujus sacramenti.* Christus Eucharistiam instituit per modum convivii spiritualis. Porro convivium seu cibus et potus existit integre, priusquam sumatur; usus vero est tantum conditio ut Eucharistia suum effectum in suscipiente producat; sed conditio non constituit intrinsece causam efficientem. Ergo.

In aliis sacramentis, usus est per se primo institutus ad significandum et sanctificandum ; ablutio enim sanctificat, quia per se est ad hoc instituta, non autem quia aqua secundum se habeat aliquam virtutem sanctificandi. In usu vero hujus sacramenti sanctificantur fideles, propter virtutem ipsius cibi. Unde alia sacramenta per se instituta sunt, ut *fiant* ; Eucharistiæ vero sacramentum, ut *sit* et sumatur in cibum ac servetur in viaticum.

373. 3° *Ex ministro.* Sumens Eucharistiæ sacramentum nullo modo est illius minister. Porro esset illius minister, si usus seu sumptio esset de illius essentia. Ergo.

374. 4° *Ex falso fundamento.* Non est de ratione sacramenti quod actu producat gratiam statim ac existit; sed satis est quod habeat efficaciam producendi illam. Et hoc non tantum invenitur in Eucharistiæ sacramento, sed etiam in aliis omnibus quæ consistunt in usu; nam in indigne suscipientibus non actu producunt gratiam, et tamen totam suam essentiam ac integritatem habent. Ergo.

PROPOSITIO II

Verba consecrationis non sunt pars intrinsece constituens Eucharistiæ sacramentum, sed duntaxat aliquid essentialiter ab eo connotatum per modum fieri et viæ ad ipsum.

375. Prob. 1° *Ex permanentia Eucharistiæ.* Conc. Tridentinum definivit, atque supra ostensum est contra Protestantes (274 et seq.), Eucharistiæ sacramentum esse essentialiter per-

manens ex natura sua ; ideo omnes illius partes essentiales ac integrantes sunt etiam permanentes. Porro consecrationis verba non permanent. Ergo. Major constat, quia res permanens constituitur in suo *esse* per formam permanentem distinctam ab actione qua fit, nam in re permanente aliud est *esse*, et aliud *fieri*. Minor sat per se patet, et confirmatur experientia ; nam totum servatur Sacramentum in tabernaculo, defertur ad infirmos, circumgestatur in processionibus et adoratur a fidelibus ; verba autem consecrationis nec servantur, neque deferuntur, neque adorantur. Ergo.

376. 2° *Ex munere verborum consecrationis.* Proprium munus verborum consecrationis est conficere sacramentum Eucharistiæ, quod fuit institutum per modum cibi ; cibus vero utique necessario ac essentialiter prærequirit actionem qua efficiatur præpareturque, non autem requirit ut hæc actio ipsum cibum ingrediatur tanquam pars constitutiva ; sicut effectus prærequirit causam et essentialem cum illa habet connexionem, quin tamen causa sit pars effectus intrinsece illum constituens. Ergo verba consecrationis non sunt pars intrinseca sacramenti Eucharistiæ. In aliis sacramentis, forma non efficit sacramentum, sed ejus effectum, et ideo potest per se constituere sacramentum ; at vero in Eucharistia forma efficit sacramentum ; ergo non constituit illud formaliter, quia, teste Aristotele, forma informans et forma efficiens non coincidunt in eamdem numero, alias ens posset esse suiipsius causa.

377. 3° *Ex munere formæ in sacramentis.* Forma in sacramentis eo potissimum fine requiritur, ut eorum materia determinetur. Quod vero informet intrinsece materiam, hoc non est de ratione sacramenti universaliter sumpti, sed pendet a natura uniuscujusque sacramenti. Quocirca omnia sacramenta constant rebus et verbis, modo suæ naturæ proportionato, non autem eodem modo. Atqui cætera, quum sint essentialiter transeuntia et usu perficiantur, constant intrinsece rebus et verbis ; Eucharistia vero, quia est essentialiter permanens, constat rebus et verbis, sed rebus intrinsece constituentibus, et verbis extrinsece efficientibus.

378. *Confirmatur.* Consecratio Chrismatis essentialiter requiritur ad validitatem sacramenti Confirmationis. *(De Conf.* cap. 2, a. 1, § 1, prop. IV) ; et tamen consecratio Chrismatis neutiquam

ingreditur essentiam ipsius sacramenti Confirmationis. Similiter verba consecrationis essentialia sunt ut determinetur materia atque conficiatur Sacramentum, quin tamen intrinsece illud constituant; nam remote tantum sicut Chrisma ordinantur ad sanctificationem fidelium.

379. 4° *Ex falso fundamento.* Sententiam suam De Lugo fulcit maxime per auctoritatem conc. Florentini, quod definivit, verba consecrationis esse formam hujus sacramenti, atque omnia sacramenta perfici rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma. Sed in primis oportet advertere, voces materiam et formam sumi analogice, ubi dicuntur de sacramentis (*De Sacram. in genere*, n. 96). Unde conc. Florentinum non dicit omnia sacramenta *constare* tribus, sed perfici; alias intentio ministri esset quoque pars intrinseca sacramenti, quod tamen eversum est (*De Sacram.* n. 101). Deinde idem concilium definit, materiam hujus sacramenti esse panem et vinum : porro panis et vinum non constituunt illud intrinsece, sed sunt tantum terminus *a quo*, necessarius quidem *ad fieri* Sacramenti, non autem ad *in facto esse* illius; ergo a pari verba consecrationis sunt necessaria ad *fieri* Sacramenti, neutiquam vero ad *in facto esse* illius. Unde Concilium infra subdit, hæc verba esse formam qua hoc sacramentum conficitur. Concilium igitur recensuit omnia quæ essentialiter requiruntur ad Sacramentum, non distinguens inter essentialia extrinseca, et essentialia intrinseca. Et ita manet confutata tertia sententia; si enim consecrationis verba ne pars quidem Sacramenti sunt, a fortiori non sunt totum Sacramentum.

COROLLARIUM

380. Quapropter verba consecrationis, etsi sunt signum sacrum, proxime non ad Sacramentum, sed ad Sacrificium ordinantur. Sacramentum enim et Sacrificium in hoc conveniunt quod utrumque est signum sacrum; in hoc vero differunt quod Sacramentum proxime ordinatur ad usum et sanctificationem fidelium, et Sacrificium ad cultum Dei illique gloriam rependendam. Quia autem Sacrificium consistit in *fieri* et actione, inde actio sacrificandi, quæ fit per verba consecrationis, merito dicitur forma hujus mysterii. Unde ratio Sacrificii magis convenit corpori Christi, prout est sub speciebus, quam ipsis

speciebus; dum e converso ratio Sacramenti magis convenit speciebus, prout continent corpus Christi, quam ipsi corpori, prout sub speciebus.

Hinc ita scite habet Suarez : « Nec existimo, D. Thomam, aut aliquem auctorem gravem sensisse contrarium, quamquam interdum aliqui minus proprie loqui videantur. Quia in re perspicua non existimarunt, de vero ipsorum sensu potuisse dubitari. Proprie ergo et in rigore falsum est asserere, sacramentum Eucharistiæ esse actionem consecrandi; et si alicubi hoc reperitur, interpretandum est, vel de actione, ratione sui termini, vel in sensu causali, scilicet Eucharistiam confici consecratione. » In 3, disp. 42, sect. 1, n. 4.

PROPOSITIO III

Ratio formalis atque essentia metaphysica sacramenti Eucharistiæ non est corpus Christi prout est sub speciebus.

381. Prob. 1° *Ex ratione sacramenti communiter sumpti.* Sacramentum est essentialiter signum sensibile. Atqui corpus Christi, etiam prout est sub speciebus, non est signum sensibile, neutiquam sub sensus cadit, sed e contra penitus velatur per species. Ergo. Reponunt adversarii, corpus Christi esse sensibile per species, sicut contritio in sacramento Pœnitentiæ fit sensibilis per confessionem; unde sicut contritio est pars intrinseca et essentialis sacramenti, ita et corpus Christi. Sed negatur paritas, nam contritio est per se sensibilis pœnitenti qui eam elicit, dum corpus Christi nemini sensibile est. Deinde contritio non est pars sacramenti prout informatur gratia sanctificante; ut sic enim est effectus sacramenti; sed prout est informis. Christus autem in Eucharistia non tantum est gratia, sed fons gratiæ et ideo non potest illam significare; quippe signum et res significata differunt inter se. Tandem inter contritionem internam et confessionem dolorosam existit nexus naturalis; nam confessio dolorosa est effectus contritionis internæ, ideo contritio interna cadit sub sensus, sicut causa sub illos cadit per suum effectum. At vero inter corpus Christi et species nullus nexus naturalis existit; corpus neutiquam in speciebus apparet sensibiliter per suos effectus, séd, ut jam dixi, penitus absconditur sensibus, imo et omni creato intellectui, sicut dictum est (269), nec vi-

deri potest oculo corporeo, nisi ex specialissimo Dei privilegio. Nec magis fauste Suarez adducit exemplum animæ humanæ, quæ est visibilis per corpus; nam et ejus effectus, per quos visibilis est, cadunt sub sensus; dum Christus in Eucharistia nullo modo cadit naturaliter sub sensus.

382. *Confirmatur* 1° In cæteris sacramentis est virtus per quam producunt characterem et gratiam; in Eucharistia autem hæc virtus operativa est ipsemet Christus permanenter existens sub speciebus; et inde apparet singularis hujus sacramenti excellentia. Atqui,« in aliis sacramentis, licet concurrant signum externum et virtus operativa, tamen nemo unquam dixit, sacramentum esse virtutem operativam, ut est in signo, sed e contrario signum, ut est operativum; et ratio est, quia, in definitione sacramenti, signum est tanquam genus, virtus operativa, ut differentia: semper autem genus ponitur primo loco, deinde differentia. In instrumentis etiam naturalibus, nemo dicit, gladium esse vim scindendi in ferro existentem, sed esse ferrum habens scindendi virtutem. Ita igitur sacramentum Eucharistiæ sunt species corpus Christi continentes, non corpus Domini sub speciebus, si proprie loqui velimus. » Bellarm. IV *De Sacram. Eucharistiæ* 6. Et hæc est etiam aperte doctrina D. Thomæ, nam, 3 p. q. 73, a. 1, ad 2: « Aqua Baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus Sancti in aqua existentem.... Sicut autem se habet Spiritus Sanctus ad aquam Baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis et vini, unde species panis et vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri. »

383. *Confirmatur* 2°. Sæpe sæpius SS. Patres dicunt, Eucharistiam esse sacramentum, symbolum, signum corporis Christi, non eo sensu quod excludat corpus Christi, ut volunt Sacramentarii, sed eo sensu quod corpus Christi contentum in Sacramento significatur per species. Atqui hic dicendi modus esset falsus, si tota Sacramenti ratio consisteret in corpore Christi, prout est sub speciebus. Ergo.

384. 2° *Ex falsis fundamentis. Primo*, species adorantur, conferunt gratiam, sunt cibus animæ, non prout præscindunt a corpore Christi, sed prout illud continent atque significant. SS. Patres et Ecclesia interdum dicunt simpliciter *festum corporis Christi*, atque *sacramentum esse corpus Christi*, per meto-

nymiam, quatenus contentum sumitur pro toto, utpote pars nobilior; vel etiam loquuntur non de sacramento tantum, sed de re et sacramento simul, quod maxime in Eucharistia contingit, sicut exponemus infra. Unde conc. Tridentinum, sess. 13, cap. 5, dicit, hoc sacramentum esse adorandum latria, non quia est Christus, sed quia in illo præsens est Christus verus Deus. Similiter corpus Christi producit gratiam, non quia est sacramentum, sed quia est virtus sacramenti, ut dicit D. Thomas, 3 p. q. 33, a. 1, ad 2. *Secundo,* eædem numero sunt species, sive ante, sive post consecrationem; sed post consecrationem significant et continent corpus Christi, quod nec significant, neque continent ante consecrationem. *Tertio,* panis et vinum sunt materia remota et terminus *a quo* sacramenti Eucharistiæ, *concedo;* sunt materia proxima atque intrinsece constituens Sacramentum, *nego.* Sexta ratio ne apparentiam quidem fundamenti habet: utique sub altera specie sumitur Sacramentum, sed non eo sensu quod Sacramentum sit aliquid diversum a specie atque sub ipsa latitans. *Quarto,* ratio Sacramenti alia est a ratione Sacrificii, sicut dictum est supra (380); in Eucharistia autem utraque ratio invenitur, nam est sacramentum quatenus est signum efficax gratiæ, est autem sacrificium quatenus Christus offertur sub sacris speciebus.

PROPOSITIO IV

Ratio formalis ac essentia metaphysica sacramenti Eucharistiæ non importat directe species et corpus Christi.

Prob. 1° *Ex ratione sacramenti prout signi.* Huc redit cum suis confirmationibus eadem ratio quam ante adduximus (n. 381 et seq.) contra Sylvium.

385. 2° *Ex constitutivis essentiæ.* Quidquid pertinet directe ad essentiam sacramenti, vel est materia, vel forma, vel utriusque conjunctio : nihil aliud potest fingi ut constitutivum essentiæ compositi accidentalis. Porro corpus Christi nullum horum trium esse potest. Ergo. Probatur minor. Primo, id dicitur materia sacramentorum, quod determinatur et consecratur virtute verborum : porro corpus Christi non determinatur neque conconsecratur virtute verborum : cum potius ipsum omnia sanctificet per suam præsentiam. Secundo, non est forma; nam

ipsa consistit in verbis sensibilibus quæ profert sacerdos. Tertio, non est conjunctio materiæ et formæ, ut per se patet. Ergo.

386. 3° *Ex falsis fundamentis. Primo*, Patrum testimonia optime intelligi possunt quin corpus Christi sit intrinsece pars essentialis Sacramenti; ut enim dicatur Sacramentum coalescere duplici elemento, scilicet terreno et cœlesti, satis est quod corpus Christi essentialiter contineatur in Sacramento, atque species essentialem ad illud habeant respectum. Sane Patres loquuntur de his omnibus quæ essentialiter inveniuntur in hoc Sacramento, neutiquam vero attendunt ad præcisam ejus rationem; nam a præcisionibus metaphysicis abstrahunt. Unde interdum Sacramenti nomen attribuunt consecrationi, vel etiam perceptioni, quas tamen non esse de essentia Sacramenti intrinseca nobiscum confitentur adversarii, quos nunc impugnamus. *Secundo*, utique per consecrationem conficitur compositum ex speciebus et corpore Christi; sed illud compositum ita se habet, ut species rationem continentis, corpus vero rationem contenti habeat : porro licet continens, ut sic, essentialem ordinem dicat ad contentum, attamen non includit illud uti partem intrinsecam suiipsius. Unde per consecrationem, species consecratæ non fiunt absolutæ, sed fiunt prout continentes corpus Christi. *Tertio*, instrumentum practicum et efficax gratiæ in hoc Sacramento est utique corpus Christi; sed hoc non est necesse ut corpus Christi sit pars intrinseca Sacramenti, nam sufficit quod Sacramentum essentialem habeat cum illo connexionem; sicut in cæteris sacramentis, virtus Spiritus Sancti est instrumentum practicum et efficax gratiæ, et tamen non pertinet ad rationem formalem et intrinsecam illorum.

PROPOSITIO V

Ratio formalis sacramenti Eucharistiæ est adæquate in sacris speciebus prout continent corpus et sanguinem Christi.

387. Prob. 1° *Ex Innoc. III*, qui, in cap. *Cum Marthæ, De celeb. Missarum*, ita habet : « Distinguendum est tamen subtiliter inter tria quæ sunt in hoc sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem corporis et virtutem spiritualem. Forma est panis et vini, veritas carnis et sanguinis, virtus unitatis et charitatis. Primum est sacramentum et non res, secundum

est sacramentum et res, tertium est res et non sacramentum. Sed primum est sacramentum rei geminæ : secundum est sacramentum unius, et alterius res existit. Tertium est res gemini sacramenti. » Unde sic : *Primo*, si species non constituerent adæquate rationem sacramenti, non possent dici sacramentum tantum ; ibi enim Pontifex abstrahit rationem sacramenti ab eis quæ in sacramento continentur, dicens : distinguendum est subtiliter tria discreta, quia alias non esset opus alicujus subtilis distinctionis. *Secundo,* corpus Christi dicitur res sacramenti quatenus significatur; dicitur autem sacramentum quatenus significat ac repræsentat seipsum mortale atque in Cruce suspensum, ut dicit S. Augustinus, *Epist. 23 ad Bonifacium* [1]. Sed illa significatio ac repræsentatio mystica non est de ratione sacramenti, sed sacrificii tantum ; nam sacramenta nonnisi mediate passionem Christi significant, scilicet inquantum directe significant gratiam quæ ex passione Christi dimanat. In dicto capite, Pontifex agit de Eucharistia prout Sacramento et Sacrificio. Unde Lanfrancus (cujus verba referuntur cap. *Hoc est, De Consecr.* dist. 2) contra Berengarium dicit : « Conficitur autem Sacrificium Ecclesiæ sacramento et re sacramenti, id est, corpore Christi. Est igitur sacramentum et res sacramenti, id est corpus Christi. »

Unde, servata proportione, corpus Christi est res et sacramentum , sicut character sacramentalis est simul res et sacramentum : character est res inquantum producitur a signo sensibili sacro ; est autem sacramentum, licet spirituale ac invisibile, quia significat dignitatem atque potestatem receptam : per ipsum homo signatur signaculo Christi, atque potestatem aut passivam, aut activam, in ordine ad alia sacramenta, suscipit. Quatenus vero est permanens in anima significat aliquo modo gratiam sacramenti ; sed, ut sic, non est pars essentialis atque constitutiva sacramenti ; est enim illius effectus. Unde neque

[1] Sicut ergo cœlestis panis, qui vere Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet quod visibile, palpabile, mortale, in Cruce est suspensum, vocaturque ipsa immolatio carnis quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio ; sic sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est. Et *De Civit.* 5 : « Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. »

corpus Christi, licet sit simul sacramentum et res, pertinet ad intrinsecam rationem formalem sacramenti [1].

388. Hæc expositio verborum Pontificis consonat D. Thomæ, 3 p. q. 73, a. 6, o : « In hoc sacramento tria considerare possumus : scilicet id quod est sacramentum tantum, quod est panis et vinum ; et id quod est res et sacramentum, scilicet corpus Christi verum ; et quod est res tantum, scilicet effectus hujus sacramenti. Quantum igitur ad id quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit hujus sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ ejus fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti, præcipue sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua ejus figura manna. » Quocirca species sunt signum corporis Christi cibantis animam ; et corpus Christi quatenus est sub speciebus, est signum seu repræsentatio sacrificii Crucis.

389. 2° *Ex concil. Trident.* sess, 13, cap. 3 : « Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ et invisibilis gratiæ formam visibilem. » In hisce verbis prorsus habetur tota et adæquata ratio sacramenti, ita quod illa usurpent theologi ad genuinam sacramenti definitionem tradendam. Porro Eucharistia hæc omnia sibi vindicat per species prout continent corpus Christi ; sunt enim symbolum rei sacræ et invisibilis gratiæ forma visibilis. Ergo [2].

[1] « Character sacramentalis est res, respectu sacramenti exterioris, et est sacramentum, respectu ultimi effectus. Et ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui : uno modo secundum rationem sacramenti, et hoc modo est signum invisibilis gratiæ, quæ in sacramento confertur : alio modo secundum propriam rationem characteris, et hoc modo est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus ad quod aliquis deputatur. » 3 p., q. 63, a. 3, ad 2. « In sacramento Eucharistiæ id quod est res et sacramentum, est in ipsa materia ; id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia quæ confertur ; in Baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet et character, qui est res et sacramentum, et gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantum. » 3 p., q. 73, a. 1, ad 3. Ideo, juxta D. Thomam, corpus Christi in Eucharistia est simul res et sacramentum, sicut character sacramentalis, qui, utpote effectus sacramenti, non pertinet ad illius intrinsecam atque formalem rationem.

[2] S. August. ex quo depromi videtur illa definitio, dicit, Epist. 166 : « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Si autem malus est (minister),

390. *Confirmatur.* In canone 1, et in tota sessione 13, Concilium docet, corpus Christi contineri in venerabili Sacramento, et nuspiam dicit, aut supponit, illud esse partem Sacramenti. Quod non leve suppeditat indicium mentis Concilii, scilicet corpus et sanguinem Christi esse quidem essentialiter in Sacramento, sed non constituere rationem Sacramenti. Suarez reponit, corpus Christi contineri in Sacramento, non ut contentum in continente, sed ut partem totius, sicut anima continetur in homine vel corpore, vel etiam sicut *duo* continetur in quinque. At hæc expositio non videtur admittenda in præsenti, utpote minus obvia; deinde si nihil aliud intellexisset Concilium, præter quam corpus Christi est vere in Eucharistia, non tam perseveranter adhibuisset verbum *contineri*, et saltem aliquando innuisset corpus Christi esse Sacramentum ipsum, vel partem Sacramenti.

391. 3° *Ex Catechismo Romano.* « Sed illud diligenter pastoribus observandum est, multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando sacramenti nomen sacri scriptores tribuerunt. Interdum enim et consecratio, et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini corpus et sanguis, qui in Eucharistia continetur, sacramentum vocari consuevit. Ait enim, D. Augustinus, sacramentum hoc duobus constare, visibili scilicet elementorum specie, et invisibili carne et sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi. Atque ad eumdem modum hoc sacramentum adorandum esse, nimirum corpus et sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum hæc omnia *minus proprie* sacramenta dici, perspicuum est. Ipsæ autem panis et vini species veram et absolutam hujus nominis rationem habent. » 2 p. cap. 4, n. 8. Nemo autem tam acute mentem concilii Tridentini expendit, quam auctores hujus catechismi, qui dicitur etiam catechismus conc. Tridentini, propterea quod eo potissimum fine confectus fuit, ut pastores germana Concilii doctrina oves suas pascerent.

392. 4° *Ex exclusione aliarum sententiarum.* Ex præcedentibus propositionibus manent exclusæ cæteræ omnes sententiæ;

operatur per illum Deus visibilem sacramenti formam : ipse autem donat invisibilem gratiam. » Et *De Catechiz. rudibus*, c. 26 : « De sacramento sane, quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis adorari. »

ergo remanet dicendum, quod vera ac retinenda est ultima, quæ rationem formalem Sacramenti reponit adæquate in sacris speciebus prout corpus et sanguinem Christi continent. Revoca præsertim rationes adductas superius, n. 381, 382, 383 et 385; omnes enim, si aliquantisper convertantur, inconcusse thesim nostram fulciunt; atque ultro id fatentur Suarez, Vasquez et alii, posito quod corpus Christi non sit pars intrinsece constituens Sacramentum. Sane *primo*, de ratione sacramenti est quod sit per se signum sensibile; in Eucharistia autem hoc signum debet esse permanens. Porro nonnisi species Eucharisticæ sunt per se signum sensibile ac permanens. Ergo. *Secundo*, de ratione sacramenti est quod sit per se signum sensibile et efficax gratiæ. Porro nonnisi species prout continent corpus Christi sunt per se signum sensibile et efficax gratiæ. Ergo. *Tertio*, SS. Patres docent Eucharistiam esse sacramentum, symbolum, signum corporis Christi. Atqui nonnisi species, etc. *Quarto*, quidquid pertinet directe ad essentiam ac naturam intrinsecam sacramenti, est vel materia, vel forma. Porro in sacramento Eucharistiæ, prout permanente, nonnisi species pertinent ad materiam; verba enim virtute et in effectu tantum permanent; et corpus Christi nec ad materiam, neque ad formam pertinet.

ARTICULUS III

DE UNITATE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Eucharistiæ sacramentum aliqua unitate potiri, omnino compertum est, quum sub utraque specie et singulis specierum partibus contineatur unus et idem Christus. Unde jure habetur tanquam præcipuum inter principia quæ Ecclesiæ perfectissimam impertiunt unitatem. Difficultas vero est circa naturam hujusce unitatis, et principium a quo repetenda est. Quam ut solvamus, simulque germanam tradamus doctrinam, dicemus de specifica et de numerica unitate sacramenti Eucharistiæ.

PARAGRAPHUS I

DE UNITATE SPECIFICA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

393. Exponuntur sententiæ. Quia in hoc sacramento sunt duæ materiæ et duæ formæ specifice distinctæ, et totus Christus sub utraque contineatur, quidam theologi (quos citat et

impugnat Suarez, in 3, disp. 39, sect. 3) plura Eucharistiæ sacramenta specifice distincta admiserunt. Quibus favere videtur interdum modus orandi Ecclesiæ, necnon modus dicendi Patrum et Conciliorum, sicut videre est, cap. *Sacramenta altaris*, *De Consecr.* dist. 1, et cap. *In Sacram.*, etc. Unde Ecclesia alludens Eucharistiæ sæpe dicit in orationibus : « Purificent nos sacramenta quæ sumpsimus. »

Alii, etsi unitatem specificam Sacramenti profitentur, eam tamen non repetunt ex fine, scilicet refectione spirituali, ad quam, ex institutione Christi, ordinatur Sacramentum; nam Aureolus cum quibusdam illam repetit a re contenta, nimirum a Christo; Alensis, S. Bonaventura, etc., eam repetunt ex suo principio efficiente, scilicet ex unitate institutionis. Contra quos tamen sentiunt communiter theologi.

PROPOSITIO I

Eucharistiæ sacramentum est absolute ac simpliciter unum specifice.

394. Prob. 1° *Ex Conciliis.* Conc. Florent. et Tridentinum definiere, septem esse sacramenta novæ Legis, nec plura, neque pauciora. Porro si Eucharistiæ sacramentum non esset unum specifice, plura quam septem, saltem simpliciter loquendo, essent sacramenta; nam Concilia prorsus intendunt æquivocationi aditum præcludere; at vero si rem definiissent sub generica tantum ratione, scopum prætermisissent, quia, ut dicit Aristoteles, sub generica ratione latere potest æquivocatio; quamvis enim omnia animalia sint alicujus generis, attamen non ideo possunt dici simpliciter esse unum.

Confirmatur. Prædicta et alia concilia loquuntur de Eucharistia tanquam de uno sacramento; imo et in collectis Missarum hic est frequentior usus. Aliquando in plurali loquuntur de sacramentis, sed lata et vulgari locutione, nempe vel propter plura signa partialia, vel propter mysteria, quæ in eis continentur et repræsentantur; vel certe, propter communionem fidelium, quæ ex regula Ecclesiæ debet communiter fieri post consummatum Sacrificium, scilicet post sacerdotis communionem. Unde « in eadem collecta et pluraliter dicitur primo : *Purificent nos sacramenta quæ sumpsimus ;* et postea singulariter subdi-

tur : *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam;* ad ostendendum quod hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum. » 3 p. q. 73, a. 2, ad 1.

395. 2° *Ex Catechismo Romano :* « Licet autem duo sint elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ sacramentum conficitur, non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur ; aliter enim septenarius sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a conciliis Lateranensi IV, Florentino et Tridentino decretum est, constare non poterit. » 2 p. cap. 4, n. 10.

396. 3° *Ex ratione.* « Unum dicitur, non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum in perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia quæ requiruntur ad finem ejusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, et domus integratur ex omnibus partibus quæ sunt necessariæ ad inhabitandum ; et sic hoc sacramentum dicitur unum; ordinatur enim ad spiritualem refectionem quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud *Joan.* 6 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective. » 3 p. q. 73, a. 2, o.

Confirmari potest exemplo Extremæ Unctionis, in qua plures sive unctiones, sive formæ partiales adhibentur, et tamen unum duntaxat perfectum constituunt sacramentum.

PROPOSITIO II

Unitas specifica sacramenti Eucharistiæ desumitur ex unitate finis, ad quem, ex Christi institutione, ordinatur.

397. Prob. 1° *Directe.* Eucharistiæ sacramentum est essentialiter signum : signum suam specificationem ac unitatem repetit a termino ultimatim significato. Porro in Eucharistiæ sacramento, ille terminus est perfecta animæ sanctitas et consum-

mata unio cum Christo, quæ se habet per modum refectionis. Ergo.

398. 2° *Indirecte.* Vel ex unitate finis repetenda est unitas specifica sacramenti Eucharistiæ, vel ex unitate rei contentæ, vel ex unitate institutionis. Porro utrumque posterius admitti nequit. Ergo. Prima pars constat quia, licet res contenta et significata, scilicet Christus sit unus et idem utrinque, diverso tamen modo continetur et significatur per utramque sive speciem, sive formam consecrationis panis et vini : atqui ille modus plane diversus satis esse videtur ad multa signa specifice distincta constituenda : ergo. Secunda pars adhuc evidentius patet, siquidem causa efficiens non significat effectum, et nihil prohibet quominus eadem institutione Christus duo sacramenta specifice distincta significaverit.

COROLLARIUM

399. Quapropter sacramentum sub una specie est quidem vere et proprie sacramentum, sed non completum et perfectum sicut sub utraque ; sicut anima humana a corpore separata est vere ac proprie substantia, sed substantia incompleta. Licet autem Christus sit totus sub utraque specie, atque ideo fidelis communicans sub una tantum specie nulla defraudetur gratia ad salutem necessaria (uti latius infra ostendemus), non est totus sub una ratione significationis et signi, sed partim ratione signi, et partim ratione concomitantiæ. Unde si aliquis apostolus consecrasset panem tantum, triduo mortis Domini, sanguis non fuisset in Sacramento. Ergo in ratione signi Eucharistiæ sacramentum non est completum, neque perfectum sub una specie. Quocirca si forte ille qui communicat sub una tantum specie, æque uberiorem recipiat gratiam, ac si communicaret sub utraque, hoc est per accidens, scilicet per concomitantiam, nam sumptio speciei panis confert gratiam per modum cibi, per accidens vero per modum potus.

Dices cum Bellarmino (IV *De sacram. Euch.* 22) : Refectio spiritualis abstrahit a cibo et potu, atque perfecta est, quocumque modo fiat; siquidem una et eadem res, sive per modum cibi, sive per modum potus tantum sumatur, præstat ea omnia quæ præstant cibus et potus una sumpti in ordine naturali ac

corporeo, v. g. cibus spiritualis nutrit, irrigat, refrigerat, inebriat mentem; similiter potus eosdem nanciscitur effectus. Itaque in divinis Scripturis, justitia et sapientia et similia dicuntur esuriri et sitiri, sicut cibus et potus : *Matth.* 5 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Et *Eccli.* 24, Sapientia dicit : *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient.* Ergo.

400. *Resp. Dist. antec.* Si res absolute et in se sumatur, *concedo;* si relative et in ratione signi sensibilis, *nego.* Signa sacramentorum sunt arbitraria, et ideo non habent aliam significationem præter eam quam ipsis Christus voluit esse inditam. Porro eo ipso quod Eucharistiam instituit sub duplici specie, non voluit ut species panis complete et perfecte significaret refectionem spiritualem, alias inutilis ac redundans esset altera species. Dominus adhibuit signum eucharisticum juxta significationem quam habet ex more humano, atque illud ut sic instituit ac evexit ad significationem rerum spiritualium divinarumque.

Unde vi verborum, sanguis non est sub specie panis, nec corpus sub specie vini, sed tantum per concomitantiam. Ideo, ex ipsamet Christi institutione, una species non est signum completum et perfectum. Deinde confirmatur thesis per ipsamet loca quæ contra adducit Bellarminus ; si enim etiam quoad nos idem sit *esurire* quam *sitire* justitiam, et *edere* quam *bibere* sapientiam, quorsum igitur Scriptura illas ambas actiones congeminat?

PARAGRAPHUS II

DE UNITATE NUMERICA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

401. Exponuntur variæ sententiæ. *Primo*, quidam theologi sentiunt non tantum specie, sed etiam numero esse unum duntaxat sacramentum in tota Ecclesia; desumunt enim unitatem numericam ab unitate Christi, qui semper et ubique unus et idem permanet. Sicut ergo, si Filius Dei assumeret diversas humanitates, unus numero esset homo, vel si idem homo in diversis locis existens haberet varias albedines, unum tamen atque idem album esset; ita fit in Eucharistiæ sacramento, juxta illud I *Cor.* 10, 17 : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus.* Huic sen-

tentiæ favent Soto, Suarez, De Lugo et alii. *Secundo*, alii rem sumentes modo physico, non autem morali, tot numero distinguunt sacramenta quot sunt numero species divisæ et discontinuæ, quia quælibet earum habet in se totam rationem sacramenti ; siquidem tantum fragmento quantum toto tegitur. Ita Gabriel, Vasquez et alii. *Tertio*, alii tandem rectius unitatem numericam sacramenti sumunt ex unitate specierum, prout dicunt ordinem ad unam numero refectionem spiritualem. Ita Bellarminus, Bonacina, Gonet, S. Alphonsus [1], et alii.

PROPOSITIO I

Eucharistiæ sacramentum est numericè multiplex, prout in multis Ecclesiis et altaribus conficitur.

402. Prob. 1° *Ex ratione hujus sacramenti.* Supra ostensum est (387 et seq.), rationem formalem et intrinsecam sacramenti Eucharistiæ esse reponendam adæquate in sacris speciebus prout continent corpus et sanguinem Christi. Ergo ex illis speciebus repetenda est etiam unitas numerica; multiplicata enim essentia rei, et res multiplicatur numerice. Ergo.

403. 2° *Ex illius ministro.* Tot sunt numero sacramenta quot sunt sacerdotes super varia altaria seorsim celebrantes. Atqui multi sunt, etc. Ergo. Minor patet. Major autem constat, quia actiones ministrorum ita celebrantium eliciuntur in diversis locis ac temporibus, et ideo non possunt concurrere ad eumdem numero effectum. Deinde signa eucharistica consecrata ac sumpta in illis variis locis et temporibus diversas numerice gratias significant ac producunt in variis subjectis.

404. 3° *Ex falsis fundamentis sententiæ oppositæ. Primo*, exempla multarum humanitatum vel albedinum ab eodem supposito assumptarum penitus claudicant ; in ipsis enim unitas numerica sumitur ab unitate numerica vel substantiæ, vel suppositi, quod unum et idem est in variis locis, ut docet D. Thomas, 3 p. q. 3, a. 7, ad 2 ; at vero species sacramentales neque existunt per substantiam Christi, quum non hypostatice cum ipso conjungantur ; neque in ipso sunt tanquam in subjecto, quum illi non inhæreant, sed virtute divina tantum sustententur ; et

[1] Lib. VI, n. 191.

uniuntur per modum continentis et contenti. — *Secundo*, D. Paulus ibi metonymice sumit id quod continetur in sacramento, scilicet corpus Christi, pro toto sacramento ; et hic mos est sat frequens apud Patres et etiam in Scriptura, ut dicit Catechismus Romanus, 2 p. cap. 4. n. 8. Similiter in cap. *In Christo*, *De Consecr.* dist. 2, dicitur quod eadem hostia quam obtulit Christus, offertur quotidie a sacerdotibus ; nam ibi hostia sumitur pro re oblata, et non præcise attenditur ad signum prout continet corpus Christi.

PROPOSITIO II

Sacramentum Eucharistiæ suam unitatem numericam sortitur ex ordine ad unam sumptionem.

405. Prob. 1° *Ex Christi institutione.* Eucharistiæ sacramentum fuit a Christo institutum per modum convivii spiritualis, quo anima reficitur ac saginatur ; idcirco de illo agendum est per analogiam ad convivium materiale, ut docet D. Thomas, 3 p. q. 73, a. 2. Porro convivium materiale non habet suam unitatem numericam a physica continuatione ciborum, cum plura fercula inter se discreta possint in eodem convivio ministrari ; neque ab actione qua præparatur, cum vel una vel pluribus actionibus discretis ac diversis præparari possit : sed illam habet a cibis et ferculis prout ad unam refectionem ordinantur. Ergo.

406. 2° *Ex ritu Missæ.* In Missa sacerdos dividit hostiam in tres partes, et potest sumere sanguinem multiplici et distincto haustu, et tamen unum duntaxat tunc sumit sacramentum. Similiter laicus qui simul duas vel plures hostias consecratas sumit per modum unius, unum numero suscipit sacramentum. Item si sacerdos consumat hostias præconsecratas in pixide servatas, quantumvis numerosas, unum tamen et idem numero suscipit sacramentum ; neque uberiorem gratiam ac fructum percipit. Ergo.

Nota. Si autem rem physice sumas, utique tot sunt sacramenta quot sunt species, vel etiam partes discontinuæ ; nam ratio sacramenti hujus reponenda est in sacro signo prout continet corpus Christi, et unitas physice sumpta diffluit ab essentia tanquam illius prima proprietas ; at vero sacramenta

spectanda sunt moraliter, non autem physice, atque eorum ratio signi habenda est ex humano more, uti dictum est ubi de *Sacramentis in genere* (116).

CAPUT III

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

ARTICULUS I

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Quum jam fusius dixerimus de materia proxima hujus sacramenti, videlicet de speciebus panis et vini, superest dicendum de materia remota, circa quam quatuor quæruntur : 1° quænam, 2° qualis, 3° quanta, 4° quomodo esse debeat.

PARAGRAPHUS I

QUÆNAM ESSE DEBEAT MATERIA EUCHARISTIÆ

SECTIO I

DETERMINATUR DUPLEX MATERIA EUCHARISTIÆ

407. Exponuntur errores. *Primo*, Artotyritæ, de quibus S. August. *De hæresibus*, cap. 28, et S. Epiphanius, *Hæresi* 49, fusius agunt, offerebant panem et caseum uti materiam sacramenti Eucharistiæ, quia a primis hominibus oblationes de fructibus terræ et ovium fuerunt celebratæ.

Secundo, « Cataphrygæ et Pepuziani de infantis sanguine, quem toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes cum farina, panemque inde facientes. » 3 p. q. 74, a. 1. Si ille puer supervixisset postea, consecratus erat summus sacerdos.

Tertio, Gnostici et Manichæi, horribile dictu ! semen humanum vel etiam sanguinem menstruum mulieris miscebant cum pane et offerebant dicentes : *Hic est sanguis Christi.* Pascha vero ut celebrarent, gravidæ mulieris fœtum, vi extractum, in mortario contundebant cum pipere, melle et aromatibus, et hoc execrandum farcimen vorabant. Ita referunt S. Epiphan. *Hæres.* 26, et S. August. *De hæresibus*, cap. 46.

Quarto, Ophitæ alebant colubrum juxta altare, qui deinde

per incantationem sacerdotis, sacrificii tempore, egrediebatur et lambebat panem, qui fiebat sic materia apta ad consecrationem. Ita referunt Tertull., *De præscript.* cap. 74, et S. August. *De hæresibus* cap. 17 [1].

Quinto, Aquarii offerebant panem, sed in calice aquam tantum infundebant, vel sobrietatis causa, vel potius, quia abhorrebant a vino tanquam a re diabolica, nam plerique eorum versabantur in erroribus Manichæorum, sicut refert S. August. *De hæres.* c. 64.

Sexto, tandem Protestantes, licet profiteantur panem et vinum esse materiam ordinariam Eucharistiæ, dicunt, in casu necessitatis, adhiberi posse quodvis esculentum, loco panis, et quodvis poculentum, loco vini. Ita docet Beza, *Epist.* 2 *ad Tullium*, Polanus, V *Syntagmatum Theologicorum* 56, Scarphius, *De Cœna sacra*, controv. 3, q. 1 [2].

PROPOSITIO

Materia sacramenti Eucharistiæ remota est panis et vinum.

408. Prob. 1° *Scriptura.* Aperte colligitur ex verbis institutionis ; Christus enim consecravit panem et vinum : vox *panis* expresse invenitur in narratione Evangelica : quod autem fuerit vinum in calice, patet ex illis : *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis*, quæ SS. Matthæus et Marcus statim post consecrationem calicis referunt. Porro Christus non solum adhibuit, sed etiam instituit illam materiam dicendo : *Hoc facite in meam commemorationem.* Vide *Catech. Rom.* 2 p. cap. 4, n. 11.

2° *SS. Patribus.* Unanimi ore hanc veritatem docuere omnes Ecclesiæ Patres. Videre est potissimum eorum commentaria in verba institutionis, et in I *Cor.* 11.

3° *Conciliis.* Lateran. IV, cap. *Firmiter ;* Florentinum, in *Decreto ;* Trident. fere per totas sess. 13, 21 et 22. Quibus

[1] Hos turpissimos errores referunt etiam multi alii graves auctores, quos citat Gonet, in 3 *De Eucharist.*, disp. 2, § 1. « Unde, ait, immerito Vasquez contendit nusquam hæreses illas extitisse. » Illorum memini, ut pateat in quantum abyssum proripiat homo qui spiritu nequam agitur.

[2] Quinimo et sibi narratum a viro fide digno refert Adrianus Hofstadius, *Serm.* 22 *De Eucharistia*, ministrum, qui egebat frustulis panis ad cœnam peragendam, singulis adstantibus porrexisse orbicularem particulam botuli.

accedunt decreta Pontificum, ut videre est cap. *Cum Marthæ*, *De celebrat. Missarum*, et multa alia, quæ habentur *De Consecratione*, dist. 2.

409. 4° *Praxi Ecclesiæ*. Non tantum in Ecclesia Latina, sed etiam in omnibus ecclesiis orientalibus, tum orthodoxis, tum schismaticis, semper panis et vinum consecrata sunt tanquam necessaria Eucharistiæ materia. Unde S. August. XX *Contra Faustum* 3, refert, propter hunc usum, Gentiles imposuisse Christianis, quod Cererem et Liberum (Bacchum) colerent. S. Justinus Martyr, Apologia II, et Tertull, *De præscript.* 40, dicunt dæmonem in invidiam hujus mysterii, panem et poculum cum quibusdam incantationibus miscuisse in aliquibus Gentilium superstitionibus, quas vocabant mysteria Mithræ.

410. 5° *Ratione. Primo, ex usu.* Dominus noster, instituendo sacramenta, signa elegit secundum frequentiorem usum humanum ; sic enim aqua assumitur in Baptismi sacramento ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua. Atqui panis et vinum sunt cibus et potus quibus communius reficiuntur homines, ita ut in Scripturis, habere panem vel egere pane significent idem, ac habere cibum vel egere cibo ad vitam corpoream necessario. Unde illud Jeremiæ : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis ;* et illud orationis Dominicæ : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ergo conveniens fuit, ad significandum spirituale convivium, eligere signum panis et vini. Præter quod panis et vinum sunt aptissima, ut Eucharistia tractetur cum reverentia et decentia.

411. *Secundo, ex significatione.* Species panis et vini sunt valde accommodatæ ad ea quæ significantur immediate per hoc sacramentum, videlicet corpus et sanguinem Christi, tempore passionis ; nam corpus hominis præcipue nutritur pane et vino. Deinde, sicut grana conteruntur mola, ut panis efficiantur, et botri in torculari conculcantur, ut in vinum diffluant ; sic Christus *attritus est propter scelera nostra (Isaiæ* 53, 5), et conculcatus est in Crucis torculari, ut lavaret mundum in sanguine suo, juxta illud *Isaiæ*, 63, 1 et 2 : *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?.... Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ?...* Tandem per sumptionem uniuscujusque speciei seorsim quam aptissime significatur mors Christi, cujus sanguis

a corpore fuit separatus, et anima ab utroque ; panis enim significat corpus exsangue, vinum autem sanguinem effusum; et inde innuitur perfecta et adæquata hominis redemptio, quia panis et vinum sunt veluti primitiæ creaturarum, sub quibus, in S. Scriptura, omnia bona comprehendi solent.

412. *Tertio, ex effectibus.* « Primo quidem, ex parte singulorum fidelium, quia, ut Ambros. dicit super I *Cor.* 11, hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ et corporis : et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur, sicut dicitur, *Levit.* 17, quod anima carnis in sanguine est. Secundo, quantum ad effectum, respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis. » 3 p. q. 74, a. 1.

COROLLARIUM

413. Quapropter massa cruda, aut torrida sole, non est valida materia ad Eucharistiam, quia panis usualis requirit, ut coquatur igne. Nec igitur pasta oleo frixa, vel aqua elixata, est materia valida, ut patet : neque amylum, quod e tritico extrahitur; non enim farina dici potest illius substantia, sed potius gluten, quia grana ad illud conficiendum non conteruntur mola sed fermentantur in vase, ex quo deinde gluten dimetitur.

Item panis, ut sit materia valida, debet confici farina et aqua naturali ; ideoque « si farinæ admisceatur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum, quia non est verus panis. » 3 p. q. 74, a. 7, ad 3. Nec obstat quod opponit Cajetanus, dicens, aquam non esse partem essentialiter componentem, sed transeuntem; nam signa sacramentorum non sumenda sunt entitative atque physice, sed moralifer, scilicet ex usu recepto ; porro panis qui non conficitur ex aqua naturali, sed vel butyro, vel oleo, vel quovis alio liquore, non est simpliciter panis usualis : ergo non est materia apta ad consecrationem.

SECTIO II

CONJUNCTIO UTRIUSQUE MATERIÆ

414. I. Ponitur quæstio. Licet materia panis prius consecretur, quam materia vini, atque ideo totus Christus sub illius

specie lateat et proponatur fidelium adorationi, attamen consecratio utriusque materiæ est ita connexa, ut non possit una materia sine alia consecrari. Ita omnes theologi, qui tenent hujusmodi connexionem esse de jure divino ; sed inter se non consentiunt, quoad dispensationem faciendam hujus juris.

415. II. Exponuntur præcipuæ sententiæ. *Primo*, alii existimant, sacerdotem posse, in quibusdam adjunctis, interpretari præceptum, atque sine ulla licentia, vel etiam ipsius Summi Pontificis, conficere in una specie, puta si concurrat cum alio præcepto naturali, aut etiam divino, sed majori, quod non possit simul impleri cum præcepto consecrandi in utraque materia ; v. g. si penitus deficeret vinum, liceret consecrare panem ad communicandum fidelem in articulo mortis.

Secundo, Albertus Magnus, Alensis et alii putant, id nunquam licere ex auctoritate privata, bene autem ex dispensatione Romani Pontificis, qui plenam potestatem habet ad bonum Ecclesiæ et fidelium promovendum. Nam sæpe dispensat in jure divino, vel saltem illud interpretatur, ut patet pro materia voti, matrimonio rato nondum consummato, communione in articulo mortis, etc.; imo hoc patet in præsente materia, quamvis enim de jure divino sit, ut sacerdos conficiens sumat utramque speciem, tamen Ecclesia in ordinatione sacerdotum, qui tamen vere consecrant utramque speciem, prohibet ne speciem vini sumant. Deinde in conc. Constantiensi, sess. 13, et in Tridentino, sess. 21, cap. 2, definitur, Ecclesiam omnia posse circa sacramenta, *salva eorum substantia*. Porro dispensare in hoc non est mutare substantiam sacramenti, sed illius usum duntaxat. Ergo.

Tertio, Soto, Suarez, de Lugo, et alii communiter absolute et simpliciter negant, hoc esse unquam licitum privata, aut publica auctoritate, sive per modum dispensationis, sive per modum interpretationis. Atque ut veritas suis momentis appareat suffulta, sint sequentes propositiones :

PROPOSITIO I

Ex jure divino, Eucharistia non potest legitime confici, nisi in duplici materia.

416. Prob. 1° *Scriptura. Matth.* 26, *Marc.* 14 et *Lucæ* 22, narratur, Christum adhibuisse duplicem materiam in institu-

tione et consecratione Eucharistiæ. Porro jussit facere id quod ipse fecit, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo, etc.

417. 2° *Conc. Tridentino.* In tota sessione 13, supponit hoc sacramentum non posse confici, nisi in utraque materia, et expresse declarat, sess. 22, cap. 1 ; et sess. 21, cap. 1, supponit manifeste, declarans ac docens, « nullo divino præcepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum. »

418. 3° *Ratione. Primo, ex ratione Sacrificii.* De integritate, imo de ratione sacrificii eucharistici est, quod conficiatur in utraque specie, sicut latius ostendemus in secunda parte ; Christus enim est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Porro sacramentum Eucharistiæ, ex jure divino, non præparatur, nisi per sacrificium eucharisticum, quia prius immolari debet victima, quam ut detur in cibum. Ergo.

419. *Secundo, ex ratione Sacramenti.* Duplex materia pertinet ad complementum et perfectionem Sacramenti, sicut ostensum est supra (399 et 400). Porro quidquid pertinet ad complementum et perfectionem Sacramenti, est ex jure divino ; Ecclesia enim nonnisi accidentalia et veluti penitus extrinseca huic sacramento instituere potest, quæ ideo non possunt illud complere et perficere. Ergo.

Dices : Lucæ 24, Christus confecit hoc sacramentum quando, post resurrectionem suam, cognitus est a discipulis in fractione panis. Porro tunc unam duntaxat consecravit materiam. Ergo confici potest Sacramentum in una materia.

420. *Resp.* 1° *Transeat major ; nego min.* Si Christus tunc consecravit panem, negari non potest quod vinum non consecraverit ; omnia enim quæ fecit Jesus Dominus, non scripta sunt.

2° *Nego conseq.* Nam Christus, ob excellentiæ potestatem, multa potest et etiam fecit, quæ tamen non instituit in Ecclesia. Unde quamvis ipse consecrasset una vice unam tantum materiam, hoc non prohibet quominus consecratio utriusque materiæ sit ex jure divino.

421. *Dixi transeat major*, quia non pauci existimant, tunc Christum non consecrasse Eucharistiam, sed fecisse solum id quod facere solebat, quando inter discipulos versabatur, atque

ad summum impertivisse pani benedictionem usualem. Nec verisimile est, quod Christus communicaverit discipulos non satis dispositos, neque in fide constantes. Ita Carthus., Jansenius, et alii quos citat et sequitur Suarez, in 3, disp. 43, sect. 3, n. 8.

Alii tamen in contrarium sentiunt, inter quos S. Chrysost., S. August., Theophylactus, Beda, etc., quibus assentit Cornelius a Lapide, in illud *S. Lucæ*. Nam S. Lucas eodem modo refert hanc benedictionem factam in institutione Eucharistiæ, vi cujus communio primitus obtinuit ut interdum dicta fuerit *fractio panis*. Deinde hæc benedictio videtur facta in fine cœnæ; ergo non fuit benedictio usualis quæ cœnæ præmittitur. Tandem effectus hujusce ritus haud leve suppeditat argumentum sacræ communionis; nam statim ambo discipuli agnoverunt Dominum suum, et, siqua desiit dispositio, Christus ipse corda eorum præparavit gratia sua, atque eos jam in fide confirmaverat, dum in via aperiret Scripturas et Prophetarum vaticinia.

PROPOSITIO II

Summus Pontifex non potest dispensare ab obligatione conficiendi Eucharistiam in duplici materia.

422. Prob. 1° *Praxi Ecclesiæ*. Ex historia omnino compertum habemus, Ecclesiam nullam hujusmodi dispensationem concessisse, vel interpretationem fecisse, etsi aliunde impossibile fuit vinum habere. Porro, si Summus Pontifex hujusmodi potestatem haberet, prorsus ea fuisset interdum usus; nam in elapsis decem et octo sæculis occurrit certe causa illam adhibendi. Ergo.

Refert utique Volaterranus, VII *Geographiæ* 4, Innocentium VIII Saxonibus concessisse facultatem conficiendi in pane tantum, et Innocentium IV jam Norvegiis, multo ante, illam indulsisse, quia apud illos, vinum, propter ingens frigus, non potest servari. Sed hæc facta sunt falsa atque a melioris notæ auctoribus rejiciuntur tanquam apocrypha. Vide Suarez, in 3, disp. 43, sect. 4, n. 12, De Lugo, *De Euch.*, disp. 19, n. 103, S. Alphonsum. lib. VI, n. 196. Sane nullum superest vestigium hujusmodi dispensationis; et tamen eadem est difficultas servandi vinum in hisce regionibus. Imo hodie Ecclesia Christi abditissimas atque frigidissimas septentrionis pervasit regiones,

et sacrificium Missæ offertur rigentes inter glacies poli borei, quin tamen ulla concedatur dispensatio. Præterea Volaterranus non dicit, fuisse concessum conficiendi in solo pane, sed ut sacrificarent calicem sine vino : porro hæc assertio est omnino falsa, nam uti fusius ostendemus in secunda parte, consecratio utriusque speciei est de essentia Sacrificii ; Papa autem non potest dispensare in his quæ sunt de Sacrificii essentia. Ergo.

423. 2° *Ratione. Primo, ex natura potestatis qua potitur Papa quoad jus divinum.* Summus Pontifex potest dispensare in jure divino remote et consequenter, inquantum scilicet tollere potest fundamentum obligationis ; habet enim potestatem in actum et contractum humanum, ideoque dirimendo illum, eo ipso dispensat in jure quod fundatur super actum vel contractum, ut fit in voto et matrimonio rato sed non consummato. At vero non potest immediate et per se dispensare in jure divino (Vide Ethicam naturalem, n. 185). Porro consecratio utriusque materiæ est de jure divino, uti ostensum est antea, atque independens est ab omni actu, contractu, vel alio quovis fundamento, super quod jus habet Pontifex. Ergo.

In duobus aliis exemplis ab adversariis in oppositum adductis, nulla omnino intercidit dispensatio. Nam « quando plures ordinati sacerdotes cum Episcopo consecrant, cum illo veluti componunt unum integrum ministrum unius tantum sacrificii, quod ab omnibus conficitur ; ad cujus perfectionem satis est, quod sub utraque specie sumatur a ministro ejus in una tantum persona, quia ita omnes ministrant, ut quilibet eorum per se sufficiat, et sit veluti integer minister. Et multo minus intercidit dispensatio quando in aliquo casu negatur alicui communio in articulo mortis ; sed tunc ægrotus excusatur ab obligatione suscipiendi, et minister ab obligatione dandi, propter occurrentes circumstantias ; utraque enim illa obligatio nascitur ex præcepto pure affirmativo, quod non *pro semper* obligat. » Suarez, in 3, disp. 43, sect. 4, n. 16.

424. *Confirmatur.* Ecclesia nihil potest circa ea quæ pertinent ad substantiam sacramenti et sacrificii Eucharistiæ, sicut definivit conc. Tridentinum, sess. 21, cap. 2. Porro ea quæ sunt ex institutione divina in sacramentis et sacrificio Missæ, pertinent ad illorum substantiam ; nam quum pendeant penitus a voluntate Christi, non potest alio criterio dijudicari quid perti-

neat ad eorum substantiam, quid vero sit ipsis accidentale, quam jure divino, seu ipsa Christi institutione. Quod non obscure innuit conc. Tridentinum, sess. 21, cap. 1, dum permittit communionem sub una specie, declarans, se habere potestatem dispensandi in hoc, quia non est de jure divino. Unde, sicut diximus ubi de materiæ et formæ sacramentorum identitate, si pro Baptismatis materia Christus instituisset aquam Jordanis, hoc sacramentum non posset valide conferri in aqua alterius fluminis.

425. *Secundo, ex hujus sacramenti dignitate.* Ex una parte, sacramentum Eucharistiæ est summæ ac veluti infinitæ dignitatis ; ex altera autem parte, non est sacramentum necessitatis, sed utilitatis tantum ; ideo simpliciter majus bonum Ecclesiæ accrescit, ut ritus sacrificandi atque Eucharistiæ sacramentum conficiendi sit in tota Ecclesia unus et idem, perfectus et integer, quam ut mutetur, propter unius vel alterius provinciæ accidentalem utilitatem.

426. *Confirmatur.* In Lege veteri non poterat ulla ratione dispensari, ut immolatio agni fieret in vitulo, vel ex dimidia parte agni, vel sine aliis substantialibus conditionibus a Deo præscriptis ; a fortiori in Lege nova nunquam licebit, quacumque de causa, aliquid detrahere de integritate divini ritus Eucharistiæ.

427. *Nota.* Licet formaliter et per se, id est, ex directa intentione, nunquam fas est consecrare unam duntaxat materiam, attamen aliquando per accidens, id est, præter intentionem, non est peccatum unam tantum materiam consecrare, quando scilicet, jam consecrata una materia, contingit impossibilitas physica vel moralis alteram materiam consecrandi. Hinc :

1° Si aliquis ignorantia vel inadvertentia, pro vino in calice aquam infundat, atque hoc non advertat, nisi postquam vestes sacras jam exuerit, non tenetur consecrare vinum, quia tunc non tam perficeretur Sacrificium inchoatum, quam de novo sacrificaretur. Vel etiam si advertat priusquam ab altari discesserit, non tenetur consecrare vinum, quando ingens scandalum reformidandum est.

2° Si, post consecratam hostiam, sacerdos moriatur, vel amens fiat, vel loquelam amittat, nec sit alius qui possit perfi-

cere Sacrificium, prorsus licite non absolvitur, ut patet. At vero si sacerdos modo celebrans et factus infirmus possit communicare, debet ille qui ejus vices supplet, ei hostiæ partem porrigere. Sed, ut recte advertunt Suarez et S. Alphonsus, « nunquam potest sacerdos consecrare in una sola specie, ob metum mortis ab extrinseco, sive ab alio incusso ad hunc finem, ut sic consecret; quia tunc ageret directe contra præceptum divinum; quod est intrinsece malum. » Vide ea quæ diximus ubi de *Sacram. in genere*, n. 288.

Quæritur an valide consecraret panem sacerdos qui intenderet non consecrare vinum?

428. Negat De Lugo, quia sacerdos non accepit potestatem conficiendi Eucharistiam, nisi sacrificando, ut patet ex institutione Eucharistiæ, et forma ordinationis, prout habetur in Pontificali Romano : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Et hanc sententiam S. Alphonsus, lib. VI, n. 196, dicit esse probabilem.

Attamen merito ei contradicunt Suarez et communiter theologi. Unde Benedict. XIV, III *De Missæ sacrificio*, cap. 10, n. 19, postquam declaraverit, jure divino esse vetitum unam materiam sine alia consecrare, subjungit : « Neque tamen inde consequitur, si sacerdos solum panem consecraret, non confici sacramentum ; forma enim consecrationis panis neque quoad significatum, neque quoad efficaciam pendet a forma consecrationis vini ; proindeque hostia consecrata populo ostenditur adoranda antequam calix consecretur. Itaque valide sacerdos consecraret, sed magno se peccato astringeret, ut abunde ostendunt Salmanticenses, *Cursu morali*, tom. 1, tract. 4, *De sacram. Euch.* cap. 4, punctum 3. »

PARAGRAPHUS II

QUALIS ESSE DEBEAT SACRAMENTI EUCHARISTIÆ MATERIA?

Remota igitur materia Eucharistiæ est panis et vinum. Sed quum hæc nomina variis rebus specifice ab invicem distinctis imponantur, jam inquirere oportet qualis panis et quale vinum requiratur, seu cujusnam naturæ et qualitatis esse debeant.

Quia autem vino consecrando miscenda est aqua, hinc in triplicem sectionem hujus paragraphi materiam dispandimus.

SECTIO I

QUALIS ESSE DEBEAT PANIS EUCHARISTICUS

429. I. EXPONITUR QUÆSTIO. Panis ex triplici genere rerum confici solet : *primo*, ex arborum fructibus, vel etiam plantarum radicibus aut tuberculis, uti ex castaneis, ficubus, amygdalis, et substantia quæ vulgo dicitur *manioc;* ipsa enim adhibetur ad panem conficiendum in India, Brasilia, et quibusdam Oceani insulis. *Secundo* , ex leguminibus , uti ex fabis , ciceris, etc. *Tertio,* ex granis, quæ communi appellatione dicuntur frumenta ; quamvis enim vox *frumentum*, per antonomasiam, triticum significet, tamen generaliter complectitur omnia semina quæ falce metuntur, seu rectius quæ habent culmum, et aristas, et grana sine siliquis. Ideo quæritur ex quanam specie esse debeat panis eucharisticus? Deinde quum panis esse possit vel azymus, vel fermentatus, quæritur de utroque an sit materia valida et licita. Demum operæ pretium est innuere Ecclesiæ morem et regulas circa usum utriusque panis.

430. II. EXPONUNTUR SENTENTIÆ. Gabriel et Cajetanus docuerunt, panem ex quacumque granorum seu frumenti specie factum esse materiam validam Eucharistiæ. Hanc sententiam sequitur Paludanus, excluso tamen hordeo. Græci schismatici, duce Cerulario, contendunt Eucharistiam non posse valide confici, nisi in fermentato. Demum aliqui dixerunt panem azymum pro Latinis, et fermentatum pro Græcis ita esse pro singulis materiam necessariam, ut Latinus invalide in fermentato, et Græcus invalide in azymo consecraret.

PROPOSITIO I

Solus panis triticeus est materia valida Eucharistiæ.

431. PROB. 1° *Scriptura: Ex Matth.* 26, *Marc.* 14, et *Luc.* 22, constat Christum, in institutione Eucharistiæ, consecrasse panem triticeum. Porro solus panis quem Christus consecravit, est materia valida Eucharistiæ. Ergo. Minor patet, quia Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Major multifariam demonstratur :

Primo, *Psalm.* 80 : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos ;* quæ verba usurpat Ecclesia in Introitu missæ SS. Sacramenti. Similiter *Psalm.* 147 : *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.* Hæc et alia similia Scripturæ loca SS. Patres exponunt de Eucharistia. Porro, licet *frumentum* per se significat varia granorum genera, in his tamen locis vox *adeps* coarctat ejus sensum, ita ut significet triticum tantum ; nam adeps frumenti est melior et potior species granorum. Imo SS. Patres vocem *frumentum* sine addito adhibitam interdum exponunt de tritico ; sic D. Thomas, 3 p. q. 74, a. 3, exponit illud *Joan.* 12 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ;* et D. Hieron., super illud *Zachariæ* 9 : *Quid enim bonum ejus, aut quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum*, « frumentum electorum nos intelligimus Dominum Salvatorem, qui in Evangelio dicit : Nisi granum *tritici* cadens in terram mortuum fuerit, etc. » Deinde subdit : « De hoc tritico efficitur ille panis qui de cœlo descendit. » In præfatis et aliis locis adumbratur Christus, inquantum est cœlestis et eucharisticus panis.

Secundo, *Levit.* 24, *et Exod.* 29, panes Propositionis, qui fuerunt figura hujus sacramenti, ex simila, id est, ex farina tritici conficiebantur ; *Gen.* 14, Melchisedech obtulisse panem triticum et vinum de vite, docent omnes Patres : porro sacrificium Melchisedech fuit Eucharistiæ figura.

Tertio, S. Scriptura, quando dicit *panem* sine addito, significat panem triticeum ; si vero conficiatur ex aliis granis, nunquam dicit simpliciter panem ; sic enim, *Num.* 5, et *Joan.* 6, dicit panes hordeaceos. Ratio est, quia solus panis triticeus est panis simpliciter accommodatus hominibus, utpote supersubstantialis, et quodvis aliud genus panis non adhibetur, nisi ex defectu panis triticei. Unde Suarez dicit, alium panem, v. g. hordeaceum, esse potius belluinum quam humanum. Porro Christus, in institutione Eucharistiæ, panem simpliciter dictum consecravit. Ergo.

Quarto, panis adhibitus in veteri Lege ad usus sacros semper fuit eximius seu triticeus. Porro Christus in Eucharistiæ institutione adhibuit panem azymum, qui ad Paschale festum et esum

Agni cum maxima diligentia et peculiari ritu conficiebatur. Ergo videtur certum quod panem triticeum adhibuerit.

432. 2° *Conc. Florentino*, quod in *Decreto* dicit : « Tertium *(sacramentum)* est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. » Cajetanus hæc verba Concilii interpretatur de præcepto, non vero de necessitate sacramenti; at prorsus immerito, alias nihil esset certum in materiis sacramentorum. Deinde Concilium loquitur eodem modo de pane triticeo quam de vino vitis, et aqua naturali ad Baptismum necessaria : porro omnes tenent, vinum de vite esse materiam necessariam Eucharistiæ, et aquam naturalem essentialiter requiri ad Baptismum ; ergo, etc.

433. 3° *Praxi Ecclesiæ*. Semper et ubique, tum in Occidentis, tum in Orientis ecclesiis, fuit mos et ritus non conficiendi Eucharistiam, nisi ex pane triticeo. Porro mos qui nunquam passus est exceptionem, etiam in casu extremæ necessitatis, nonnisi institutione divina atque apostolica traditione innititur: unde Catechismus Romanus, 2 p. cap. 4, n. 13 : « Quemadmodum nullus panis, nisi triticeus, apta ad sacramentum materia putandus est, hoc enim apostolica traditio docuit, et Ecclesiæ auctoritas firmavit; ita etiam ex iis quæ Christus Dominus gessit, azymum esse debere, facile intelligitur. »

434. 4° *Ratione*. « Ad usum sacramentorum assumitur talis materia, quæ communis apud homines in talem usum venit; inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo ; nam alii panes videntur esse introducti in hujus panis defectum. Et ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse, qui etiam panis magis confortat hominem ; et ita convenientius significat effectum hujus sacramenti. Et ideo propria materia hujus sacramenti est panis triticeus. » 3 p. q. 74, a. 3, o.

435. *Dices :* Panis congruentior Eucharistiæ sacramento est panis aptior ad significandam Christi passionem, quia hoc sacramentum est rememorativum Dominicæ passionis. Porro magis quam triticeus videtur consonus passioni Dominicæ panis hordeaceus, qui est asperior, et de quo etiam Christus pavit turbas in Monte, ut dicitur *Joan.* 6. Ergo panis triticeus non est propria hujus sacramenti materia.

Resp. Nego maj. Passio Christi significatur per actionem consecrativam, potiusquam per species, alioquin oportuisset instituere Sacramentum in carne et sanguine. « Panis hordeaceus competit ad significandam tum duritiem veteris Legis, propter duritiem panis; tum etiam quia, ut August. dicit in lib. 83 *Quæstionum* (quæst. 61, circa principium), hordei medulla, quæ tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quæ ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur ; vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat. Hoc autem sacramentum pertinet ad suave jugum Christi, et ad veritatem jam manifestatam, et ad populum spiritualem. Unde non esset materia conveniens hujus sacramenti panis hordeaceus. » 3p. q. 74, a 3, ad 1.

COROLLARIA

436. Hinc 1° panis confectus ex granis, de quibus certo constat non esse triticum, est certe materia invalida ad Eucharistiam; cujusmodi sunt hordeum milium (quod a tritico distinguitur, *Ezechiel.* 4), panicum, maizium, etc. Res patet tum sapientum, tum vulgi usu et appellatione, nam hæc grana nunquam dicuntur triticum; tum etiam colore, figura et proprietatibus; tum maxime per hoc quod illa grana nunquam triticum generant, neque ab illo generantur.

437. 2° Panis confectus ex granis quæ revera sunt triticum, licet aliter nominentur, est certe materia valida Eucharistiæ. Etsi enim generans generat simile sibi in specie, fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ. Non sufficit similitudo figuræ; interdum enim magis propinquitatem, quam identitatem speciei videtur significare; sicut ex similitudine figuræ manifestatur quod canis et lupus sunt propinquæ speciei, non autem ejusdem (3 p. q. 74. a. 3, ad 2). Ideo valida materia est *primo* triticum sativum, quod multifarie variatur : distinguitur enim frumentum commune hiemale, cujus spicæ sunt muticæ et flavescentes; frumentum martii album et muticum; frumentum album Flandriæ; frumentum album Ungariæ; frumentum Algerii vel Odessæ;

frumentum hiemale barbatum; frumentum martii barbatum ordinarium; frumentum tuscanicum, etc., etc. *Secundo*, triticum durum, quod multifarie etiam variatur; complectitur enim frumentum durum Africæ, Siciliæ, Ismaelis, etc. *Tertio*, triticum polonicum, quod dicitur etiam secale Poloniæ vel Russiæ, et communiter habetur ut identicum frumentis Ægypti, Cairi et Mogadoris.

438. 3° Tritica fera et sylvatica, quæ valde nocent agris, et ex quibus non conficiuntur panes, videntur materia invalida ad Eucharistiam conficiendam; cujusmodi sunt triticum repens, quod vulgo audit gallice *chiendent*, triticum sepium, triticum junceum, triticum glaucum, etc.

439. *Nota I.* Quædam voces latinæ ad grana significanda sunt ambiguæ, aut earum significatio est latissima, maxime apud Patres et medii ævi theologos; unde modo ad unam, modo ad aliam granorum speciem significandam usurpantur; cujusmodi sunt spelta, far, zea, typha, siligo. Plinius et Calepinus dicunt, siliginem esse eximiam ac purissimam tritici substantiam. Columella autem, D. Thomas (3 p. q. 74, a. 3, ad 2), et alii dicunt, siliginem esse triticum deturpatum, quatenus scilicet ex grano tritici seminato in malis terris nascitur [1].

Ideo potius attendendum est sermoni vulgari, quia, ut recte advertit Suarez, propter latissimam significationem vocum latinarum, orta est inter theologos, in hac materia, diversa opinio, cum in re fortasse non sit diversitas; sic D. Thomas, 3 p. q. 74, a. 3, ad 2, invalidam materiam dicit esse speltam, quam tamen addictissimus D. Thomæ discipulus Gonet ut validam perhibet. Quocirca potius standum est usui recepto, quam nomini vel etiam similitudini granorum.

440. Modica permixtio extraneorum granorum cum tritico « non solvit speciem, quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo. Ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti; si vero sit magna permixtio, puta ex æquo vel quasi, talis permixtio speciem mu-

[1] De Lugo et alii non pauci inferunt, D. Thomam habuisse secale ut materiam validam Eucharistiæ; sed videtur quod D. Thomas nunquam usurpaverit promiscue secale et siliginem.

tat; unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus sacramenti. » 3 p. q. 74, a. 3, ad 3. Si autem misceatur substantia mordax, quæ panem adulteret, ut fit communiter in hostiis quibus sigillantur litteræ, jam non potest haberi ut materia valida.

441. *Nota II.* Purius seligendum est triticum pro pane eucharistico, atque magna pietate et diligentia præparandum est; et æmulanda est agendi ratio antiquorum, qui summo studio et fide pergrandi huic operi incumbebant. Juvat præ oculis ponere Ordinis S. Benedicti cautelam. Refert itaque Lanfrancus, *De decretorum pro Ordine S. Benedicti*, cap. 6, « illius religionis monachos tanto studio Eucharistiæ materiam parasse, ut frumentum granatim eligerent, in sacculum mundum, aptum et fortem reponerent; famulo boni studii ad deferendum in molendinum committerent, qui aliud frumentum molæ prius curaret, ut frumentum in usum Eucharistiæ destinatum, nullam alienæ farinæ sordem contraheret, vel retineret. Farinam e molendino asportatam sacrista alba indutus et velato amictu capite incerniculo cribrabat. Constituto autem die, sacrista cum aliis adjutoribus fratribus, facie manibusque lotis, albis indutis, amictibus velatis, ad panem eucharisticum seu hostias elaborandum et coquendum eo se ordine accingebant : eorum unus farinam aqua conspersam super tabulam mundissimam fortiter compingebat et macerabat: alter qui ferra in quibus hostiæ coquebantur tenebat, nulla alba vel amictu indutus, solas manus chirothecis involutas habebat : alii psalmos et varias preces recitabant; omnes arctissimum silentium servabant, famulo interim ignem accedente et fovente lignis siccis, et ante multos dies de industria præparatis. Idem fere habetur in antiquis statutis Cluniacensium, cap. 56, in quibus etiam cavetur, ne hujusmodi opus post prandium fiat, atque ne saliva vel flatus illius aliquo modo ad hostias pertingat. » Contensonius, *De Euch.* diss. 2, cap. 2, specul. 1.

PROPOSITIO II

In utroque pane azymo et fermentato valide confici potest Eucharistia.

442. Prob. 1° *Conc. Florentino.* In litteris sanctæ unionis

seu Decreto : « Definimus, in azymo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici ; sacerdotes quoque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, juxta suæ Latinæ vel Orientalis Ecclesiæ consuetudinem. » Idem jam declaraverat Leo IX in epistola ad Cerularium. Et hoc decretum conc. Florentini confirmavit Benedict. XIV, in constit. *Etsi Pastoralis*, § 1, n. 2 : « Item profiteri tenentur (Græci), tam in azymo, quam in fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici : et sacerdotes conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. »

443. 2° *Ratione. Primo, ex utriusque natura communi.* Uterque panis conficitur ex tritico et aqua naturali, et igne coquitur. Porro hæc tria tantum sunt de ratione panis usualis. Ergo. Quamvis enim unius usus sit frequentior quam alterius, utpote delectabilioris, tamen uterque potest adhiberi, et adhibetur tanquam aliorum ciborum comes. Nec obstat illud I *Cor.* 5, 6, *modicum fermentum totam massam corrumpit*, nam ibi vox *corrumpit* significat introductionem alterius dispositionis, ut patet lectione græca, non vero corruptionem proprie dictam seu dissolutionem. Unde, quando ista mixtio fit debito modo, potius massa trahit fermentum (si fortasse substantialiter differant) in suam naturam, et sic ex toto illo composito fit verus panis. Merito igitur monet D. Thomas, 3 p. q. 74, a. 4, ad. 4, ne nimia sit mixtio fermenti, quia, si massam ita corrumperet, ut non esset accommodata usui hominum, jure dubitaretur de validitate materiæ, quæ certo invalida est, si solum fermentum assumatur et coquatur ; nec enim est panis, neque homines illo uti possunt.

444. *Secundo, ex usu vini albi et rubri.* Fatentibus Græcis, Eucharistia confici potest sive in albo, sive in rubro vino, quia utrumque est usuale. Ergo a pari, et in azymo, et in fermentato pane confici potest, cum uterque sit etiam usualis.

445. *Tertio, ex appellatione panis.* Ex sacris Scripturis constat, panem azymum esse panem simpliciter ac proprie dictum. Porro hujusmodi panis est materia valida Eucharistiæ. Ergo. Minor patet ex ipsismet verbis institutionis. Major constat I *Reg.* 21 et 22, ubi panes Propositionis, quos manducavit David, dicuntur panes simpliciter, et tamen certum est. fuisse azymos;

ut scribit Philo, in lib. *De vita contemplat.*, et Joseph, III *Antiquitatum*, cap. 10, alias 9. De fermentato non est difficultas.

446. *Quarto, ex institutione.* Rem extra omne dubium ponit agendi ratio Christi, qui hoc sacramentum instituit prima die azymorum, ut habetur *Matth.* 26, *Marc.* 14, et *Luc.* 22, qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, ut habetur *Exod.* 12. Sed de hoc fusius infra.

PROPOSITIO III

Convenientior est usus panis azymi, quamvis sub aliquo respectu sit aliqua congruentia conficere in fermentato.

447. PROB. 1ª PARS. 1° *Christi exemplo.* Prima ac potissima ratio est Christi exemplum, qui confecit Eucharistiam in azymo.

2° *Praxi Ecclesiæ Romanæ.* Secunda desumitur ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ, quæ summa est, et creditur hunc morem accepisse a B. Petro, ac semper tenuisse. Hanc rationem adducit Benedict. XIV, in § 20 constitutionis *Allatæ sunt*, 26 jul. 1755 : « Cum Latinus ritus is sit, quo utitur sancta Romana Ecclesia, quæ mater est et magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus ritibus præferri debet. » Et Leo IX, epist. 2 *ad Michaelem Cerularium*, cap. 10 : « Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, et Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos, institutionesque ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitos vocare. »

Lutherani et Calvinistæ utique dicunt, usum panis azymi incœpisse sub Alexandro III, qui, ut aliquid novi propalaret, illum introduxit. Sed hæc assertio est putidissimum mendacium et supinam ignorantiam olet; nam, anno 1052, Michael Cerularius, ut specie tenus suum schisma cohonestaret, vehementer objurgavit Latinis usum panis azymi in confectione Eucharistiæ; Alexander autem III rexit Ecclesiam, sæculo duodecimo jam inclinante.

448. 3° *Significatione.* Tertia depromitur ex significatione tum corporis Christi, tum dispositionum ad sacram synaxim requisitarum. *Primo* quidem panis est proprie signum corporis Christi, quod ex purissimo B. Virginis sanguine efformatum est, absque ulla corruptione aut permixtione, ideo perfectius significatur per azymum, quam per fermentatum, qui fit cum

aliqua permixtione et corruptione. *Secundo*, ex parte suscipientium prærequiritur potissimum animæ puritas ac nitor, qui certe convenientius adumbratur per azymum, quam per fermentatum, ut sat ex se patet, et docet D. Paulus, I *Cor.* 5 : *Pascha nostrum immolatus est Christus ; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

449. 4° *Usu.* Quarta desumitur ex usu, quia facilius, purius et decentius conficitur panis azymus, quam fermentatus, ut advertit Suarez post S. Anselmum, atque, teste D. Thoma, 3 p. q. 74, a. 4, ad 4, magis est immunis ab omni corruptione.

450. Prob. II pars. 1° *Significatione.* Fermentatus panis duplicem potissimam sibi vindicat significationem præ azymo, scilicet transformationem communicantis et fervorem charitatis. *Primo* quidem, finis Eucharistiæ sacramenti est consummata unio cum Christo, qui sicut in Incarnatione totum genus humanum veluti sibi copulavit atque in adoptionem filiorum Dei evexit, ita in sacra communione se commiscet singulis fidelibus ut et ipsi sint unum in Christo et cum Christo, quemadmodum modicum fermentum massæ permixtum eam totam transmutat. Unde ipse Dominus *Matth.* 13, 33 : *Simile est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hanc rationem tradit Innoc. III, IV *De Mysteriis Missæ*, cap. 4 : « Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem ; sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo quod Verbum Patris indutum est carne ; sicut fermentum miscetur farinæ. » *Secundo*, Eucharistia est sacramentum charitatis, sicut Baptismus fidei. Sed fervor charitatis magis significatur per fermentatum, quam per azymum ; nam fermentatus est sapidior ; unde fermentum sic dictum videtur a fervore.

451. 2° *Occasione vitandi erroris.* Nazaræi et Ebionitæ, qui legalia Evangelio miscebant, contendebant, Eucharistiam non posse confici nisi in azymo, juxta ritum manducationis Agni Paschalis a Moyse præscriptum. Unde Ecclesia, quæ a tempore Apostolorum utebatur azymis in Eucharistia conficienda, fermentatum tunc adhibuit, ut non videretur facere cum illis hæreticis. Exstincta autem hæresi, Ecclesia Latina ad pristinum morem se recepit, dum Græca noviter introductum retinuit. Ita

D. Thomas, in IV, dist. 11, q. 2, a. 2, q. 3, et innuit 3 p. q. 74, a. 4, o. Et hæc sententia evasit sat communis olim apud theologiæ doctores [1] : eam tenuerunt S. Bonaventura, Scotus, Alensis, Durandus, etc. « Sed quo fundamento, inquit Martenius, nondum satis exploratum est. » Illam sequuntur Gonet, Sylvius, etc.

PROPOSITIO IV

Unusquisque sacerdos tenetur sub gravi conficere Eucharistiam, juxta ritum suæ ecclesiæ, scilicet Latinus, Armenus et Maronita, in azymo, Græcus vero et cæteri orientales in fermentato.

PROB. 1° *Epistola Leonis IX et conc. Florent.* supra citatis (442).

452. 2° *Auctoritate Pii V*, qui in bulla *Providentia Romani Pontificis*, an. 1566, revocat omnes facultates et licentias cele-

[1] Sirmondus, in singulari de azymo disquisitione, contendit, fermentatum ab initio prævaluisse in Ecclesia Latina, et usum azymi fuisse penitus inauditum ante sæculum decimum. Hanc sententiam amplexus est Bona, I *Rerum Liturgicarum* 23. Sed Mabillonius, in *Præfatione ad sæculum III*, et in speciali dissertatione *De pane eucharistico*, quam ipsi Bona cardinali dedicavit, illam sententiam explosit momentis omnino inconcussis, quæ summaliter recensuit Martenius, I *De antiq. Ecclesiæ ritibus*, cap. 3, a. 8. Sane Alcuinus, in epist. 69 ad patres Lugdunenses, scribit : « Panis qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus. » S. Gregorius VII, lib. 8, epist. 1 ad archiepiscopum Synnadensem, laudat Armenos quod « azyma sacrificarent, » atque ob hanc causam, « a Græcis imperitis quasi de hæresi reprehenderentur. » Leo IX, in epist. 2 *ad Cerularium*, cap. 24, scribit, omnes quotquot extitere martyres apud Latinos azymis saginatos fuisse, et epist. 6, ad eumdem, scribit : « Illud autem quis non stupeat, quod post tot sanctos et orthodoxos Patres mille et viginti a passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, et publicam persecutionem excitans in eos quicumque participarentur in azymis. » Vehementissime enim fretus civili potestate sæviebat ille hæresiarcha contra sacerdotes ritus latini qui Constantinopoli in azymo consecrabant. Unde Benedict. XIV, in constit. *Inter multa*, 24 april. 1747, dicit, « inter auctores, qui celebrem quæstionem de azymo et fermentato tractarunt, nullum inveniri qui promiscuum utriusque usum in Ecclesia Latina, eumdemque non continuum, sed interruptum, post decimum Ecclesiæ sæculum, mansisse contendat; multos vero esse, qui solidis rationibus confirment, disciplinam azymi ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia Occidentali invectam et semper deinceps inviolate servatam fuisse. »

brandi more latino pro Græcis, et more græco pro Latinis; atque subdit : « Quibusve presbyteris tam Græcis quam Latinis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, et sub indignationis nostræ ac perpetuæ suspensionis a divinis pœnis, districtius inhibemus, ut deinceps presbyteri Græci latino more, et Latini græco ritu, hujusmodi licentiarum et facultatum, aut alio quovis prætextu, missas et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant. »

Eamdem, et quidem iisdem verbis, inhibitionem edidit Benedict. XIV, in constitut. *Etsi Pastoralis*, § 6, n. 10.

EXCUTIUNTUR DUO DUBIA

Quæritur 1° utrum in casu necessitatis, possit sacerdos latinus consecrare fermentatum ad communicandum moribundum.

453. Aliqui respondent affirmative, quia præceptum communicandi in articulo mortis est divinum; dum prohibitio consecrandi fermentatum est mere ecclesiastica. Alii autem numerosiores rectius negant, quia præceptum communicandi, utpote positivum, non obligat *semper et pro semper*, sed quando commode et cum debitis circumstantiis impleri potest. Quum vero universalis Ecclesiæ consuetudo et lex non debeat facile violari, oportet a confectione Sacramenti temperare, maxime quia ipsum non est necessitatis, sed utilitatis tantum; alias mox panderetur via ad abusus, et petra offensionis scandalique erigeretur. Hinc a fortiori presbytero latino non licet conficere Eucharistiam in fermentato, ut populus die Dominica, vel festiva, non privetur sacrificio missæ; præceptum enim audiendi Sacrum est mere ecclesiasticum.

454. Sed potestne idem dici de casu in quo non suppeteret aliud medium supplendi sacrificium, puta si valida esset consecratio vini, et invalida consecratio hostiæ, atque impossibile esset aliam consecrare? Videtur negare Suarez, qui, etsi hunc casum non ponit, tamen dicit absolute, « nulla ratione esse talem licentiam concedendam. » Affirmat Gonet, imo dicit, ad hoc teneri sacerdotem, « quia majus præceptum est integritas Sacrificii, cum sit divinum, quam determinatio materiæ, quæ est humanum. » Et huic sententiæ astipulor, non tamen propter rationem adductam, alias polleret quoque pro communicando moribundo,

sed quia essentia Sacrificii est res maxima, quam mutilatam ac fractam derelinquere nefas est, nisi in casu impossibilitatis ; et hoc præceptum non tantum divinum est, sed etiam naturale obligans *semper et pro semper*, propter inceptum Sacrificium, et ideo æquivalet negativo.

455. *Nota.* Suarez advertit, hosce casus non posse moraliter accidere inter Græcos, « quia panis fermentatus facilius ubique invenitur, quam azymus; si tamen fingatur occurrere, securius esset eamdem regulam sequi, quamquam non esset tam certa obligatio, tum quia majus periculum est irreverentiæ, superstitionis et scandali, in discedendo, propter privatas necessitates vel rationes, a consuetudine Ecclesiæ Capitalis, quam a discedendo a consuetudine alterius partis, et præsertim sequendo consuetudinem Capitis, tum etiam quia illa obligatio Græcorum non est tam certa, neque tanta ac tam solida auctoritate firmata. » In 3, disp. 45, sect. 3, n. 15. Prima ratio optima esset, si non obstarent decreta Pontificum, quæ, pace tanti auctoris, æque Græcos sicut et Latinos constringunt, absque ulla distinctione, ut constat omni ea attente perlegenti; unde secunda ratio non videtur efficax, nisi attendas ad peculiaria decreta pro Latinis tantum lata, quibus Pontifices Maximi præceperunt, ut ex azymo tantum sacra mysteria conficerent. Et hoc sensu dicit Catechismus Romanus, 2 p. cap. 4, n. 15 : « Nemini licet, privata auctoritate vel potius temeritate laudabilem ecclesiæ suæ ritum immutare : atque eo minus id facere Latinis sacerdotibus permissum est, quibus præterea Pontifices Maximi præceperunt, ut ex azymo tantum sacra mysteria conficerent. »

Quæritur 2° an Latinus, dum versatur apud Græcos, et Græcus, dum versatur apud Latinos, possit consecrare indiscriminatim in azymo et fermentato?

456. Si sint monasteria vel ecclesiæ ritus sui, ut contingit Romæ, debet conficere cum pane præscripto in sua ecclesia. Ita communiter theologi. Aliunde hoc fert usus, et epistola Leonis IX ad Cerularium, et evidenter supponit Benedictus XIV, in constit. *Etsi pastoralis*. § 6, n. 11 et seq. : « Eadem quoque ratione, tam ubi sunt duæ parochiæ, latina altera, et altera græca, quam in una eademque Latinorum, vel etiam Græcorum ecclesia, in qua, ut præmittitur, præter altare majus, quod pro solis Græcis sa-

cerdotibus erectum est, minora quoque altaria pro Latinorum sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus et decernimus, ut neque Latinus parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, neque parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quacumque ecclesiæ suæ altari retineat, sed unusquisque sacerdos nonnisi in suo sive græco, sive latino ritu Eucharistiam fidelibus porrigere debeat. »

« Ne laici autem latini communionem a Græcis presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino et interdicimus. »

« Græcis tamen laicis permittimus, ut ubi parochiam græcam non habent, possint, si velint, in ecclesia latina Eucharistiam sub specie azymi a Latinis sacerdotibus sumere. »

457. Si autem non adsint hujusmodi peculiaria loca, variæ prodeunt sententiæ. Alii pauciores, freti dicto illo SS. Ambrosii et Augustini : *Si fueris Romæ, romano vivito more; si fueris alibi, vivito sicut ibi*, dicunt, sacerdotem teneri sub gravi conficere cum pane præscripto in ecclesia in qua hospes vel peregrinus est. Sed illam sententiam uti rigidiorem habet Suarez, qui fretus verbis concilii Florentini et epistola Leonis IX, dicit, melius quidem facere sacerdotem, si se gerat juxta morem regionis in qua reperitur, sed ad in non teneri. Quam sententiam probabilissimam dicit S. Alphonsus, pro ea citans Natal. Alex. Antonium, Tournely. Alii tandem verius contendunt, unumquemque sacerdotem, ubicumque reperietur, teneri servare morem Ecclesiæ suæ, nisi urgeat gravissima causa, puta ad vitandum scandalum, vel si impossibile sit pro latino sibi azymum comparare. Hanc sententiam sequuntur hodie presbyteri orientales qui apud nos iter faciunt, et videtur omnino fundata constitutionibus Pii V et Benedicti XIV. Iterum perlege eas, et pondera præsertum verba hæc : « Districtius inhibemus, ut deinceps... quovis prætextu. »

SECTIO II

QUALE ESSE DEBAT VINUM EUCHARISTICUM?

PROPOSITIO

Solum vinum de vite est materia valida Eucharistiæ.

458. Prob. 1° *Scriptura.* Verbis institutionis jam toties reci-

tatis res plane constat ; nam Christus, peracta Eucharistiæ institutione, dixit : *Matth.* 26 : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Atque pronomen *hoc* innuit quod erat consecratum in calice. Deinde solum vinum de vite proprie et simpliciter dicitur vinum in S. Scriptura.

459. 2° *SS. Patribus.* S. Cyprian., Epist. 63 *ad Cæcilium :* « Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit ; ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Nam cum dicat Christus : *Ego sum vitis vera*, sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. » Ita etiam cæteri Patres.

460. 3° *Conciliis.* Florent. in *Decreto*, cujus verba superius adducta sunt (432). Tridentinum rem sæpe inculcat in sess. 13, 21 et 22. Huc facit etiam praxis Ecclesiæ, quæ non minus constans et universalis est pro vino de vite, quam pro pane triticeo (Vide n. 433).

461. 4° *Ratione.* In primis vinum de vite est aptum ad nutriendum, atque ideo ad significandam spiritualem animæ refectionem ; unde in Scriptura vinum significat interdum sanguinem Christi, ut in illo *Gen.* 49 : *Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ pallium suum.* Deinde vinum vitis est medicamentum, et ideo magis significat effectum hujus sacramenti, qui est infirmitates et reliquias peccati abstergere. Tandem magis significat spiritualem lætitiam quam metitur sumens digne hoc sacramentum, juxta illud *Psalm.* 103,15 : *Et vinum lætificet cor hominis.* Unde S. Chrysostomus dicit, vinum fuisse a misericordia Dei homini datum pro amisso ligno vitæ.

COROLLARIA

462. Hinc 1°, ut fert Rubrica Missalis, « si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum. »

« Si vinum incœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius

distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat. » Vide etiam 3 p. q. 74, a. 5, ad. 2. Addit tamen S. Alphonsus (lib. VI, n. 207) cum Sporer, La Croix, etc., « quod, deficiente alio vino, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum. Adduntque Sporer et Mazotta, quod urgente gravi necessitate, licitum esset uti vino adhuc notabiliter acescente, modo sit certum vinum. »

463. 2° Si, dum sumit pretiosissimum sanguinem, sacerdos serium habeat dubium an penitus acuerit, vel corruptum fuerit vinum, tenetur vinum validum iterum consecrare, sub conditione tamen, ut præcaveat periculum alterius sacrificii mutilati. Idem dicito de vino de quo dubitatur an sit expressum ex uvis maturis; nam, ut ait D. Thomas, « agresta est in via generationis, et ideo nondum habet speciem vini, et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum. » 3 p. q. 74, a. 5, ad 3.

464. 3° Botrus, licet vinum contineat, non est tamen materia valida, quia botrus sumitur per modum cibi, non autem potus. Unde D. Thomas, loco citato, dicit : « Non tamen debent uvæ integræ huic sacramento misceri, quia jam esset ibi aliquid præter vinum. » Ita communiter theologi. Et confirmatur auctoritate Julii I, *Epist. Episcopis per Ægyptum*, quæ habetur in cap. *Cum omne crimen*, *De Consecr.* dist. 2 : « Quod de expresso botro, id est, de uvarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum : sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, et aqua misceatur. »

Idem dicendum est de vino quo panis madefit, quamvis retineat speciem et naturam vini, quia non est in forma potabili, sed potius in forma manducabili; ideo dicitur panis intinctus, vel simpliciter offa aut vipa. Nec est simile de dolio vel ampulla vino referta, quia vinum in ipsa est sicut contentum in contento, non vero tanquam pars ejus ; neque ibi est per modum cibi, et nonnisi ad potum adhiberi potest.

465. 4° Liquor tamen ex uvis maturis expressus, sed non defæcatus, scilicet *mustum*, est quidem materia valida, ut omnes conveniunt, et docet Julius Papa I ac Rubrica Missalis, quia est vere vinum et habet statum modumque potus ; sed est materia graviter illicita, extra casum necessitatis, ut colligitur

ex cap. *Cum omne crimen*, dist. 2, et ex Rubrica superius citata (462). Esset enim gravis irreverentia erga venerabile Sacramentum consecrare vinum impurum, habens admixtas fæces non consecrabiles. Idem a pari dicendum igitur de vino quod, et si antea purum fuerit, sed vel propter itineris concussus, vel aliam causam, iterum misceretur fæcibus, atque turbidum esset.

Quæritur an vinum congelatum sit materia valida ?

466. In primis si congelatio fiat post consecrationem, Rubrica Missalis supponit, sacratissimas species retinere sanguinem Christi, namque non præscribit iterum consecrare, sed tantum calicem pannis calefactis involvere, aut, si hoc non sufficiat, ponere in ferventi aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.

467. Deinde certum est, non licere consecrare vinum congelatum; at vero in hieme valde aspero, fieri potest ut vinum in calice infusum, maxime si debilissima virtute polleat, congeletur, ante consecrationem, quin illud advertat sacerdos ; et quæritur an vinum quod ita consecratur in forma solidi, sit materia valida. Negant aliqui, inter quos Lessius, quia vinum consecrandum debet esse potui idoneum, sicut aqua Baptismi ad ablutionem apta; unde glacies non est materia valida consecrationis. Hanc sententiam uti probabilem habent Salmanticenses et cont. Tournely, qui ideo dicunt, iterandam esse consecrationem, propter dubium serium de illius validitate.

468. Communius tamen affirmat Suarez, Joannes a Maria, Billuart, S. Alphonsus, etc., vinum congelatum esse materiam validam consecrationis, quia, ex Rubrica Missalis, si congelatio fiat post consecrationem, sacratissimæ species vini retinent sanguinem Christi : porro si sint aptæ ad retinendum, sunt eo ipso aptæ ad recipiendum; nam substantia sanguinis est, vel esse potest sub speciebus semper et ubicumque est, vel esse potest substantia vini. Deinde sententia negans falso innititur supposito; etenim sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu, sed est essentialiter permanens; unde non est necesse ut vinum sit actu potabile, dum fit consecratio, sed satis est quod ex natura sua sit potabile, sicut est comestibilis panis durissimus, qui emolliri potest. Nec fauste adducitur exemplum Baptismi, qui essentia-

liter consistit in usu seu ablutione tanquam materia proxima; dum Eucharistiæ materia proxima sunt species permanentes.

469. S. Alphonsus ultra progreditur, atque primam sententiam penitus solida probabilitate destitutam dicit : « At casu quo sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum est pro vere consecrato, nec ille licite posset alterum vinum consecrare, quia puto, primam sententiam nulla pollere solida probabilitate. »

Cui tamen in hoc non penitus astipulor, nam interdum plures requiruntur conditiones ad recipiendum *esse*, quam ad illud servandum semel receptum, sicut impressio sigilli retinetur in ferro quam durissimo, et tamen non recipitur in ipso, nisi aliquatenus liquefiat. Et illud patet in ipsomet Eucharistiæ sacramento ; nam ex communiori sententia, pars consecrata panis aut vini quantumvis exigua retinet corpus et sanguinem Christi, licet non sit sensibilis, et tamen non est materia valida ad consecrationem, quia pronominis *hoc* vel *hic* veritas non potest in ea contingere. Nec omnino certum est, Christum non instituisse pro materia hujus sacramenti vinum *actu* potabile, maxime quia Sacramentum non rite conficitur, nisi per Sacrificium, quod consistit in actione et re transeunte, in qua repræsentatur passio et mors Christi, non tantum in *facto esse*, sed etiam *in fieri suo*, et in qua proinde repræsentatur effusio sanguinis, quæ *in fieri* non repræsentatur perfecte per vinum congelatum. Unde potuit Christus instituere vinum liquidum uti materiam necessariam ; sed utrum non fecerit, non apparent rationes penitus convincentes. Quocirca prudentius iteraretur consecratio sub conditione, quia, ut dicunt Suarez, Salmant. Billuart et alii, sententia Lessii est utcumque probabilis.

470. *Notanda.* I. Quoad vini munditiem et puritatem, adhuc major cura et vigilantia requiritur quam pro pane eucharistico ; nam hujusmodi est natura vini, ut facilius ipsi permisceantur extranea elementa, et corrumpatur adultereturve. Meminerint sacerdotes, non magis licere consecrare vinum turbidum crassitudine permixtum, quam panem maculatum. Ex jure naturali, divino et ecclesiastico, mundissima esse debent sacra linteamina quæ immediate tangunt species eucharisticas, quidni igitur ipsæ species quæ immediate quasi tangunt et obvolvunt corpus et sanguinem Christi ?

471. II. Sicut ad panem eucharisticum seligenda est potior tritici pars, ita pie ac religiose eligendum et purius excellentiusque vinum ; sanguis enim Christi non minus dignus est veneratione quam ipsum corpus. Et tamen aliqui sacerdotes, nescio quonam spiritu acti, vel præjudiciis obcæcati, deterius vinum adhibent pro Sacrificio. Illud tam mediocre et acerbum reputant ut neutiquam velint suis amicis in mensa ministrare, et tamen satis illud faciunt pro sacrificio eucharistico ! Sin verbis, saltem actibus ita loquuntur : « Illud tegumen et vestimentum nimis vile ac pauper est, quam ut illo meipsum vel amicos obtegam, sed sat æquo dignum ac pretiosum est, ut in humeros Christi injiciatur. » Sacratissimæ enim species sunt tegumen et vestimentum quo immediate operitur corpus et sanguis Domini. Sacerdos Christi, quid diceres de illo divite, Joseph ab Arimathæa, si, ad involvendum corpus Jesu, adhibuisset sindonem miserabilem ac sordidam ? Altius in mente defixum habeamus omnes, quod Deus respexerit ad munera Abel, quia pura mente ipse offerebat de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum, scilicet parte potiori ac nobiliori ; ad munera autem Caïn non respexit, quia mente sordida sibi servabat primas ac meliores partes, Deo autem secundas ac deteriores sacrificabat. Ita enim exponunt SS. Ambrosius, Chrysost., et August. ; et non obscure innuit Scriptura describens munera Abel. Vide *Genes.* 4.

SECTIO III.

AQUA VINO IN CALICE MISCENDA.

I. — Necessitas infundendi aquam in calice.

472. Tres sententiæ. 1ª. S. Bernardus, *Epist.* 69, refert, quosdam opinari, consecrationem calicis esse invalidam, si vinum non sit aqua permixtum, quia hæc mixtio est juris divini. Christus enim, ut docet traditio perantiqua, confecit in vino aqua mixto.

2ª. Alii in contrarium plane sentientes, dicunt, non licere aquam miscere vino consecrando ; aqua enim non est de necessitate sacramenti, nec est pars integrans materiæ : porro non licet extraneam materiæ sacramentorum miscere, et præsertim in venerabili Sacramento, quum materia debeat in sanguinem Christi converti. Hunc errorem professi sunt Armeni, ut patet ex concilio Constantinop. III (680) ; et in eo perseverasse constat,

quia conc. Florentinum, in *Decreto*, sic habet: « Decernimus ut etiam ipsi Armeni cum universo orbe christiano se conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino. » Hujus erroris nacti sunt occasionem ex falsa interpretatione S. Chrysostomi in *Matth.* Ille enim præclarissimus vir, ut refelleret hæresim Aquariorum, qui in calice aquam tantum offerebant, dixit, Christum et Apostolos non obtulisse aquam, sed vinum ; nullo tamen modo excludebat permixtionem modicæ aquæ, « nam, inquit conc. Constantin. III, et suæ ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit. »

3ª. Alii fere catervatim mediam perlustrantes viam, dicunt, necessariam quidem esse aquæ mixtionem, sed necessitate præcepti tantum. Cujusnam vero præcepti, scilicet diviñi an ecclesiastici sit illa necessitas, non uno ore confitentur. Alensis et quidam alii pauciores existimant, hoc præceptum esse juris divini, quia Christus hunc ritum observavit, et postea dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Aliunde, nisi Christus præcepisset, Ecclesia non fuisset ausa miscere aliquid materiæ tanti Sacramenti, quum in nullo alio id fecerit. Nihilominus sententia negans est communior inter doctores.

PROPOSITIO I

Christus consecravit in vino aqua mixto.

473. Prob. 1° *SS. Patribus.* S. Clemens I, lib. VIII. *Const. Apost.* cap 12. : « Postquam miscuit ex vino et aqua. »

S. Irenæus, IV *Advers. hæres.* 57 : « Christus accipiens calicis temperamentum. »

S. Cyprian. *Epist.* 63: « Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, nec aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit : ut in calice qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. » Idem docent S. Justinus Martyr, *Apolog.* 2, S. Ambros. V *De Sacram.* 1, S. Hieronym. in *Marc.* 14, S. August. IV *De doctrina christiana*, 21. Unde in liturgia S. Jacobi legitur : « Postquam cœnavit, accipiens calicem et permiscens ex vino et aqua. »

474. 2° *Conciliis.* Conc. Africanum, can. 4, Carthagin. III, can. 14, Aurelian. IV, can. 4, et Constantin. III, can. 32, præcipiunt, ut

in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum. Et in hanc sententiam multum propendit Trident. sess. 22, cap. 7, et can. 9.

PROPOSITIO II

Aqua est vino permiscenda.

Prob. 1° *SS. Patribus.* Huc redeunt et æque pollent testimonia superius adducta (473), necnon auctoritas conciliorum in præcedenti propositione citatorum.

475. 2° *Summis Pontificibus.* Alexander I, *Epist. 1 ad omnes orthod.* cap. 4 : « In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur. »

Julius I, *Epist. Episcopis per Ægyptum :* « Calix Dominicus. juxta canonum præcepta, vino et aqua permixtus debet offerri : quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentum plebs ei, in quem credit, copulatur et jungitur. »

476. 3° *Conciliis.* Florentinum, in *Decreto*, dicit : « Aqua ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ, pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. » Recitatis deinde testimoniis Alexandri I et Julii I, subjungit : « Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia a beatissimis apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquæ Latinorum Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis et doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. »

Conc. Trident. sess. 22, cap. 7 : « Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent : tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine exierit (Joan. 19). Quod Sacramentum hac mixtione recolitur : et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis (17) populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsen-

tatur. » Et can. 9 : « Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse ; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem : anathema sit. »

477. 4° *Ratione.* Quatuor congruentias ex Patribus collegit D. Thomas, 3 p. q. 74, a. 6, o, quarum tres priores innuit conc. Tridentinum, cap. 7 supra citato, scilicet *primo*, exemplum Christi : « Probabiliter enim creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto, secundum morem illius terræ, unde et *Proverb.* 11, 5, dicitur : *Bibite vinum quod miscui vobis* .[1] »

« *Secundo*, quia hoc convenit repræsentationi Dominicæ passionis ; unde dicit Alexander I papa, loc. cit. : « Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur. »

« *Tertio*, quia hoc convenit ad significandum effectum hujus sacramenti, qui est unio populi christiani ad Christum, quia, ut Julius I papa dicit in decreto 6, videmus in aqua, etc. (Vide supra 475). »

« *Quarto*, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam ; unde Ambros. dixit in lib. V *De Sacramentis*, cap. 1, redundat aqua in calicem, et salit in vitam æternam. » Unde sacerdos dum in calice cum vino infundit aquam ad Sacrificium, dicit : « Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti, da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps. »

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

478. *Obj.* 1° Sacrificium Christi figuratum est per oblationem

[1] Quidam dicunt, Christum propter temperantiam miscuisse aquam vino ; sed hæc ratio parum urget, quia paululum aquæ nihil confert ad temperantiam ; alias copiosiore aqua vinum attemperasset. Unde D. Thomas refert morem Judæorum, cui se accommodavit Christus, sed absolutam rationem permixtionis desumit ex significatione et mysterio ; et ideo modica infunditur aqua.

Melchisedech. Porro Melchisedech aquam non obtulit. Ergo.

Resp. Dist. maj. Inadæquate, quoad aliqua tantum, *concedo;* adæquate, quoad omnia, *nego.* Omnia veteris Legis sacrificia adumbrarunt sacrificium novæ Legis, sed alia sub uno, alia sub altero respectu. Unde sacrificium Christi fuit significatum etiam per aquam, quæ in eremo fluxit de petra, juxta illud I *Cor.* 10, 4 : *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus.*

479. *Obj.* 2° « Diversorum sacramentorum diversæ sunt materiæ. Sed aqua est materia Baptismi. Ergo non debet assumi ad materiam hujus sacramenti. »

Resp. Dist. maj. Diversæ sunt, ratione usus et significationis, *concedo;* ratione suiipsius, id est, suæ physicæ naturæ, *nego.* Ratio enim formalis materiæ in sacramentis desumitur ex parte significationis, quia materia est pars essentialis sacramenti seu signi. Porro « aqua assumitur in Baptismo ad usum ablutionis : in hoc autem sacramento assumitur ad usum refectionis, secundum illud *Psalm.* 22, 3 : *Super aquam refectionis educavit me.* » Unde si Christus id voluisset, aqua esset æque de essentia hujus sacramenti, sicut ipsum vinum.

480. *Obj.* 3° « Panis et vinum sunt materia hujus sacramenti. Sed pani nihil adjungitur. Ergo nec vino debet aliquid adjungi. »

Resp. Nego conseq. Rationes enim congruentiæ supra adductæ optime faciunt pro vino, sed non æque pollent pro pane. Deinde « panis ex aqua et farina conficitur ; et ideo, cum vino aqua miscetur, neutrum sine aqua existit. » 3 p. q. 74, a. 6.

Inst. Permixtio aquæ cum vino habet malam significationem, ut patet illo *Isaiæ* 1 : *Vinum tuum mixtum est aqua.* Porro non convenienter adhibetur in sacramentis id quod malam habet significationem. Ergo.

Resp. Dist. maj. Aliquando et sub peculiari respectu, *concedo;* semper et sub omni respectu, *nego.* In sacris Scripturis eadem res pro vario respectu sub quo consideratur, modo pessime, modo optime sonat ; sic fermentum habet bonam significationem, *Matth.* 13, et malam, I *Cor.* 5 ; leo, bonam, *Gen.* 49 et *Apoc.* 5, malam vero, *Psalm.* 90 et I *Petr.* 5. Mixtio vini male sonat, inquantum significat vini alterationem fieri solitam a cauponibus,

qui impurum pro puro vendunt vinum : quando autem dicitur a bibentibus, significatione ejus bene sonat, quia tunc sobrietatem significat.

PROPOSITIO III

Permixtio aquæ non est de necessitate eucharistici mysterii.

481. Prob. 1° *SS. Patribus.* S. Cyprian., *ad Cæcilium.* lib. II, *Epist.* 3, dicit : « Si aliquis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc servavit (ut scilicet aquam vino misceret in Sacramento), potest simplicitati ejus venia concedi. » Porro hoc non esset, si aqua esset de necessitate Sacramenti, sicut est vinum, vel panis. Ergo. Et hoc supponunt communiter Patres ; unde fidissimus eorum interpres, Catechismus Rom. 2 p. cap. 4, n. 17, ita habet : « Quamvis aquæ admiscendæ ita graves rationes sint, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat : ea tamen si desit, Sacramentum constare potest. »

482. 2° *Conciliis.* Florentinum, in *Decreto*, supponit hanc veritatem, dum definit, hujus sacramenti materiam esse panem triticeum, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Deinde corripit Armenos, non quasi nihil conficiant, sed solum quia ab universali consuetudine discordant : si autem mens illius fuisset, quod aqua est de essentia Sacramenti, certe non prætermisisset hanc rationem.

Tridentinum, in tota sess. 13, agit de institutione, materia, forma, ministro et effectibus hujus sacramenti, et tamen nec ullum quidem verbum profert de aqua vino miscenda. Nihil quoque de illa dicit in sess. 21 ; in sessione autem 22, mixtionis aquæ necessitatem desumit potissimum ex effectibus Sacramenti, qui non pertinent ad illius essentiam ; unde dicit simpliciter, hanc mixtionem esse præscriptam ab Ecclesia.

483. 3° *Rubrica Missalis*, quæ, ubi *De defectibus vini*, ita fert : « Si autem celebrans, ante consecrationem calicis, advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti. »

484. 4° *Ratione.* « Judicium de signo sumendum est ex eo quod significatur. Appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem hujus sacramenti a fidelibus,

quantum ad hoc quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo, ut dictum est art. præced. Sed et hoc ipsum quod de latere Christi pendentis in cruce aqua profluxit, ad idem refertur, quia per aquam significatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per passionem Christi. Dictum est autem supra (q. 73, a. 1, ad 3) quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ ; usus autem fidelium non est de necessitate Sacramenti, sed est aliquid consequens ad Sacramentum. Et ideo consequens est quod appositio aquæ non sit de necessitate Sacramenti. » 3 p. q. 74, a. 7, o.

485. *Dices :* « In passione Domini, cujus hoc sacramentum est memoriale, sicut de latere ejus exivit sanguis, ita et aqua. Sed vinum quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate hujus sacramenti. Ergo pari ratione et aqua. »

Resp. Nego conseq. et parit. « Effusio sanguinis directe pertinebat ad ipsam Christi passionem : est enim naturale corpori humano vulnerato quod ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquæ non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio a peccatis et refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideo aqua non seorsum offertur a vino in Sacramento, sicut vinum offertur seorsum a pane. Sed aqua offertur vino permixta, ut ostendatur quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquam de ejus necessitate existens, aqua autem secundum quod adjungitur vino. » 3 p. q. 74, a. 7, ad 2.

PROPOSITIO IV

Probabilissimum est, mixtionem aquæ vino consecrando esse præcepti ecclesiastici tantum.

486. Prob. 1° *SS. Patribus.* Sancti Patres nunquam dixerunt, esse strictum ac rigorosum Christi præceptum de aqua miscenda vino. Atqui illud non reticuissent, si fuisset a Domino datum. Ergo. Utique interdum in sensu lato dicunt de hoc esse traditionem, vel etiam mandatum Dominicum, quatenus exemplum Christi est loco præcepti. Non enim omnia quæ fecit in consecratione Eucharistiæ, præcepit Christus ; v. g. in azymo consecravit, et tamen licitum est Græcis conficere in fermentato. Aliqua igitur penes Apostolorum et Ecclesiæ arbitrium reliquit, quæ ope tra-

ditionis a divinis præceptis discriminamus. Unde Alexander I, in citata epistola (475), et concilium Tiburiense dicunt solum, mixtionem aquæ esse traditam a Patribus.

487. 2° *Conciliis.* Florentinum dum reprehendit Armenos, quia non miscebant aquam vino, non dicit illos agere contra præceptum divinum, sed a communi Ecclesiæ consuetudine dissentire. Porro, si esset præceptum divinum, non esset verisimile quod Concilium non adduxisset, ad Armenos efficacius commovendos corripiendosque. Ergo. Tridentinum, sess. 22, cap. 7, dicit: « Præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent. » Licet autem, inquit Suarez, responderi posset, esse simul ab Ecclesia et Christo præceptum, et Concilium dixisse quod certum est, non tamen negasse aliud, aut exclusisse, nihilominus tamen ille modus loquendi non solet usurpari in rebus quæ sunt jure divino præceptæ. Unde ex illo Concilii testimonio hauritur saltem magna probabilitas conclusionis nostræ.

488. 3° *Ratione.* Si hoc præceptum esset divinum, mixtio aquæ videretur esse de necessitate Sacramenti; nam sacramenta sunt signa arbitraria, quæ idcirco penitus pendent a voluntate et institutione Domini; atque communiter non alio criterio quam institutione divina distinguuntur ea quæ sunt de substantia sacramentorum ab eis quæ sunt tantum accidentalia. Porro aquæ mixtio non est de necessitate ac substantia Sacramenti, sicut ostensum est supra (481 et seq.). Ergo.

COROLLARIUM

489. Probabilissimum est igitur, Ecclesiam posse dispensare in hoc præcepto. Practice autem vix esse potest occasio vel causa ad licite hanc dispensationem concedendam, quia hæc mixtio est facillima et sine inconvenienti fieri potest. Si autem deficiat aqua, potest sacerdos consecrare vinum sine aqua ad perficiendum Sacrificium inchoatum.

II. — Circumstantiæ servandæ in mixtione aquæ.

490. I. Natura aquæ. Aqua miscenda vino debet esse naturalis, et graviter peccaret celebrans qui rosaceam vel aliam artificialem apponeret. Nam Christus ipse prorsus naturalem aquam adhibuit; quod patet aliunde traditione universali et consuetudine

totius Ecclesiæ. Deinde in Scripturis aquæ, dum significant populos gentium, intelliguntur aquæ naturales : porro aqua admiscetur vino, ut significetur adunatio populorum cum Christo (477); ergo. Demum aqua quæ de latere Christi exivit, non fuit humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, sed aqua naturalis, quæ fluxit, non ex vi vulneris, sed per miraculum : Evangelium enim dicit *aquam* sine addito, quod ex more Scripturarum intelligitur de aqua naturali : deinde Innoc. III, in celebri decretali *Cum Marthæ, de celebratione Missarum*, expresse definit, aquam quæ ex latere Christi exivit, fuisse naturalem : « Illud autem est nefarium opinari quod quidam dicere præsumpserunt, aquam videlicet in phlegma converti. Nam et de latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exisse, non attendentes quod de latere Christi duo fluxerunt sacramenta, et quod non baptizantur in phlegmate, sed in aqua. » Et in cap. *In quadam*, hoc confirmat insuper ex figura petræ in eremo a Moyse percussæ : « Sed nec vera fuisset figura, quæ super hac re præcessit in veteri Testamento, quando Moyses virga percussit silicem, et ex ea non phlegma sed aqua manavit. Præstat igitur ut qualiscumque fuit illa aqua, sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, procul dubio vera fuit, cum naturaliter possit et compositum in componentia, et elementatum in elementa resolvi; quemadmodum verus extitit sudor ipsius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. »

491. II. Ejus quantitas. *Primo*, certum est, non licere apponere aquam in majori vel etiam æquali quantitate cum vino consecrando, sicut expresse habetur in capite *Perniciosus, de Celebr. Miss.* : « Perniciosus in tuis partibus inolevit usus, videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino. Cum, secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum. » Alias enim aut invalida, aut dubia foret consecratio calicis, maxime si vinum non esset generosum ; et contra Rubricam Missalis ageret sacerdos, vel subdiaconus infundens aquam ; nam dicitur pro sacerdote : « Infundens parum aquæ in calicem, » et pro subdiacono in missa solemni : « Interim subdiaconus infundit paululum aquæ in calicem. » Ibi quantitas aquæ prorsus sumitur respective ad quantitatem vini. Sed

certum est etiam, licere apponere aquam in minima quantitate, dummodo sit sensibilis, uti docet D. Thomas, 3 p. q. 74, a. 8, ad 1 : « Sufficit ad sacramenti hujus significationem quod sentiatur aqua cum apponitur vino ; non autem oportet quod sit sensibilis post mixtionem. Ratio est, quia apponitur aqua, non propter temperantiam, sed propter significationem, ad quam par est modicissima sicut et magna aquæ quantitas.

492. *Secundo*, inter quantitatem exiguam, et quantitatem æqualem quantitati vini, magna jacet intercapedo ; et varie opinantur theologi. Layman, Paludanus, Diana et alii dicunt non licere infundere aquæ quantitatem, quæ octavam partem vini excedat. Busembaum, Sporer et alii dicunt, posse infundi tertiam partem. Huic sententiæ favet canon 19 concil. Tiburiensis (895), citatus apud Martène [1] : « Ne ullus sine commixtione vini et aquæ mysteria sacra conficiat : sed ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ. » Sed quidquid est de auctoritate hujus concilii, praxis opposita evasit universalis in Ecclesia Dei, ut constat ex conc. Florentino in *Decreto:* « Vino, ante consecrationem, aqua modicissima admisceri debet » ; quod dici nequit de tertia parte. Opponitur etiam Rubrica Missalis, quæ præscribit infundere *paululum aquæ ;* quod nec intelligi potest de tertia parte. Unde merito S. Alphonsus dicit, illam sententiam in praxi vix admitti posse. Rectius igitur De Lugo, La Croix et alii dicunt, sacerdotem non excedere modum, si quintam tantum partem infundat.

493. *Tertio*, in praxi tamen melius ac tutius semper est « parum de aqua apponere, et præcipue si vinum sit debile (3 p. q. 74, a. 8); » sic enim fert universalis consuetudo, ut declarat Florentinum, et innuit Rubrica. Aliunde potius est neutiquam vini virtutem minuere, atque illud quocumque modo non immutare; quod non est, nisi modicissima infundatur aqua. Præterea quo paucior est aqua, eo facilius convertitur in vinum, et magis significatur virtus Christi ad populos in seipsum adunandos et convertendos.

494. III. Tempus mixtionis. In primis hæc mixtio aquæ cum vino pertinet ad ritum Sacrificii, ideo non licet aquam miscere

[1] I *De antiq. Ecclesiæ ritibus*, cap. 3, a. 7, n. 31.

in dolio, aut ampulla, sed debet fieri in calice et per actionem quæ ad ritum Sacrificii pertineat. Ex fere universali Ecclesiæ usu, aqua miscetur vino immediate ante oblationem calicis. Armeni tamen eam miscent sub initio missæ ; nam de toto tempore a principio missæ usque ad oblationem nulla est præcepti necessitas. In hoc igitur unusquisque tenetur suæ Ecclesiæ consuetudinem et ritum servare.

495. *Nota.* Græci, præter aquam frigidam in calice infusam ante oblationem, aliquas guttulas aquæ ferventis injiciunt in pretiosissimum sanguinem, ante communionem, ut descensum Spiritus Sancti in Ecclesiam significent. Et hic ritus est perantiquus, nam invenitur in liturgiis S. Basilii et S. Chrysostomi, et approbatus fuit a Patribus Latinis in concilio Florentino. Unde Benedict. XIV, in constitutione *Etsi pastoralis*, § 6, n. 2 : « Item permittitur eisdem (Græcis), facta jam consecratione, antequam sacerdos communicet, juxta ritum in liturgia præscriptum, aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere. [1] »

[1] Quod latissime prosequitur in constit. *Allatæ sunt;* ita enim habet in § 26 : « Entymius, Tyri ac Sidonis archiepiscopus, an. 1716, Summo Pontifici Clementi XI nonnulla quæsita proposuit, quorum alterum erat, utrum Melchitis Syriæ ac Palestinæ interdicere deberet, aquam tepidam divino sanguini post consecrationem affundere ; cui redditum fuit responsum, adjecta accurata et luculenta instructione ab eodem Pontifice approbata, ejusque jussu transmissa ad superiores missionum Terræ Sanctæ, Damasci, Tyri ac Sidonis ; injunctumque prædicto archiepiscopo, ne id fieri interdiceret, cum de veteri ritu ageretur, Sedi Apostolicæ perspecto , et Græcis sacerdotibus etiam Romæ permisso; per quem innuitur fidei ardor, qui maximus erga tantum mysterium debet conflagrare. Simile responsum, die 31 martii anno 1729, jussu Benedicti papæ XIII, datum fuit Cyrillo, Græcorum patriarchæ Antiocheno. Idem ritus Italo-Græcis permittitur in citata constitutione 57, *Etsi pastoralis,* § 6, n. 2, Bullarii nostri tom. 1. Cumque subinde in Congregationibus, quæ pro correctione librorum ecclesiasticorum Ecclesiæ Orientalis habitæ fuerunt, ad accuratiorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque disputatum fuisset, utrum interdicendus esset ritus infundendi in calicem aquam tepidam, post consecrationem, cum potissimum Humbertus, Cardinalis Sylvæ Candidæ , superioribus temporibus plurimum adversus eumdem ritum declamasset, responsum fuit, die 1 maii anno 1746, *nihil esse innovandum;* quod rescriptum a Nobis deinde confirmatum fuit ; rationibus enim a prædicto Cardinali allatis nihil ponderis inesse compertum fuit. Attamen patres concilii coacti in urbe Zamosciæ, anno 1720, graves ob causas inhibuerunt Ruthenis sacerdotibus, ne aquam tepidam post consecrationem in calicem funderent. »

III. — Quid fiat de aqua mixta vino ?

496. *Primo*, Innocentius III, in celeberrima decretali *Cum Marthæ*, tres de hac re sententias refert. Alii sentiunt, aquam nullatenus converti, nec in vinum, neque in sanguinem Christi, sed remanere intactam, licet permixtam. Cum enim, inquiunt, mixtio aquæ non sit ex Christi institutione, sed solum ex præcepto Ecclesiæ, ad aliquam significationem, non pertinet ad materiam, neque ad effectum hujus sacramenti, neque ideo ad consecrationem. Hanc sententiam dixit minus probabilem, quintamen eam damnaverit, Innocentius III. Sed postea sententia opposita adeo communis evasit inter doctores et theologos, ut non effugisset notam temeritatis, qui adhuc primam sententiam tenuisset. « Hæc opinio, ait D. Thomas, stare non potest, quia in sacramento altaris, post consecrationem, nihil est, nisi corpus et sanguis Christi. » Minus consonat SS. Patribus, et aperte opponitur S. Cyprian. *Epist.* 63, S. Ambros. IV, *De Sacramentis* 4, S. Hieron, *in S. Marc.* 14. Concil. Tridentinum definivit, consecratione facta, remanere dumtaxat species panis et vini ; et licet nihil ibi explicite dicat de aqua infusa, manifeste tamen supponit, ipsam non remanere in calice post consecrationem, sed totam liquidi substantiam in calice contentam converti in totam sanguinis substantiam [1].

[1] Hanc sententiam Suarez (in 3, disp. 45, sect. 4, n. 3) et alii impugnant per quasdam rationes et consectaria, quæ mihi videntur parum urgentia. Dicunt enim quód sacerdos, post sumptionem calicis, censetur manere jejunus, ita ut, die Natalis Domini, et quibusdam in aliis adjunctis, possit iterum consecrare eadem die ac communicare. Deinde dedecet miscere aliquid cum sanguine Domini. Tandem sacerdos consecrans dicit simpliciter : *Hic est enim calix*, etc., intendens sub vocabulo *hic* id totum quod in calice est.

Sed lex jejunii est ecclesiastica tantum, ideo Ecclesia potest eam ferre cum aliqua restrictione, sicut fecit certe pro Orientatibus qui aquam ferventem in calicem affundunt ante communionem ; modus enim et circumstantiæ legis non minus pendent ab auctoritate Ecclesiæ, quam ipsa lex. Imo apud Latinos, fieri potest, ut paleæ, pulvis, vel etiam musca per accidens sumatur cum pretiosissimo sanguine, quin tamen solvatur jejunium. Deinde non dedecet miscere aliquid cum sanguine Domini, si hæc mixtio fiat ex auctoritate Ecclesiæ ob altissimam significationem, ut patet ex aquæ ferventis Græcorum mixtione. Tandem sacerdos dicit etiam simpliciter : *Hic est enim calix.* etc., licet forte in ipso sint paleæ, vel pulvis, vel etiam parvula insecta, et alia istiusmodi ; verba enim profert simpliciter circa materiam consecrabilem.

497. *Secundo*, quidam putarunt aquam vino mixtam converti in quemdam humorem aqueum seu phlegma, quod de latere Christi cum sanguine exivit ; nam ratio significationis aquæ mixtæ non est nisi repræsentare hunc humorem, qui licet aqua non fuit, tamen aquæ speciem gessit. Suarez dicit, hanc sententiam fuisse ab Innoc. III, in cap. *In quadam*, damnatam uti absurdam, erroneam, et catholicæ veritati contrariam. De Lugo autem dicit, Pontificem ibi nullam damnasse sententiam, præter eam quæ tenet, non exivisse e latere Christi aquam naturalem. At vero rectius dicitur, Pontificem damnavisse illam sententiam, quatenus damnavit fundamentum quo innititur, definiens, non phlegma, sed veram aquam exivisse e Christi latere. Deinde hæc sententia non potest consistere cum veritate verborum, quæ nihil efficiunt, præter id quod significant ; porro significant conversionem rei contentæ in calice in sanguinem Christi, non autem in phlegma ; ergo, etc. Unde D. Thomas scite, 3 p. q. 74, a. 8, o : « Alii dixerunt quod sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur in aquam quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc aqua seorsum consecratur a vino, sicut vinum a pane. »

498. *Tertio*, communissima igitur ac vera sententia est quod aqua per consecrationem simul cum vino convertitur in sanguinem Christi. Difficultas vero est, utrum aqua prius et ante consecrationem convertatur in vinum, an vero permaneat aqua usque ad consecrationem, in qua immediate convertatur in sanguinem Christi ? Circa hanc quæstionem, in duplex magnum agmen descendunt theologi. Aquam immediate converti in vinum, asserunt D. Thomas (in IV, dist. 11, q. 2, a. 4, q. 1, et 3 p. q. 74, a. 8, o, et ad 2), D. Bonaventura (2 p. dist. 11, a. 1, q. 3), Scotus, Frassen, Gonet, Salmant., Billuart, uno verbo plerique Thomistæ et Scotistæ, cui astipulati sunt Suarez, Vasquez et alii non pauci. Negant autem Salmeronius, Ægidius, Layman, Baronius, De Lugo, Toletus, Tournely, etc. S. Alphonsus (lib. VI, n. 209) dicit, utramque sententiam esse satis probabilem. Prima tamen mihi videtur saltem probabilior, sin probabilissima.

PROPOSITIO

Probabilius est quod aqua vino mixta convertitur in vinum, priusquam in sanguinem convertatur.

499. Prob. 1° *Innocentio III.* In cap. *Cum Marthæ*, dicit : « Verum inter opiniones prædictas (nimirum tres quas supra explanavimus), illa probabilior judicatur quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari. » Et rationem tradit : « Cum in vinum transeat. » Certe non erat scopus Pontificis definire utrum mediate, vel immediate aqua convertatur in sanguinem, sed declarare, saltem ut probabilius, eam converti in sanguinem Christi simpliciter ; unde ratio quam adducit non cadit sub definitionem. Sed nihilominus ex hoc patet quid senserit ille Pontifex, aliunde scientia quam magna potissimus. Sed in IV *De Altaris mysterio* 31, expressius mentem suam aperit : « Aqua transit in sanguinem, ea scilicet ratione quod aqua per admixtionem transit in vinum, et vinum per consecrationem in sanguinem ; quis enim ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum aquæ infundatur ? »

500. Nihil clarius desiderari potest ; unde valde miror quod De Lugo et ipsemet S. Alphonsus dixerint, Pontificem favere opinioni adversæ. Nec faustius vim et sensum illius verborum possunt in illam partem deflectere, dicendo quod hic transitus aquæ in vinum non est physicus, sed moralis, inquantum potus coalescens magna vini quantitate et paucissima aqua nuncupatur simpliciter vinum, ex usu recepto. Sed hæc interpretatio non videtur obvia, et enervat rationem adductam a Pontifice ; nam potest infundi in calicem alius liquor in modica quantitate, v. g. oleum, ita ut potus dicatur simpliciter vinum, ex usu recepto ; ideo oleum mixtum vino atque servans suam naturam mutaretur in sanguinem Christi ; quod admitti non potest. Unde quam rectius mentem Pontificis expendit D. Thomas, 3 p. q. 74, a. 8, o : « Et ideo, sicut ipse (Innocentius III) dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam converti in vinum, et vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua quod converteretur in vinum. [1] »

[1] Quia vero D. Thomæ auctoritas admodum molesta est adversariis, neque audent in suam partem illum detorquere, nonnihil moliuntur, ut saltem du-

501. 2° *Conciliis. Primo*, Florentinum decrevit, modicissimam aquam misceri debere vino ante consecrationem. Porro cur nonnisi modicissima aqua misceri debeat, verisimilis ratio assignari non potest, quin teneatur, aquam converti in vinum. Ergo. Prob. min. Concilium Tiburiense declaraverat, posse tertiam aquæ partem misceri vino; Florentinum vero correxit hanc sententiam, non quod tertia pars corrumpat vinum, adeo ut jam non sit vere ac proprie vinum; nam vinum sic temperatum dicitur simpliciter vinum in usu consueto: neque correxit quia jam non major significaretur majestas sanguinis Christi præ fragilitate populi; hæc enim significatio servatur etiamsi modica vel etiam tertia pars aquæ infundatur. Ergo.

502. *Secundo*, tum Florentinum, tum Tridentinum, post Patres, definierunt, materiam calicis esse vinum de vite, et qui-

biam ejus mentem reddant. Ita potissimum De Lugo, qui, *De Euch.*, disp. 4, sect. 4, n. 68, fatetur Angelicum doctorem, *in IV Sententiarum*, « videri omnino supponere conversionem aquæ in vinum, ut aqua transeat in sanguinem Christi; » et in 3 p., q. 74, contrarium docere contendit, sive quia dici' in Sacrificio offerri vinum aqua permixtum, sive quia ubi movetur quæstio de pane, dicit, modicam permixtionem, v. g. farinæ hordeaceæ, non mutare speciem panis triticei. Sed in primis, D. Thomas, quando mentem suam emendat (quod rarissime contingit), hoc expresse innuit; quod tamen in præsenti neutiquam præstat; ideo si, in *Summa Theologica*, aliqua sunt loca, propter brevitatem, subobscura, intelligenda sunt juxta doctrinam alibi expressius traditam. Deinde D. Thomas dicit, offerri aquam et vinum, quatenus attendit ad ea quæ fuerunt in calicem infusa, abstrahens a secundaria conversione aquæ in vinum, quo sensu Innocentius III dixerit, « aquam cum vino in sanguinem transmutari; » attendit enim ad ea quæ mixta sunt, non autem ad statum in quo versantur, mixtione facta. In hoc sensu dixit S. Ambrosius: « Vinum cum aqua in calice missum fit sanguis consecratione. » Et S. Hieron.: « Format sanguinem ex vino et aqua mixtis. » Ita etiam exponendi sunt cæteri Patres quos in oppositum adducit De Lugo, loc. cit. n. 48. Nec mirum videri debet, quod Patres aquam vinum factam interdum appellent aquam, quum corpus Christi etiam aliquando dicant simpliciter panem, ratione termini *a quo* conversionis. Et quotidie dicimus, panem converti in nostram substantiam, licet debeat prius in aliquid medium converti, quam ut in substantiam carnis convertatur. Tandem similitudo quam instituit inter panem et vinum, omnino claudicat; aqua enim vino miscetur propter mysterium, videlicet conjunctionem fidelium cum Christo, et D Thomas significationem præcise in eo reponit quod aqua in vinum mutatur: « Sed cum aqua in vinum convertitur, significatur quod populus Christo incorporatur (3 p. q. 74, a. 8, ad. 2). » Sed non est simile de farina hordeacea, vel alia extranea substantia pani triticeo permixta.

dem in eodem sensu quod definierunt, aquam naturalem esse materiam Baptismi, et oleum esse materiam Extremæ Unctionis. Porro aquam et oleum sumunt rigorose et stricte, excluduntque omnem aliam materiam permixtam quæ non sit aqua vel oleum. Ergo a pari ubi de vino eucharistico. Porro aqua in calice apposita convertitur in sanguinem Christi. Ergo conversa est prius in vinum.

503. *Tertio*, si aqua immediate converteretur in sanguinem Christi, species aquæ remanerent in calice ; nulla enim immutatio fit per consecrationem circa species, quæ remanent omnino eædem, perinde ac si propria eorum substantia non fuisset conversa. Atqui tamen conc. Tridentinum, sess. 13, can. 2, definivit, remanere duntaxat species panis et vini. Ergo non remanent species aquæ. Ergo dum facta est conversio, amplius non erat substantia aquæ.

504. *Confirmatur*. Fatentibus adversariis, consecratione facta, separari possunt accidentia aquæ ab accidentibus vini, etiam de potentia naturali et per media physica ; et quum separatio aquæ a vino non sit ex se destructiva substantiæ aquæ, ideo accidentia aquæ adhuc permanere debent separata ; et hinc sanguis Christi etiam erit sub accidentibus aquæ. Porro hoc consectarium repugnat doctrinæ Tridentini, naturæ hujus sacramenti et toti traditioni ; sanguis enim Christi non est nisi sub speciebus vini. Aliunde Tridentinum loquitur de conversione totius substantiæ panis in corpus Christi, et totius substantiæ vini in ejus sanguinem, et nullo modo meminit conversionis aquæ in sanguinem Christi.

Ut hujus consectarii aciem contundat, De Lugo dicit, species aquæ statim ac separantur a speciebus vini, « recuperare formam substantialem aquæ » quia, hæc separatio non est mera separatio ex parte aquæ, « sed destructio compositi requisiti ad materiam consecrationis ; » sicut contingere etiam potest pani, ex quo extrahi et separari potest aqua, post consecrationem, sub qua igitur amplius non erit corpus Christi, licet fuerit ante separationem. Sed non est simile de aqua pani mixta, et de aqua vino mixta ad sensum adversariorum ; nam aqua pani mixta fit una et eadem substantia cum pane, vi ignis, ita ut, si aliquæ guttulæ permaneant in pane entitative et substantialiter distinctæ, non transsubstantientur, sicut non transsubstantiaretur guttula

quæ, sive casu, sive consilio apponeretur hostiæ jam assæ igni. Si autem separetur aqua quæ ingreditur panem, jam nec sub pane, neque sub aqua ab invicem separatis erit Christus, quia hæc separatio esset corruptio substantiæ. At vero in sententia adversariorum, non fit hujusmodi corruptio substantialis per separationem aquæ a vino, quum post eorum permixtionem, seu rectius, *juxtapositionem*, utrumque specifice et substantialiter idem permaneat. Si autem teneas, in illo composito utrumque non permanere specifice et substantialiter idem, fatearis igitur, aquam fuisse conversam in vinum. Quare scite advertit Suarez, « antiquorum omnium sensum et quasi indubitatam fuisse sententiam, aquam vel manere in sua substantia, vel converti in vinum; et hoc argumentum in materia sacramentorum est valde efficax. » In 3, disp. 45, sec. 4, n. 8.

505. 3° *Catechismo Romano.* « Illud autem sacerdotibus animadvertendum est, quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse. Nam ecclesiasticorum scriptorum sententia et judicio, aqua illa in vinum convertitur. » 2 p. cap. 4, n. 17.

506. 4° *Ratione. Primo, ex natura compositi mixti.* Non potest naturaliter contingere ut modicissima aqua vino mixta servet suam naturam; nam vinum habet vim et proprietates efficaciores, quæ expellunt accidentia aquæ, et ideo transmutant illius substantiam; ergo. Antecedens patet multifarie : in primis in parte quantumvis exigua vini cui admixta fuit aqua, secundum regulas supra statutas, non potest discerni aqua a vino, etiam ope microscopii quam maxime potentis. Deinde remittuntur vini virtus et proprietates, prout augetur quantitas aquæ; vis autem et proprietatis quantitas deperdita non annihilatur, sed pervadit aquam, ut habeat eamdem vim et proprietates quam reliqua vini massa. Demum si misceatur vino liquor quem vinum nequeat pervadere et transmutare, hic liquor certe non convertetur per consecrationem; v. g. si oleum infundatur in vinum consecrandum, etiam in modica quantitate; vel etiam si ei pulvis permisceatur. Ergo aqua, quia transmutatur per consecrationem, prius facta est vinum.

507. *Secundo, ex consectario.* Ex Ecclesiæ praxi et doctrina apud theologos communissime recepta, oportet consecrationem vini reiterare, saltem sub conditione, si vino æqualis vel major

pars aquæ apposita fuerit. Porro, si aqua remanet id quod est, quin fiat aliqua substantialis transmutatio, a fortiori vinum, quod majori virtute prorsus instruitur quam aqua. Ergo consecratio erit certo valida; nec igitur ratio erit iterandi consecrationem super aliud vinum. Deinde si modica aqua substantialiter et entitative distincta a vino consecratur in sanguinem Christi, quorsum major quantitas ejusdem aquæ simili modo apposita vino non poterit valide in sanguinem quoque converti?

PARAGRAPHUS III

DE QUANTITATE MATERIÆ EUCHARISTIÆ

SECTIO I

DE EXTENSIONE HUJUS QUANTITATIS

508. Duplex sententia. S. Bonaventura, Alensis, Paludanus et alii pauciores dicunt, materiam consecrandam esse determinatam quoad maximum, quod si prætergrediatur sacerdos, jam non valide conficit. Hoc maximum determinatur per usum fidelium, propter quem institutum est Sacramentum. Ergo tanta, et non major, consecrari potest materia, quanta probabiliter sufficit ad usum fidelium quorum gratia consecratur materia. Ideo sacerdos non posset valide consecrare totum vinum in dolio contentum, neque ingentem panem. Præterea, inquiunt, virtus sacerdotis et verborum est finita: porro virtus finita coarctatur inter limites, extra quos nullatenus operari potest. Cæteri theologi fere catervatim cum D. Thoma (3 p. q. 74, a. 2) ultro concedunt, illicitam esse consecrationem nimiæ quantitatis vel tam exiguæ, ut in contemptum Sacramenti vergat, ac ideo sacerdotem qui scienter vel culpabili inadvertentia consecraret in quantitate longe majori vel minori quam par esset usui fidelium, sacrilegium committeret; nam irreverentiam irrogaret venerabili Sacramento, quod aliunde exponeret contemptui, irrisioni et corruptioni. Sed contendunt, consecrationem hujusmodi esse validam. Cum quibus:

PROPOSITIO I

Sacerdos valide consecrare potest materiam, quantæcumque sit magnitudinis, dum illi moraliter præsens sit.

509. Prob. 1° *Natura potestatis consecrativæ.* Ex Scripturis

et Conciliis constat, Christum dedisse sacerdotibus potestatem consecrandi, quin ullum limitem eis præfixerit quoad materiæ quantitatem. Ergo.

Confirmatur. Causa principalis consecrans est virtus divina, quæ prorsus infinita est ; virtus sacerdotis est solum causa instrumentalis, quæ in se utique finita est, sed prout assumitur a principali atque in ipsa operatur, est quadamtenus infinita. Ergo.

510. 2° *Falso supposito sententiæ oppositæ.* Sententia quam impugnamus, videtur supponere, usum esse de essentia hujus sacramenti. Porro supra ostensum est (274 et seq.), hoc sacramentum, etsi ordinatur ad usum tamquam ad posteriorem effectum, esse tamen integrum ante usum. Ergo.

Confirmatur. Alioquin, ut advertit D. Thomas, « sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias. » Is qui jam consecratas hostias sat haberet, non posset valide alias consecrare. Porro illud omnino absonum est ; valor enim Sacramenti nec e præterito, neque e futuro, neque ex alia quavis circumstantia extrinseca pendet, sed a suis principiis intrinsecis, nimirum materia et forma, necnon ab intentione ministri.

511. 3° *Natura usus.* Usus hujus sacramenti est indefinitus ex se; non enim sumi debet in ordine ad tales, vel ad tales homines determinatos, sed determinatur per comparationem ad usum fidelium absolute. Porro numerus fidelium est indeterminatus. Ergo non potest dici quod quantitas materiæ hujus sacramenti sit determinata. 3 p. q. 74, a. 2, o.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

512. *Obj.* 1° Non datur calix indeterminatæ magnitudinis. Porro vini consecrandi quantitas determinatur per magnitudinem calicis; nam dicitur : *Hic est calix*, etc. Ergo.

Resp. 1° *Nego antecedens.* Non datur magnitudo determinata calicis, ita ut confici nequeat alter calix major. Deinde sacerdos plures calices sibi moraliter præsentes posset valide simul consecrare.

2° *Disting. causalem.* Locutio *Hic est calix*, etc., est figurata, *concedo;* est propria, *nego.* Ista locutio huic æquivalet : *Hic est*

enim sanguis meus, etc., ut patet ex Evangeliis et ex usu recepto. Unde si vinum esset diffusum, nihilominus valide consecraretur.

513. *Obj.* 2° « Ministris Ecclesiæ non est a Christo data potestas ad ea quæ pertinent ad irrisionem fidei et sacramentorum ejus, secundum illud II *Cor.* 10, 8 : *De potestate nostra quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram*. Sed hoc esset ad irrisionem Sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem qui venditur in foro, et totum vinum quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest. »

Resp. dist. maj. Per se, *concedo ;* per accidens, *nego*. Omnia enim dona quæ Deus concessit hominibus, propter bonum finem concessa sunt, ad quem directe per se tendunt ; sed per accidens, scilicet ex hominis abusu et prava intentione, possunt deflecti in rem malam. « Potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo ordinatur : primo quidem ad effectum proprium ; secundo ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Unde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter malum finem, puta ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit Sacramentum. » 3 p. q. 74, a. 2, ad 2.

514. *Obj.* 3° « Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam Baptismi ; sed solum aqua illa qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis et vini consecrari potest. »

Resp. nego conseq. et parit. « Baptismi sacramentum perficitur in usu materiæ, et ideo per formam Baptismi non plus de aqua sanctificatur quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, et ideo non est simile. » 3 p. q. 74, a. 2, ad 3.

PROPOSITIO II

Quævis pars panis et vini, dummodo sensibilis sit, potest valide consecrari.

515. Prob. 1° *Natura materiæ Sacramenti*. Eucharistiæ materia remota est panis triticeus ac vinum de vite. Porro pars exigua est nihilominus panis et vinum de vite. Ergo.

516. 2° *Modo præsentiæ realis.* Corpus Christi sub speciebus panis, et sanguis ejus sub specie vini gerunt vices substantiæ panis et vini, atque ideo ibi esse possunt ubi essent substantiæ illæ. Porro tota panis et vini substantiæ ratio est in exigua parte. Ergo.

517. *Nota.* Dixi *dummodo sensibilis sit;* si enim extra naturalem ambitum visus humani sani et acuti in sua specie versaretur, communiter tenent theologi, hujusmodi partem non posse valide consecrari; tum quia non esset signum sensile, tum quia non posset in omni veritate illi forma applicari; siquidem pronomina *hoc* et *hic* significant aliquid quod ostenditur, quod idcirco sub sensus cadit.

518. *Dices :* Quæcumque minima pars aquæ sensibilis non sufficit ad Baptismum. Ergo a pari nec ad Eucharistiam.

Resp. nego conseq. et parit. Materia Baptismi est quidem aqua, sed aqua inquantum abluens; Eucharistiæ autem materia est panis et vinum inquantum Christum continent. Porro aqua abluere non potest in parvissima guttula, dum panis et vinum, etiam in parvissima quantitate, continere valent corpus et sanguinem Christi, sicut suam propriam substantiam continent.

Inst. 1° Eucharistiæ sacramentum fuit institutum per modum cibi. Porro ad rationem cibi non sufficit parvissima quantitas sensibilis. Ergo.

Resp. Dist. maj. Per modum cibi spiritualis, *concedo;* materialis, *nego.* Porro cibus spiritualis non requirit magnam quantitatem ex parte signi, ut animam reficiat, quia tantum est sub fragmento, quantum toto tegitur.

Inst. 2° Cibus spiritualis animæ, in hoc sacramento, fit mediante sumptione corporali. Porro ut cibus sit corporaliter sumptibilis, certam requirit quantitatem. Ergo et sacramentum Eucharistiæ.

Resp. Dist. maj. Ad usum et finem Sacramenti, requiritur ut materia sit corporaliter sumptibilis, *concedo;* ut sit Sacramentum, *nego.* Usus enim est finis Sacramenti; sed est illi extrinsecus, atque non pertinet ad illius essentiam. Deinde illa pars sensibilis, quamtumvis parva, est sumptibilis, sin per se solam, saltem si apponatur alteri materiæ cum qua fiat facile sumptibilis, quemadmodum si aliqua pars panis apponeretur certæ

quantitati vini, aut si guttula vini consecrati apponatur in liquido paulo densiori, vel in oleo.

SECTIO II

DE FORMA QUANTITATIS

519. I. Apud Latinos. Constat ex S. Greg. Magno, panem eucharisticum [1] olim habuisse formam coronæ ; inde in libris liturgicis dicebatur simpliciter *circulus*, vel etiam *rotula panis*. Paulo major erat quam hodie, nam illius mensura erat trium digitorum a centro in circulum. Sed hostiæ quæ pro fidelibus consecrabantur, erant longe minores. Sæculo XII, forma panis eucharistici evasit longe minor, nam Ernulfus, Roffensis episcopus, in epist. ad Lambertum, formam nummi duntaxat assignat. Et Honorius, I *De Gemma animæ*, 35 : « Ideo imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia in denario imago et nomen Imperatoris scribitur. » Unde illi duo versus de pane consecrando leguntur in antiquo missali Molismensi :

« Candida, triticea, tenuis, non magna, rotunda,
Expers fermenti, non falsa sit hostia Christi. »

520. Hæc imago exhibet Christum communiter aut in Cruce pendentem, aut ex mortuis resurgentem. Quod aliunde in nostra diœcesi præscribitur pro magnis hostiis, et valde suadetur pro parvulis : « On ne fera faire les hosties que par des personnes de confiance, et, autant qu'il sera possible, par des prêtres, des religieux ou des religieuses, pour être bien sûr qu'on n'y emploie que de la farine du plus pur froment [2]. Les grandes doivent porter l'empreinte d'un crucifix ou d'une résurrection ; il est à désirer qu'il y ait aussi un crucifix ou une autre image pieuse sur les petites. Les hosties destinées pour la communion doivent être rondes, du diamètre de 12 ou 14 lignes, et bien coupées de manière qu'il y ait moins de fragments. On ne doit pas les diviser en deux, hors les cas d'une grande nécessité. Le prêtre doit aussi consumer lui-même la grande hostie qui a été

[1] Nihil dicendum est de forma vini, quod, utpote liquidum, non aliam formam habet quam interiora calicis in quo refunditur.

[2] « Vicarius foraneus curet, ut cura conficiendi hostias clericalis ordinis homini committatur. » *Act. eccl. Med.* Syn. XI.

conservée dans l'ostensoir, et ne pas la diviser pour la donner aux fidèles [1]. » *Constit. synod.*, art. 390.

521. Hinc communiter theologi tenent, non licere parvam hostiam adhibere pro Sacrificio, nisi major deficiat. Si vero tunc Missa celebretur publice, monendus est populus, ut præcaveatur scandalum. Neque etiam potest sacerdos, absque mortali peccato, consecrare hostiam enormiter fractam vel maculatam. Secluso autem scandalo, est tantum veniale sine rationabili causa consecrare hostiam fractam vel maculatam leviter. Si fractura deprehendatur post oblationem, licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur. Vide S. Alphonsum, lib. VI, n. 204 et 205.

522. II. Apud Græcos. Græci cum panem ad sacrificandum conficiunt, ut plurimum non rotundant, sed in quatuor ramos, ad modum crucis, extendunt varie; deinde, modo inter ramos, modo in medio crucis et quatuor extremitatibus ramorum imprimunt litteras Græcas JC. XC. NJ KA, id est, *Jesus Christus vincit*. Aliquando etiam panem conficiunt in figura circulari. Figura circularis significat divinitatem, quam sacer panis ac vinum obtinent cum transsubstantiata fuere; quadrangula vero, salutem, quam mundus quatuor partibus constans, ea vivifica Domini nostri passione consecutus est, ostendit.

Apud Chaldæos et Nestorianos, habetur ratio dignitatis illius qui offert; aliud enim est signaculum presbyteri, episcopi et patriarchæ: panis qui pro presbytero conficitur, non tot distinguitur laterculis et crucibus, quot in episcoporum et patriarcharum sigilli exhibentur. Interdum etiam cum signo crucis imprimebantur litteræ alpha et omega. Vide Martene, I *De antiq. Eccl. ritibus*, cap. 3, a. 7, n. 26 et seq.

[1] « Ne hostiæ magnæ, sive consecratæ, sive non consecratæ, ad usum communionis populi frangantur, nisi ob urgentem necessitatem, sed orbiculatæ parentur..... Quod si hostia consecrata ulterius asservanda non erit. sacerdos ipse eam sumat in missa, nec eam populo sumendam tradat. » *Act. eccl. Mediol.* Syn. XI.

PARAGRAPHUS IV

DE MODO QUO MATERIA DEBEAT ESSE

SECTIO I

QUOMODO DEBEAT ESSE PRÆSENS CONSECRANTI

PROPOSITIO

Ad validam consecrationem, necesse est, ut materia sit moraliter ac sensibiliter præsens sacerdoti.

523. Prob. 1° *Verbis consecrationis.* Pronomina *hoc* et *hic* designant rem aliquo modo sensibus præsentem. Porro verba formæ non operantur, nisi id quod significant. Ergo necesse est, ut materia consecranda sit præsens sensibiliter ac moraliter sacerdoti verba proferenti; alioqui veritas et significatio deficeret. Nec satis est, ut res sit præsens imaginationi vel intellectui, quia sacramenta sunt signa sensibilia, et ideo necesse est, ut sint moraliter præsentia sensibus externis.

Confirmatur. Pronomen *hoc* simpliciter et substantialiter sumptum propinquiorem, ex vi suæ significationis, requirit existentiam ac præsentiam objecti, quam quum alteri adjungitur; quando enim adjective apponitur alicui substantivo, ejus significatio determinatur per hoc substantivum; uti si jam locutus sim de Nerone, atque dicam: *Hic homo fuit vaferrimus.* Sed quando pronomen adhibetur substantive, non potest habere determinatam significationem, nisi significet rem præsentem quæ ostendatur. Ideo improprie adhibetur pronomen *hoc*, ut significetur res non præsens, sed rectius adhibentur pronomina *illud*, *id*. Porro ubi agitur de forma sacramenti Eucharistiæ, pronomina *hoc* et *hic* in omni rigore et proprietate sumenda sunt, ita ut res præsens ab astantibus aliquatenus percipiatur sola prolatione formæ, quin sit opus adhibere nutum vel quodvis signum. Ergo.

524. 2° *Natura oblationis.* Eucharistiæ sacramentum confici non potest licite, nisi per oblationem Sacrificii. Porro Sacrificium necessario postulat, ut victima sit moraliter ac sensibiliter præsens sacrificanti; alias enim quonam pacto valeret illam mactare. Ergo.

525. 3° *Absurdis.* Si non requireretur præsentia moralis ac

sensibilis, sacerdos posset consecrare omnes panes alicujus ditionis, imo et omnis orbis. Porro hoc est valde inconveniens et maxima importat incommoda. Ergo [1].

COROLLARIA

526. Hinc 1° Sacerdos non potest consecrare materiam post tergum positam, etiamsi reluceret in aliquo speculo coram sacerdote posito ; tunc enim pronomen *hoc* innueret imaginem materiæ ; sed imago non est materia consecrabilis.

527. 2° Invalide consecraretur materia in tabernaculo inclusa, quia, ex usu recepto, sacerdos non potest, per solam prolationem pronominis ante altare factam, rigorose innuere quod ita includitur. Sed valide consecrarentur vinum in calice palla cooperto et hostiæ in ciborio inclusæ, dummodo calix et ciborium supra corporale sint reposita; nam sunt moraliter præsentia et satis per verba significantur. Quocirca corripienda est praxis sacerdotum qui os ita admovent, ut halitum in calicem et panem inspirent; hoc enim Sacramenti majestatem dedecet, et incommoda importat, scilicet hostiæ madefactionem, calicis infuscationem, etc.

528. 3° Si ex acervo hostiarum super corporale posito, aliquæ irrepsissent in missale, vel sub corporale, existimo, has

[1] « In hoc sacramento, quia non natura, sed Dei potentia operatur, non est limitata ad aliquam certam materiæ quantitatem, sed unico solo verbo et actu potest consecrari totus panis triticeus de mundo, et totum vinum, dummodo sacerdos illa præsentialiter et visibiliter ante faciem suam haberet, ita quod posset vere tanquam præsentia demonstrare. Verum est tamen quod aliqui doctores summi et maximi scripserunt et docuerunt quod si sacerdos intendens consecrare, iret per omnes plateas ubi panis venditur, et per omnia cellaria ubi vina venduntur, et proferret verba consecrationis super panem et super vinum, etiamsi in hoc nulla esset necessitas vel utilitas, sed solum hoc faceret in ludibrium et in opprobrium Jesu Christi, nihilominus totum vere esset consecratum, eo quod ibi concurrunt quatuor necessaria in quolibet sacramento : scilicet debitus minister, debita materia, debita forma verborum, et intentio consecrantis. Alii autem dicunt quod in tali casu talis sacerdos minime consecraret, quia non solum in sacramentis requiritur vel est necessaria intentio ministrantis, ut scilicet intendat facere quod Ecclesia intendit vel facit, sed etiam intentio sacramentum instituentis, id est, Christi qui non intendit quod ad talem usum tanto talique ludibrio celebretur aut conficiatur tam nobile sacramentum. » D. Thom. Opusc. 52, alias 49, *De Sacramento Eucharistiæ*, cap. 5.

hostias non significari per verba quibus consecrantur aliæ hostiæ, hæc enim non sunt ex natura sua et usu recepto apta ad hostias continendas, sed potius sunt opertoria apta ad illas a præsentia morali coercendas; quippe non sunt opertoria more operculi ciborii, quod supponit vas continens, sed potius se habent ad modum teguminum ad res celandas natorum. Attamen aliqui theologi notæ præclarioris oppositum tenent; ideo, quum in re sacramentaria pars tutior est semper eligenda, sacerdos deberet has hostias consumere ipse post pretiosissimi sanguinis sumptionem, imo post calicis ablutionem, juxta S. Alphonsum, lib. VI, n. 217, quia reliquiæ sanguinis sunt certe sacramentum, hostiæ autem nonnisi dubie sunt sacramentum.

529. 4° Valide consecrat cæcus sacerdos, vel in tenebris celebrans, quia per accidens tantum materia non cadit sub sensus, et rigorose habetur ab omnibus tanquam moraliter et sensibiliter præsens [1].

[1] Theologi solent insuper quærere quænam distantia inter sacerdotem et materiam esse debeat, ut jam non sit præsentia moralis et sensibilis? In primis hæc distantia est varia pro magnitudine materiæ; nam per idem pronomen possent innui quercus et mons, licet valde remoti, et non sufficienter indicarentur festuca et granum sinapis in illo monte constituta. Deinde nulla regula et formula absoluta huc usque habita est, et forsan nunquam habenda est: alii enim dicunt, materiam distantem per centum passus non consecrari, per decem consecrari, et per quinquaginta esse dubium. Sed, ut dicunt Suarez et De Lugo, in hoc non potest tuta ac certa dari regula, quam communis existimatio prudentum et communis usus loquendi. Unde magna diligentia procedere debet sacerdos, ut nullus relinquatur ambigendi locus circa proprietatem et veritatem formæ.

Inquirunt etiam an satis sit quod materia præsens sit quoad aliquam partem sui, non vero quoad totum? Uti videre est, hic casus non magis practicus est, quam præcedens. Unde dico simpliciter, unius partis præsentiam non semper reddere præsentem totam rem, ita ut illi toti applicari possit in omni veritate pronomen *hoc;* v. g. qui stans in littore americano diceret innuendo Oceanum: *Hæc est aqua*, non significaret eo ipso aquam quæ est in littore Sinensium. Licet enim in se illud corpus sit continuum, tamen in ordine ad humanam præsentiam nihil refert: sane Deus posset in littore Sinensium apponere vinum loco aquæ, et nihilominus vera esset formula in americano littore prolata: *Hæc est aqua*.

SECTIO II

QUÆNAM ESSE DEBEAT INTENTIO SACERDOTIS CONSECRANTIS AD MATERIAM DETERMINANDAM

PROPOSITIO

Ad validam consecrationem, necesse est, ut materia definiatur seu determinetur in particulari per intentionem consecrantis.

530. Prob. 1° *Verbis formæ.* De ratione formæ est, ut pronomina *hoc* et *hic* vere et proprie materiam indicent, alias non salvaretur proprietas et significatio verborum. Porro illam non indicant, nisi ad illam dirigantur per intentionem consecrantis; licet enim aliquis panem vel poculum in manibus haberet, si tamen haberet coram se gladium, vel etiam alium panem de quo loqueretur, non significaret panem quem in manibus habet, eo quod dicit: *Hic est enim*, etc. Ergo.

531. 2° *Natura intentionis requisitæ.* In sacramentis conficiendis requiritur intentio saltem virtualis, quæ igitur est practica et operativa. Porro id quod est practicum et operativum, necessario versatur circa aliquid particulare et determinatum; genera enim et species, et cætera universalia non sunt in natura rerum, nisi per individua. Ergo.

COROLLARIA

532. Hinc. 1° Invalide consecraret qui intenderet aliquas tantum hostias consecrare, non determinans eas, neque ratione situs, neque ratione ordinis, sed intendens simpliciter unam vel alteram ex iis quæ sunt in pixide consecrare. Si autem intenderet consecrare supremam cumuli, vel quintam seriei, valide consecraret, sed illicite. Si autem ex inadvertentia contingat, ut hostiæ consecratæ misceantur non consecratis, oportet totum cumulum consecrare sub conditione tacita; expressam enim non patiuntur verba consecrationis. Ita communissime theologi.

533. 2° Si sacerdos intendat consecrare omnem materiam quæ coram se est, et non restrictionem ponat, valide eam totam consecrat, licet falso supputasset numerum hostiarum. Hæc enim supputatio est quid penitus distinctum, et, ex se, independens ab intentione.

Illa duo corollaria aperte fulcit Rubrica *de defectu intentionis:* « Si quis habeat coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit.... non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat : nam tunc omnes erunt consecratæ : atque ideo quilibet sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes quas ante se ad consecrandum positas habet. »

« Si sacerdos putans, se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione simul sumat utramque. »

534. 3° Non consecraretur hostia, quam, inscio sacerdote, sacrista vel minister etiam supra corporale reponeret. Item pixis hostiis referta, quæ absque præmonitione super corporale poneretur, quin ullatenus sacerdos celebrans eam, ob cæcitatem vel ingentem visus debilitatem, non adverteret, non consecraretur. Intentio enim præsupponit cognitionem, quia *nihil volitum quin præcognitum*. Idem a fortiori dicendum est de guttulis vini quæ forte extrinsecus calici adhærent; illas enim sacerdos non potest licite consecrare; unde certe non habet intentionem consecrandi illas. De guttulis autem quæ intrinsecus lateribus calicis inhærent sejunctæ a massa, dubitatur : alii dicunt, eas non consecrari, quia non sunt per modum continui ; unde sicut sacerdos non intendit consecrare particulas panis quæ separantur ab hostiis, sic non censetur habere intentionem consecrandi guttulas discretas. Attamen aliqui putant, illas guttulas esse consecratas, nisi celebrans eas a sua intentione excluserit, quia ex se sunt materia valida; quæ significatur verbis formæ sicut et reliqua vini massa. Et aliunde esset inconveniens, si non consecrarentur illæ guttulæ, nam non potest sumi pretiosissimus sanguis, quin sumantur etiam dictæ guttulæ, et ita frangeretur jejunium. Ideo, ut non sit dubitandi locus, celebrans vel diaconus debet sedulo illas guttulas abstergere. « Porro, inquit Billuart, ad tollendos varios scrupulos et anxietates in his et aliis frequentibus casibus, consultum est, ut sacerdos ante missam, vel in ipsa, vel saltem pro semper semel formet intentionem consecrandi omnem materiam præsentem licite et decenter consecrabilem, non aliam. »

535. 4° Quid vero dicendum est de ciborio seu pixide quam minister vel celebrans ipse super altare reposuit cum intentione illam consecrandi, si remanserit extra corporale, vel extra ipsum amota fuerit, nec id advertat celebrans ante consecrationem? Suarez, Lessius, La Croix, Billuart et alii dicunt non consecrari pixidem, quia graviter illicitum est consecrare aliquid extra corporale positum. Porro celebrans non præsumitur habere intentionem graviter illicitam. Ergo. Hanc sententiam S. Alphonsus habet ut probabiliorem, et Bouvier, ut probabilissimam. Alii tamen pauciores dicunt, consecrationem non esse invalidam, defectu intentionis; unde si pixis sit moraliter ac sensibiliter præsens, puta si tangat vel fere tangat corporale, valide consecratur. Et hæc sententia mihi videtur probabilior, imo probabilissima. Intentio consecrandi pixidem est virtualis et absoluta; nam supponitur, nullam fuisse appositam conditionem, alias enim non esset difficultas; intentio autem virtualis non tollitur per conditionalem mere interpretativam. Nec obest quod consecratio hujusmodi sit illicita, quia liceitas rei toto cœlo distat ab illius validitate; ideo si celebrans intentionem elicuerit absolute, nihil cogitans de conditione apponenda, ut fit in casu de quo agitur, valida est consecratio. Si enim satis esset interpretari et præsumere conditionem, neque esset necesse ut de facto poneretur per actum voluntatis, quotnam actus et contractus, qui ut rati et validi habentur, fierent soluti ac invalidi? v. g. pientissimus vir catholicus matrimonium init cum hæretica, vel tempore prohibito, sed inculpabiliter ignorat impedimentum prohibens, contractus eritne invalidus? Si novisset impedimentum, certe aut non contraxisset, aut dispensationem super illud petiisset: et tamen hæc interpretativa conditio non irritat matrimonium contractum. Aliunde, si sacerdos, dum actu consecrat, videat pixidem et intendat illam consecrare, non advertens tamen illam sisti extra corporale, nonne erit valida consecratio? et tamen nonne etiam tunc præsumitur conditio interpretativa? Si autem conditio interpretativa non tollit intentionem actualem, quomodo poterit tollere intentionem virtualem? In hisce et similibus adjunctis, non ponderandum est quid voluisset et intendisset homo, si advertisset, sed quid de facto voluit et intendit. In praxi autem, cum in re sacramentaria pars tutior est eligenda semper, atque prima sententia non careat probabilitate,

saltem propter auctoritatem theologorum optimæ notæ qui illam tuentur, pixis est denuo consecranda. Ita docet Benedict. XIV, III *De sacrif. missæ*, cap. 18, n. 6. « Tournely dicit, tutius illas particulas esse in praxi sumendas post sanguinem; et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem; quia reliquiæ sanguinis sunt certe sacramentum; sed hostiæ illæ in ciborio sunt dubiæ. Censent autem Tournely et Croix, posse eas etiam consecrari in alia missa sub conditione; sed hoc mihi non placet, quia non videtur adesse justa causa illas consecrandi sub conditione, cum jam sumi possunt. » S. Alphonsus, lib. VI, n. 217.

ARTICULUS II

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Sicut duplex est materia Eucharistiæ, ita duplex est forma. Expendemus primum ea quæ sunt utrique formæ communia, dein de utraque seorsim agemus.

PARAGRAPHUS I

DE FORMA EUCHARISTIÆ IN COMMUNI

Quæremus 1° quibusnam verbis Christus consecraverit, 2° utrum sola verba quibus consecraverit, sint forma hujus sacramenti, 3° quomodo sacerdos verba formæ proferat, et 4° quænam sit vis et significatio illorum verborum?

SECTIO I

QUIBUSNAM VERBIS CHRISTUS CONSECRAVERIT?

536. Triplex sententia. *Primo*, Durandus, IV *Rationalis*, cap. 44, n. 15, Catharinus, opusc. de hac re edito, dum conc. Tridentino interesset, et alii quos citat Suarez, In 3, disp. 58, sect. 1, n. 1, dicunt, Christum, quia habebat potestatem excellentiæ in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecisse, et deinde protulisse verba sub quibus alii postmodum consecrarent. Et huic sententiæ favere videtur Innoc. III, lib. IV *De sacro altaris mysterio*, cap. 6: « Sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. » Sed in primis Innoc. III hoc opus confecit et edidit antequam fuerit Summus Pontifex: deinde

D. Thomas dicit, hæc verba Innocentii fuisse opinative magis dicta, quam determinative [1]. *Secundo*, alii dicunt, Christum quidem consecrasse verbis aliquibus, sed nobis jam ignotis. *Tertio*, alii denique dicunt, Christum consecrasse iisdem verbis quibus consecrant sacerdotes, sed bis prolatis, primum quidem secrete ad consecrandum, dein manifeste ad instruendum.

Quia vero Evangelistæ referunt, Christum in consecratione adhibuisse benedictionem et gratiarum actionem, hinc etiam inquirunt theologi an benedictio illa et gratiarum actio fuerit consecratio? Circa quod variæ prodierunt sententiæ, quas exponere tempus non vacat : ideo germanam doctrinam sequentibus implicamus propositionibus.

PROPOSITIO I

Christus consecravit proferendo semel verba : Hoc est enim corpus meum ; Hic est enim calix, etc.

537. Prob. 1° *Patribus*. Tertull., IV *Contra Marcionem* 4 : « Acceptum panem corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo. »

S. Cyprian. *Serm. De cœna Dom.* : « Ante verba illa, cibus communis erat, sed ex quo a Domino dictum est : *Hoc est corpus meum*, etc. Ita S. Ambros., IV *De Sacram.* 4 et 5, et alii Patres. Omnium vero Patrum aptissime et elegantissime S. Chrysost., *Hom.* 2 *De proditione Judæ*, et *hom.* 2 *in* II *Timot.*, et *hom.* 83 in *Matth.*, etc. ; quibus in locis dicit, sacerdotes nunc iisdem verbis conficere, quibus Christus, proferendo illa in persona illius, factoque suo factum illius repræsentando ; quare, ut imago respondeat prototypo, necesse est dicere, Christum ita consecrasse, sicut nunc repræsentatur, et in Canone Missæ refertur.

538. 2° *Conciliis*. Florentinum, in *Decreto* : « Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum ; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. »

Trident. sess. 13, cap. 1 : « Christus in Cœna hoc sacramentum instituit, cum post panis vinique benedictionem, se suum corpus illis præbere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis

[1] Sane doctrinam oppositam docet ille clarissimus Pontifex in cap. *Cum Marthæ, De celebratione missarum.*

verbis testatus est. » Si ergo tunc instituit, tunc etiam consecravit, quia non aliter instituit quam efficiendo consecrationem ritu et verbis quibus nos postea uti voluit, sicut illis verbis declaravit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod indicavit Concilium, cap. 3 et 4, sentiens, illorum verborum prolationem fuisse panis et vini consecrationem.

539. 3° *Liturgia.* In Canone Missæ, Ecclesia ponit in ore sacerdotis hæc verba : « Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et, elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite et manducate : *Hoc est enim corpus meum*, etc. » Hac narratione plane significat Ecclesia, Christum illis verbis prædicto modo prolatis consecrasse ; sacerdos enim factum Christi simul refert, repræsentat, imitaturque.

540. 4° *Ratione. Primo, ex dignitate Sacramenti.* Eucharistiæ sacramentum est omnium maximum ac divinissimum, et conficitur per oblationem Sacrificii, cujus figura fuit Melchisedech. Porro valde decuit, ut Christus in hoc exemplar esset et norma omnium sacerdotum, ac ideo ut primus sanctissimum Sacrificium offerret eo modo quo in Ecclesia offerendum erat.

Secundo, ex ritu liturgico. Sacrificium missæ sacerdos offert in persona Christi, adeo quod, dum pervenitur ad consecrationem, persona sacerdotis quadamtenus evanescat, et solus Christus veluti appareat ; sacerdos enim non tantum recitative, sed practice dicit : *Hoc est corpus meum*, etc. : porro valde congruit ut Christus primus observaverit solemnissimum ritum, in quo etiam postea ipse semper apparet agens, sanctificans atque transsubstantians panem et vinum.

PROPOSITIO II

Primam Christus impertivit benedictionem, quæ fuit distincta a consecratione panis et vini.

541. Prob. 1° *Concilio Trid.* Sess. 13, cap. 1, supra citato, 538.

2° *Liturgia.* Ex omnibus liturgiis luculenter patet, aliquam benedictionem cæremonialem præmitti consecrationi. Porro liturgia est prorsus repræsentatio eorum quæ fecit ipse Christus. Ergo.

542. 3° *Ratione. Primo, ex agendi ratione Christi.* Christus assolebat animos Apostolorum præparare ad sancta mysteria, aut orationes fundendo, aut benedictionem impertiendo; sic egit *Joan.* 6, et *Matth.* 15, multiplicaturus panes, et *Joan.* 11, Lazarum e sepulcro suscitaturus. Porro id verisimilius est, ubi agitur de confectione et institutione tanti mysterii. Ergo.

Secundo, ex narratione institutionis. Hæc interpretatio consentanea est narrationi Evangelistarum, et propriæ significationi verbi *benedictio*; et facillime ac sine figura explicat contextum; et nullum habet incommodum, neque ullam difficultatem. Ergo retinenda est. Suarez, In 3, disp. 48, sect. 2, n. 7.

543. *Nota.* Christus una et eadem actione physica simul gratias egit Patri suo, et benedixit materiam consecrandam: sed hæc actio virtualiter duabus æquivalens fuit. Uno enim orationis contextu, simul gratiæ Deo agi possunt, et bonum aliquod creaturæ efflagitari, sicut patet *Genes.* 24, ubi Melchisedech Abrahæ benedixit ac simul gratias egit: et, *Joan.* 11, unico verbo hæc duo copulavit Christus dicens: *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me.* In institutione autem Eucharistiæ, benedictionem et gratiarum actionem una et eadem actione physica Christum persolvisse, patet ex Canone Missæ; dicitur enim: *Gratias agens, benedixit.* Atque hanc actionem æquivalere duabus, patet evidenter, quia gratiarum actionem, secundum propriam rationem, ad Patrem, benedictionem vero ad panem retulit.

COROLLARIA

544. Hinc. 1° Collucet quare interdum Patres consecrationem dicant promiscue benedictionem vel gratiarum actionem; tunc enim sacramentalis actio a circumstantiis nomen suum accipit; quippe tota illa præcedens invocatio ordinatur ad sanctificationem panis et vini, et suo modo est etiam benedictio efficax et operativa.

545. 2° Turpiter errant Protestantes, qui, ut veritatem præsentiæ realis inficientur, asserunt, benedictionem quam Christus in ultima cœna impertivit pani et vino, esse communem benedictionem, quæ ad usualem cœnam et cibos communes adhiberi solet. In hoc enim incutiunt vim verbis Evangeliorum, et contra Patrum totius Ecclesiæ, tum Occidentalis, tum Orientalis, interpretationem sentiunt. Ideo enim fit specialis mentio hujus bene-

dictionis et gratiarum actionis, quia res fuit ipsa singularis et singulari ritu peracta, nempe sigillatim circa panem et vinum, quæ Christus accepit in manus suas elevando oculos in cœlum ad Deum Patrem suum omnipotentem. Porro benedictio vulgaris fit ante cœnam, et circa totam mensam, et ritu simplici ; dum benedictio de qua agitur, facta fuit per cœnam, et post cœnam, circa panem et vinum tantum, solemni ritu magnoque verborum et actionum apparatu.

SECTIO II

UTRUM SOLA VERBA QUIBUS CONSECRAVIT, SINT FORMA EUCHARISTIÆ.

546. Errores. *Primo*, Ophitæ, ad Eucharistiam conficiendam, non verbis Domini, sed incantationibus utebantur, sicut videre est apud S. Augustinum, *Hæres.* 17.

Secundo, Valdenses, septies recitata oratione Dominica, et quibusdam aliis orationibus, panem et vinum benedicebant. Anabaptistæ solebant solis verbis consecrare : *Accipe*, *ede*, *memento Domini*.

Tertio, Protestantes, ad Eucharistiam conficiendam, aut nulla proferunt verba, aut, si proferant, nullam his verbis adscribunt vim, nisi fidem excitare, ut fit in sacramentis. Unde aliqui cœnam conficiunt legendo sextum caput Evangelii secundum Joannem, vel undecimum caput I *Cor.* In quo antesignanos habuerunt antiquos hæreticos, quorum deliramenta refert S. Iræneus, I *Adversus hæres.* 9, et S. Epiphanius, *Hæresi* 34.

Quarto, alii tandem prædicant, non sufficere verba quibus Christus ipse consecravit, sed addenda esse quædam alia, scilicet orationes Ecclesiæ. Ita potissimum quidam Græci, scilicet Marcus Ephesinus, *De verbis consecrationis*, et Jeremias, patriarcha Constantin. in *Censura doctrinæ Lutheranæ*, cap. 10. Innituntur dicendi modo antiquorum Patrum, qui docent, consecrationem effici invocatione Spiritus Sancti et oratione. Unde in liturgia S. Jacobi, sacerdos Deum precatur, ut mittat « Spiritum Sanctum super dona sancta proposita, ut superveniens sancta et gloriosa sua præsentia sanctificet, et efficiat hunc panem corpus sanctum Christi. » Quæ verba, inquiunt, manifeste ostendunt, non adhuc factam esse transsubstantiationem post prolationem verborum Domini. Ratio est, quia sacerdotes, utpote ministri tantum, indigent oratione, qua nullatenus indiguit Christus,

utpote Deus, qui idcirco conversionem perfecit statim ac dixerit: *Hoc est enim corpus meum.*

PROPOSITIO I

Forma Eucharistiæ sunt verba sacerdotis determinata et præscripta.

547. Prob. 1° *SS. Patribus.* S. Iræneus, V *Adversus hæres.* 2: « Quando mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis et sanguinis Christi. » — Origenes, In 15 *Matth.*: « Non materia panis, sed super illum dictus sermo est qui prodest. » — S. Hieron. Epist. 1 *Ad Heliod.* « Sacerdotes proprio ore corpus Domini conficiunt. » — S. August., II *Contra Faustum:* « Panis noster et calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis; proinde quod non ita fit, quamvis sit panis et calix, non sacramentum est religionis, sed alimentum refectionis, nisi quod benedicimus et gratias agimus Domino in omni munere suo. » Et hoc sensu sæpe dicunt Patres, hoc sacramentum confici verbis cœlestibus, verbis Dei, verbis Christi.

548. 2° *Conciliis.* Florentinum, in *Decreto:* « Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur. » Trident. sess. 13, cap. 1, docet hoc sacramentum perfici per verba quæ commemorata sunt ab Evangelistis, et a D. Paulo postea repetita. Et in cap. 3 docet, corpus Christi esse sub specie panis, et sanguinem sub specie vini, *ex vi verborum.*

549. 3° *Praxi Ecclesiæ.* Sive in Occidentis, sive in Orientis ecclesiis omnibus, semper consecratio panis et vini fuit facta per determinata ac præscripta verba, uti videre est libris liturgicis, agendi ratione omnium sacerdotum, et fide ministrorum fideliumque. Ergo.

550. 4° *Ratione.* Ostensum est in tractatu de Sacramentis (97 et seq.), formam omnium sacramentorum novæ Legis consistere in quibusdam determinatis ac præscriptis verbis. Porro Eucharistia est sacramentum novæ Legis. Ergo. Confirmatur, quia Christus in Eucharistia fit præsens per verba; unde si illa verba

non essent determinata ac præscripta, fere semper esset ambigendi locus circa illius præsentiam.

PROPOSITIO II

Consecratio fit solis verbis quibus Christus ipse consecravit.

551. Prob. 1° *Scriptura.* Christus, facta consecratione, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ideo sacerdotes, dum consecrant, eumdem ritum, quoad substantiam, observant quem Christus ipse adhibuit. Porro verba consecratoria sunt prorsus de substantia ritus. Ergo. Deinde quando sacerdos in persona Christi dicit: *Hoc est enim corpus meum: Hic est enim calix*, etc., dicit verum. Ergo per vim horumce verborum fit transsubstantiatio, independenter ab Ecclesiæ precibus; verba enim illa producunt id quod significant.

552. 2° *SS. Patribus.* S. Ambros., IV *De Sacram.* 4: « Quomodo potest quod panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur cujus verbis est et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua quæ dicuntur, laus Deo defertur... Ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Christi ergo sermo hoc conficit sacramentum. » — S. Chrysost., *Hom.* 2 in II *Timot.*: « Sicut verba quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita et oblatio eadem est. » — S. August., *Serm.* 28, *De verbis Domini*: « Ante verba Christi, panis dicitur; ubi verba Christi deprompta fuerint, jam non panis, sed corpus appellatur. » — S. Damasc., IV *De fide orthodoxa*, 14: « Dixit Deus: *Hoc est corpus meum*, et: *Hic est sanguis meus*, et: *Hoc facite in meam commemorationem*; atque omnipotenti ejus præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur, his enim verbis usus est, donec veniat; ac pluvia huic novæ segeti per consecrationem existit Sancti Spiritus vi inundans. »

Unde Cardinalis Bessarion, in generali congregatione conc. Florentini habita dominica quinta Julii 1438, dixit: « Quoniam ab omnibus sanctis doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo beatissimo Joanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audivimus, verba Dominica esse illa quæ mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem,

quod verba illa divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent ; nos ipsum sanctissimum Doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate. »

553. 3° *Conciliis.* Florent. et Trident., ut supra n. 548. Et confirmatur præsens thesis specialiter ex cap. 3 conc. Tridentini; nam corpus est sub specie panis, *ex vi verborum*, sed non ex vi eorumdem verborum quibus sanguis est sub specie vini, et vice versa, quia corpus fit præsens per illa : *Hoc est enim corpus meum ;* sanguis vero per ista : *Hic est enim calix*, etc. Porro preces quæ adduntur sive a Græcis, sive a Latinis, communes sunt, et æque referuntur ad panem et vinum consecratum.

Unde ipsimet Græci, in conc. Florentino, sess. 25, interrogati ab Eugenio IV de sua fide circa formam Eucharistiæ, responderunt : « Fateri nos diximus per hæc verba (*Hoc est corpus meum*) transsubstantiari panem sacrum, et fieri corpus Christi. Sed postea, quemadmodum et ipsi (Latini) dicitis : *Jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum ;* ita nos quoque oramus dicentes, ut *Spiritus Sanctus descendat super nos, et efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, et quod in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa, Spiritu Sancto suo, ut fiant in communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, et non fiant in judicium et condemnationem.* » Vide Labbe, tom. 13, p. 441. Ideo preces adduntur in liturgia græca, non jam ut perficiatur consecratio, sed ut corpus et sanguis Christi fiant in remissionem peccatorum ; scilicet preces ordinantur ad effectus Sacrificii et Sacramenti, quæ præsupponunt, atque spectant ad corpus Christi mysticum cui unitas et vita accrescit per participationem sanctissimæ Eucharistiæ.

554. 4° *Liturgiis Græcorum.* In liturgiis S. Basilii., S. Chrysostomi et aliis apud Græcos receptis, postquam sacerdos dixerit alta voce : *Hoc est corpus meum*, populus respondet : *Amen*, id est, verum est. Imo diaconus illico extremitate stolæ demonstrat panem, deinde calicem, ut populus adoret illum. Atqui hic duplex ritus aperte supponit, panem et vinum transsubstantiari per sola verba Christi. Ergo. Ita vehementer premebat Græcos Cardinalis Bessarion, postquam iterum unionem solvissent.

555. 5° *Ratione. Primo, ex munere ministri consecrantis.* Sacerdos dum conficit sacramenta, vices Christi gerit ; sed dum

conficit Eucharistiam, in persona Christi conficit, ut docet concilium Florentinum: unde non tam sacerdos, quam Christus ipse consecrat. Porro non decet ut Christus consecret verbis Ecclesiæ, quæ addita sint verbis quæ ipse protulit in ultima cœna. Ergo.

556. *Secundo, ex hujus sacramenti excellentia.* Eucharistiæ sacramentum est omnium maximum ac divinissimum, et maxime declarat Christi omnipotentiam. Ergo maxime conveniens est ut adæquate solius ejus verbis conficiatur, non vero vi precum Ecclesiæ.

557. *Tertio, ex modo illius institutionis.* De nullo alio sacramento legitur quod illud Christus simul instituerit et confecerit, seu quod instituerit conficiendo; hoc videtur proprium huic sacramento. Ergo verisimilius est quod neque alia verba instituerit, nisi illa per quæ confecit.

Confirmatur. Patres docent, Christum, dum baptizatus est in Jordane, aquis contulisse per contactum carnis suæ vim regenerativam; porro multo magis decuit ut verbis consecrationis inderet vim transsubstantiativam; quod præstitit pro verbis tantum quæ protulit, non vero pro ipsis quæ ab Ecclesia addita sunt postea. Ergo.

SECTIO III

QUOMODO SACERDOS VERBA CONSECRATIONIS PROFERAT?

558. I. PONITUR QUÆSTIO. Nunc quæritur an recitative tantum, vel enuntiative tantum, vel simul recitative et enuntiative proferat sacerdos verba consecrationis? Recitative seu materialiter dicuntur prolata verba, quando proferens nihil intendit affirmare aut negare per illa, sed solum historice referre quid alius egerit vel dixerit; ut si dicas: *Aristoteles dixit: Mundus est ab æterno.* Tunc non affirmas mundum esse ab æterno, sed solum refers doctrinam Aristotelis. Enuntiative autem proferuntur verba, quando intendis pronuntiare id quod verba sonant; unde ille modus loquendi dicitur etiam proferre verba *significative* seu *formaliter*.

559. II. TRIPLEX SENTENTIA. *Primo*, Durandus, Major, Catharinus, Salmeronius, etc., æstimarunt, verba consecrationis *recitative* tantum proferri a sacerdote, quia sacerdos non potest significative dicere, id quod in manibus tenet, esse corpus

suum, ac suum sanguinem pro multis effusum in remissionem peccatorum.

Secundo, Gabriel, Vasquez, et alii sentiunt e converso, illa verba proferri enuntiative tantum, quia idem homo non potest simul in propria et in aliena persona eisdem verbis loqui. Deinde oportet necessario tenere quod proferuntur enuntiative, alias non transmutarent panem et vinum quæ sacerdos in manibus suis tenet. Porro non possunt simul significare panem et vinum quæ Christus consecravit; nam pronomina *hoc* et *hic* innuunt res moraliter ac sensibiliter præsentes. Ergo. Huic sententiæ aliquandiu addictus est De Lugo; sed, re maturius perpensa, astipulatus est tertiæ sententiæ, quæ, ut dicit, est communior.

Tertio, S. Thomas, S. Bonaventura, Soto, Suarez, etc., tenent, sacerdotem verba consecrationis proferre simul recitative et enuntiative. Cum quibus :

PROPOSITIO

Verba quibus consecravit Christus, sacerdos recitative simul et enuntiative profert.

560. Prob. 1ª pars. Hæc pars evidenter constat ex contextu Canonis Missæ; dicitur : « Qui pridie quam pateretur... benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes : Hoc est enim corpus meum. » Particula *enim* manifeste ostendit, verba *hoc est corpus meum* proferri recitative, sicut præcedentia. Quod æque verificatur pro forma calicis; dicitur enim : « Simili modo, postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas; item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis dicens : Accipite et bibite ex eo omnes : Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, etc. »

561. Prob. 2ª pars. 1° *Conc. Tridentino.* Sess. 19. cap. 1, præsentiam realem colligit ex veritate verborum, et cap. 3 docet, corpus et sanguinem esse præsentia ex vi verborum. Porro, si recitative tantum ac materialiter proferrentur verba a sacerdote, non merito inferretur præsentia realis, etc. Ergo. *Confirmatur*, quia SS. Patres, propter hanc causam, dicunt, sacerdotem loqui in persona Christi, ut virtute verborum conficiat. Ergo.

562. 2° *Natura sacramenti.* De ratione omnis sacramenti

novæ Legis est, quod constet rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma; forma autem debet materiam determinare atque specificare ; determinat vero et significat quatenus illi applicatur, juxta illud : *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. Porro si verba non proferrentur enuntiative, non applicarentur pani et calici quos in manibus tenet sacerdos consecrans, ut patet. Ergo.

563. *Confirmatur* 1°. In omnibus aliis novæ Legis sacramentis, verba formæ proferuntur enuntiative. Ergo a fortiori hic modus servari debuit in Eucharistiæ sacramento, quod excellentissimum est ac divinissimum.

Confirmatur 2°. Dum conficit Eucharistiæ sacramentum, sacerdos non solum profert pronomina *hoc* et *hic*, sed etiam peculiarem ritum adhibet, qui supponit enuntiationem verborum : accipit enim panem et calicem in manus suas, inclinatur super illos ac intuetur proferendo verba : quæ omnia, ut patet, manifeste supponunt, pronuntiata dici de præsenti materia, non vero solum de materia quam Christus in ultima cœna consecravit.

564. Confirmatur utraque pars. Theologi quos impugnamus, tenent, verba consecrationis esse vel recitativa tantum, vel enuntiativa tantum, quia sentiunt, ambas illas significationes sese mutuo excludere. Porro nulla est repugnantia, quod eadem verba simul recitative et enuntiative proferantur, quia utrumque potest cadere sub intentionem loquentis et accommodari verbis ; ut si quis dicat : *Christus docuit nos orare, dicens : Pater noster qui es in cœlis*, etc., potest simul recitare factum Christi et orare ; et ita secundum diversos respectus potest loqui in persona aliena, et in propria : in aliena, quatenus personam alterius induit et repræsentat; in propria, quatenus verba alterius refert. Quod iterum potest illustrari exemplo : Si regium concilium hoc modo sententiam aliquam proferat : *Nobis injunctum est, ut sententiam feramus dicentes : Ego Rex in hac causa dico*, etc. Vide Suarez, In 3, disp. 48, sect. 4, n. 8 ; et De Lugo, qui varia hujusmodi exempla acervat, *De Euchar.* disp. 9, sect. 5, n. 117 et 118.

SECTIO IV

QUÆNAM SIT VIS ET SIGNIFICATIO VERBORUM CONSECRATIONIS ?

I^a Difficultas.

565. I. PONITUR QUÆSTIO. Veritas propositionis affirmantis requirit, ut objectum se habeat sicut affirmatur per copulam ; quum vero propositiones a sacerdote prolatæ ad consecrationem utriusque materiæ sint præsentis temporis et modi indicativi, inde exsurgit difficultas quomodo veræ esse possint ; siquidem nondum actu existit id quod affirmatur, quando profertur copula ; corpus enim et sanguis Christi non sunt præsentia in Eucharistia, nisi post finitam propositionem.

566. II. CONVELLUNTUR FALSÆ SENTENTIÆ. *Primo*, quidam, ut ab hac difficultate sese expedirent, dixerunt, propositiones, quibus fit consecratio, nude et ex vi verborum esse falsas, ex intentione autem loquentis esse veras, quia ipse refert significationem verbi *est* ad id quod sequitur prolationem totius propositionis. Sed hanc interpretationem merito rejiciunt saniores theologi ; nam Ecclesia colligit præsentiam realem ex vi verborum ; quod male inferretur, si propositiones non essent in se et rigorose veræ. Aliunde illa interpretatio viam latissimam pandit figuratis hæreticorum interpretationibus.

Secundo, alii vertunt verbum *est*, ita ut sonet *proxime futurum est corpus meum*. Sed, ut patet, hæc interpretatio est etiam manifeste contra concilium Tridentinum, et errori effugia multa aperit; nam illud *proxime futurum est* potest latius ampliari atque varie exponi.

567. III. VERA DOCTRINA. Quocirca rectius dicitur, propositiones utriusque formæ esse in omni rigore veras, quia in ultimo instanti intrinseco quo absolvuntur, reipsa existunt ea quæ per illas asseruntur. Utique de essentia omnis enuntiativæ propositionis est, quod sit vera, aut falsa : sed neque veritas, neque falsitas ei competit usquedum prædicatum cum subjecto componatur, vel ab eo dividatur. Deinde propositio enuntiativa nihil aliud est quam oratio judicii interpres ; judicium autem est una objecti repræsentatio, una perceptio seu intuitio, unus intellectus actus simplex, qui, ut exprimatur, requirit subjecti, copulæ et prædicati prolationem, saltem implicitam.

Donec igitur non facta fuerit expressio, aut copulæ, aut prædicati, non existit propositio : existit autem quando absolvitur, sicut existit triangulum quando delineantur tria ejus latera : et non minus impossibile est ut sit propositio, si deficiat aut subjectum, aut prædicatum, aut copula, quam ut sit triangulum, si deficiat unum latus. Ergo ad veritatem propositionis, satis est ut id quod affirmatur, existat instante quo ipsa absolvitur.

IIª Difficultas.

568. I. Ponitur quæstio. Sed illico consurgit alia difficultas ; nam verba consecrationis operativa sunt, producunt id quod significant, nempe corpus et sanguinem Christi. Sed non possunt efficere priusquam sint vera, *prius enim est existere quam agere* ; non sunt vera priusquam Christus sit sub speciebus, quia veritas propositionis consistit in conformitate ejus cum re significata : unde videtur quod veritas propositionis non potest esse prior re significata. Quapropter videmur in circulo vitioso volutari.

569. II. Convelluntur falsæ sententiæ. *Primo*, aliqui dicunt, verba nihil significare, nec vera, neque falsa esse, priusquam efficiant ; nam significatio, quum sit tantum extrinseca denominatio in verbis, non potest esse ratio agendi ; ideoque, si dentur verba quæ efficiant, significant concomitanter, non vero causaliter. Sed in primis conc. Tridentinum docet, sess. 13, cap. 3, corpus et sanguinem Christi esse in Eucharistia, ex vi verborum : porro verbis non inest vis, nisi inquantum significant ; ergo. Deinde sacramentum prius, natura, existit, quam efficiat : porro verba non sunt sacramentum, nisi quatenus significant ; ergo. Tandem Deus non utitur verbis tanquam instrumento, nisi quatenus significant ; hæc est enim conditio prævia omnis signi adhibiti in sacramentis novæ Legis ; ergo.

Secundo, Soto dicit, conversionem esse priorem in genere causæ materialis, et veritatem esse priorem in genere causæ efficientis. Sed hæc expositio, præter quod obscura est, non satisfacit ; nam veritas est conformitas seu adæquatio ad rem, et idcirco non magis potest esse causa sui termini, quam relatio potest esse prior suo termino ; quippe verba, ut vera sint, non solum supponunt, sed etiam pronuntiant objecti existentiam.

570. III. Vera doctrina. Recentiores theologi communiter Scoti et D. Thomæ expositionem amplectuntur, quæ ita compen-

diose reddi potest : Ut verba sint significativa, non est necesse quod vera aut falsa sint, sed ab utroque præscindunt ; quia, ex natura rei, verba debent prius significare, quam vera aut falsa esse. Ratio enim illorum veritatis aut falsitatis radicatur in eorum significatione, quæ est principium a quo suam vim operativam hauriunt. Unde fit quod eadem propositio servans eamdem significationem possit esse successive vera et falsa. Quia autem consecrationis verba sunt operativa, operantur id quod significant, et ita sunt simul vera. Et hoc plane satis est, ut sacerdos, illa proferendo, dicat veritatem, nam in propositionibus practicis, quæ videlicet suum producunt objectum, satis est, ad illarum veritatem, quod eas proferens sciat, objectum se habere, sicut dicit ; nam cognitionem quam habet et significat, habet dependenter a verbis quibus eam profert : sic ei qui nunquam me audivit loquentem, possum dicere in omni rigorosa veritate prima vice : *Ex hoc jam non poteris dicere me nunquam fuisse a te auditum loquentem ;* vel extendens manum, si præbeam tibi librum meum dicendo : *Hic liber est tuus* ; iisdem verbis proprietatem libri transmitto, et transmissionem declaro simul. « Et ideo sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas hujus locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam ; sic enim se habet verbum Dei ad res factas per Verbum. Hæc autem conversio non fit successive, sed in instante, sicut dictum est q. 75, a. 7. Et ideo oportet quidem intelligere prædictam locutionem secundum ultimum instans prolationis verborum, non tamen ita quod præsupponatur ex parte subjecti id quod est terminus conversionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi ; neque etiam id quod fuit ante conversionem, scilicet panis ; sed id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub speciebus. » 3 p. q. 38, a. 5, o.

371. *Corollarium.* Hinc ista propositio : *Hoc est enim corpus meum,* efficit præsentiam Christi, non quia vera est, sed ut vera sit, et consequenter, etsi prius, natura, significat, quam efficit, non tamen prius, natura, est vera. Efficit enim rem quam significat, et ex hoc effectu resultat conformitas in ipsa ad rem significatam ; et quia hoc totum est in eodem instante, plane sufficit ad propositionis veritatem. « Significatio hujus locutionis (*Hoc est corpus meum*) præintelligitur rei significatæ, ordine naturæ,

sicut causa naturaliter est prior effectu. Non tamen ordine temporis, quia hæc causa simul habet secum suum effectum. Et hoc sufficit ad veritatem locutionis. » 3 p. q. 78, a. 5, ad 3.

Quæritur quid designetur per pronomina Hoc et Hic in forma consecrationis ?

572. 1° *Causa hujus quæstionis.* Hæc quæstio ponitur ob Calvinistas, qui, ex peculiari difficultate definiendi rem quæ his pronominibus designetur, causam nanciscuntur deflectendi verbum *est* in sensum metaphoricum. Namque pronomen *hoc* videtur innuere aliquid singulare et præsens. Porro hoc singulare non est corpus Christi, quum nondum perficiatur forma ; neque est panis, quia absurdum est dicere, panem esse corpus Christi. Ergo necesse est ita verbum *est* interpretari, ut idem sonet ac verbum *figurat.*

573. 2° *Excluduntur falsæ sententiæ. Primo*, Alensis, S. Bonaventura et quidam alii dicunt, per pronomen *hoc*, significari quidem panem, sed quatenus signum corporis Christi futuri sub accidentibus, adeo ut sensus sit : *Significatum per hoc est corpus meum ;* vel, sicut ponit S. Bonaventura, pronomen *hoc* designat panem prout transit in corpus Christi.

Sed impossibile est admittere, pronomen *hoc* designare panem, quocumque modo ; alias oporteret recurrere ad sensum figuratum, et nullatenus consistere posset veritas præsentiæ realis ; nam de ratione propositionis affirmantis est pronuntiare identitatem attributi et prædicati. Unde conc. Tridentinum, sess. 13, cap. 4, dicit quod Christus illis verbis (formæ) « corpus suum id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, » nullo autem pacto panis dici potest *vere* corpus Christi.

Secundo, alii dicunt, pronomina *hoc* et *hic* designare solum accidentia panis et vini. Sed accidentia non possunt magis quam substantia panis et vini dici *vere* corpus Christi. Ideoque oportebit detorquere sensum verbi *est*, et formam sic vertere : *Hoc continet corpus meum ;* quod prorsus ansam præbet interpretationi figurativæ Sacramentariorum. Omitto alias opiniones, quas late exponit et impugnat Suarez, In 3, disp. 58, sect. 7, atque veram sententiam luculenter a D. Thoma traditam accerso.

574. 3° *Vera doctrina :* « Non faciunt hæc verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi,

sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus : *Hic panis est corpus meum...* ; neque : *Hoc corpus meum est corpus meum...* Sed in generali : *Hoc est corpus meum*, nullo nomine apposito a parte subjecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi, sine qualitate, id est, forma determinata. » 3 p. q. 78, a. 5, o. Unde

Primo, pronomen *hoc* designat substantiam singularem, id est, corpus Christi, sed vage, ut patet ex communi modo loquendi. Soto, et, post ipsum, Suarez, De Lugo et Gonet utuntur hoc exemplo ad rem illustrandam : Petrus deambulans in horto Joannis et advertens aliquam herbam, vere dicit : *Hæc herba nascitur in horto meo* ; ubi pronomen *hæc* non supponit pro illa singulari determinata herba quam demonstrat, sed pro singulari vage, sive pro alia ejusdem speciei.

Secundo, nec obstat quod corpus Christi nondum sit in manibus sacerdotis eo instanti quo profert verbum *hoc* ; quia enim propositio est practica, sensus ejus habetur in fine prolationis omnium verborum, et non antea. Quod etiam interdum contingit in propositionibus speculativis, ut in ista : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* ; a fortiori contingit in propositionibus practicis. Quocirca sensus propositionis *Hoc est corpus meum* ita reddi potest : *Id quo substat his accidentibus, in fine prolationis est corpus meum.*

Tertio, et hinc accidentia non designantur per verbum *hoc*, nisi indirecte ; directe autem significatur in communi substantia sub eis contenta, sicut patet ex modo loquendi consueto : « Hoc pronomen *hoc* non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quæ primo fuit panis, et postea est corpus Christi. Quod, licet non informetur his accidentibus, tamen sub eis continetur. » 3 p. q. 78, a. 5, ad 2.

575. *Dices :* Hæc interpretatio non potest accommodari formæ calicis, in qua pronomen non substantive, sed adjective sumitur ; dicitur enim : *Hic est calix*, etc. Ergo.

Resp. Nego anteced. Pronomen masculini generis potest substantive accipi, ut apud *Matth.* 17 : *Hic est Filius meus dilectus* ; et *Exod.* 16, ubi interrogantibus Hebræis : *Quid est hoc?* respondit Moyses : *Hic est panis qui de cœlo descendit.* Quapropter pronomen *hoc* potest, quoad sensum, ita verti : *Hic potus*, vel :

Hic calix est calix sanguinis mei, etc., sicut expressius habent SS. Lucas et Paulus. Unde apud SS. Matthæum et Marcum, in textu græco, non legitur *hic est*, sed *hoc est sanguis meus novi Testamenti.*

PARAGRAPHUS II

DE FORMA CONSECRATIONIS PANIS

SECTIO I

VERBA QUÆ PRÆCISE CONSTITUUNT ESSENTIAM HUJUS FORMÆ

576. Errores. *Primo*, Scotus docet, verba quæ antecedunt *Hoc est enim corpus meum*, a verbis *Qui pridie quam pateretur*, etc., esse necessaria, sin ad essentiam formæ, saltem ut innotescat, sacerdotem proferre illa in persona Christi. — *Secundo*, Græci contendunt, hæc verba: *Quod pro vobis tradetur*, seu *traditur*, vel *frangitur*, esse de essentia hujus formæ, sive quia apud SS. Lucam et Paulum inveniuntur, sive quia occurrunt aliquo modo in liturgiis SS. Jacobi, Basilii, etc.; sive quia sunt determinantia prædicati et pars ejusdem propositionis. Unde Latini agunt saltem periculose, non eligentes partem tutiorem; nam fieri potest, ut prædicta verba sint essentialia, et nullum est incommodum in illis proferendis. — *Tertio*, alii dicunt, particulam *enim* esse necessariam, sive quia colligat propositionem *Hoc est corpus meum* cum præcedentibus, sive quia illam reddit causalem, atque ideo, ipsa sublata, propositio fit simplex assertio; sive quia Christus eam protulit aliisque verbis essentialibus implicavit.

PROPOSITIO I

Omnia verba quæ antecedunt pronomen hoc, *non sunt essentialia formæ consecrationis panis.*

577. Prob. 1° *SS. Patribus.* Nullus ex Ecclesiæ Patribus docuit verba antecedentia pronomen *hoc* esse de ratione formæ; econtra supponunt ac docent explicite, formam incipere ab hoc pronomine, sicut constat ex testimoniis supra adductis, n. 537 et 552. Vide *Catechism. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 19 et 20.

578. 2° *Conciliis.* Florentinum, in *Decreto:* « Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur sacra-

mentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. » Ideo illa tantum verba sunt essentialia formæ, quæ sacerdos profert enuntiative et in persona Christi. Porro verba quæ præcedunt pronomen *Hoc*, sacerdos recitative et in sua tantum persona profert. Ergo.

Tridentinum, sess. 13, cap. 1 : « Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna, Redemptorem nostrum instituisse, cum, post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est. » Ideo forma panis sunt verba quibus ipse Christus illum consecravit : consecravit autem verbis quæ subsequuntur benedictionem, et quibus diserte ac perspicue testatus est Apostolis, se illis præbere suum corpus. Porro illa verba sunt : *Hoc est corpus meum*. Ergo.

579. 3° *Praxi Ecclesiæ*. Ecclesia nunquam jussit, ne sub conditione quidem, iterari consecrationem panis, propter omissionem verborum quæ antecedunt pronomen *Hoc*. Atqui, si essent essentialia, procul dubio, Ecclesia juberet iterare, etc.

Confirmatur. Rubrica Missalis Romani, ubi *de defectibus formæ*, expresse tradit verba formæ, nihil dicens de his quæ antecedunt ; sic enim fert : « Verba autem consecrationis quæ sunt forma hujus sacramenti, sunt hæc : *Hoc est enim corpus meum*, et : *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

580. 4° *Ratione. Primo, ex natura formæ*. Illa verba non sunt de ratione formæ quæ non significant id quod in hoc sacramento efficitur. Porro verba quæ antecedunt pronomen *Hoc*, non significant id quod efficitur in hoc sacramento. Ergo. Major patet ex ipsamet natura sacramenti generatim sumpti ; de illius enim ratione est quod sit signum significans et producens sanctitatem ; non enim est efficax nisi inquantum significat (collige dicta in prænotionibus sacramentorum, et maxime ubi de eorum essentia). Minor constat, quia illa verba non significant conversionem panis in corpus Christi ; ergo non possunt illam efficere.

Confirmatur. Verba *accipite et comedite*, quæ referuntur ab Evangelista, et immediate præcedunt pronomen *hoc*, non sunt

de essentia formæ. Ergo a fortiori neque cætera. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia verba *accipite et comedite* significant usum Sacramenti. Porro usus non est de essentia sacramenti Eucharistiæ, sicut ostensum est supra (371-373) ; ergo neque verba quæ illum significant. Vide *Catechism. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 20.

581. *Secundo, ex falso fundamento alienæ sententiæ.* Scoti sententia supponit, pendere ex antecedentibus verbis, quod minister loquatur in persona Christi ; porro illud suppositum est falsum ; nam quod sacerdos loquatur in persona Christi pendet ex intentione quam postulat veritas verborum quæ ipse profert. Ergo.

Confirmatur. Sicut angelus qui Moysen allocutus est in monte, potuit, quin ulla præmiserit verba, ei dicere : *Ego sum qui sum* ; vel : *Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob ;* sic sacerdos verba *Hoc est corpus meum* proferre potest in persona Christi, quin ulla præcedant alia verba. Legatus enim eo ipso quod habetur ut legatus apud externum Regem, et loquitur tanquam legatus, ab omnibus intelligitur loquens in persona sui Principis vel gentis suæ. Similiter sacerdos dum conficit, quia pro Christo legatione fungitur, tanquam Deo exhortante per ipsum.

PROPOSITIO II

Verba quod pro vobis tradetur, *quæ proferunt Græci, non sunt essentialia formæ consecrationis panis.*

582. Prob. 1° *SS. Patribus.* Omnes Patres qui de hoc sacramento egerunt, non adduxerunt illa verba uti essentialia ; imo illa prætereunt dum formam consecrationis panis memorant, uti videre est supra, 537 et 552. Porro si essent essentialia, procul dubio, illorum meminissent ubi agunt de forma panis. Ergo.

583. 2° *Praxi Romanæ Ecclesiæ.* Ecclesia Romana, quæ omnium ecclesiarum alma est Mater et Magistra, non tantum credit, prædicta verba non esse essentialia, sed etiam illa non adhibet, ut patet Rubrica Missalis et usu communi sacerdotum Latinorum ; ideo, si essent essentialia, Romana Ecclesia naufragasset in fide, turpiterque erraret in fundamentali dogmate, et

absque Sacrificio et Eucharistiæ Sacramento remaneret ; nam vinum consecratum nec asservatur, neque fidelibus in Missa porrigitur. Porro hoc asserere hæreticum atque impiissimum est, uti habetur cap. *Ad abolendam*, *De hæreticis*, et evidenter consequitur ex demonstratis in tractatu *de Ecclesia*. Ergo.

584. 3° *Ratione.* Verba *Quod pro vobis tradetur* utique explicant propositionem principalem *Hoc est enim corpus meum*, sed non determinant illam substantialiter ; nam illa propositio ex se sufficienter significat conversionem panis in corpus Christi ; ergo et sufficienter illam producit ; nam tota ratio et vis efficaciæ in sacramentis radicatur in illorum significantia.

COROLLARIUM

585. Hinc Latini non periculose conficiunt, sicut eis objurgant Græci, quum nulla sit probabilis ratio de necessitate adhibendi verba *Quod pro vobis tradetur*. Per se tamen non malum est ea adhibere, neque malum omittere ; sed unusquisque tenetur Ecclesiæ suæ mori obtemperare. Malum vero est illa addere existimando, esse necessaria ; nam talis existimatio est error in fide.

PROPOSITIO III

Particula enim *non est de essentia formæ.*

586. Prob. 1° *Scripturis.* Tres Evangelistæ et D. Paulus, qui referunt institutionem Eucharistiæ, prætermiserunt particulam *enim*, siquidem invenitur solum apud S. Matthæum in forma consecrationis vini. Porro certe illam non prætermisissent, si esset de ratione formæ, maxime quia non præcedit neque subsequitur alia verba formæ, sed mediis in ipsis sistit. Ergo.

587. 2° *SS. Patribus.* Patres, dum formam et vim consecrationis panis referunt, omittunt particulam *enim*. Atqui non omisissent illam, si esset de essentia Sacramenti. Ergo.

588. 3° *Ratione.* Illa particula nullo modo confert ad effectum formæ, sed solum ad eam colligandam cum verbis *accipite et manducate* ; dat enim rationem cur oporteat accipere et manducare, et propterea non enuntiative, sed recitative tantum a sacerdote profertur, effectumque Sacramenti innuit, non vero ipsum Sacramentum. Ergo non est necessaria ad conficiendum,

quia verba formæ efficiunt solum id quod significant. Consequenter neque est de integritate formæ, quum nihil formaliter habeat de illius significatione, sed connectat tantum formam cum antecedentibus verbis.

589. *Dices :* Particula *enim* variat sensum propositionis, quia illam reddit causalem, veritas autem causalis propositionis, non tantum a singulis suis vocibus, sed potissimum etiam a sua connexione cum principali pendet. Porro verbum cujus subtractio variat sensum formæ, est ipsi essentiale. Ergo.

Resp. Dist. maj. Eo sensu quod aliquid addit sensui propositionis simpliciter assertivæ *Hoc est corpus meum, concedo ;* eo sensu quod adulterat sensum hujus assertionis, *nego.* Propositio causalis potest proferri indivisibiliter, et est proprie causalis; vel divisibiliter, et est improprie causalis. *Indivisibiliter* quidem, simul et semel affirmando rem ac ejus causam, ita ut tota ratio assertionis fundetur in causali, sicut consequens pendet ab antecedente, ut si dicas : *Quia Deus misericors est, non sumus consumpti ;* vel : *Quia sol lucet, dies est. Divisibiliter* autem, asserendo prius aliquid, et postea assignando rationem ad illud assertum comprobandum, ut si dicas : *Expedit virtutem colere, quia ducit ad felicitatem.* Tunc enim singulæ propositiones habent in se suam veritatem, et particula causalis *quia* in se inspecta debet haberi tanquam conjunctio utramque assertionem copulans. Ideo, sive addas, sive avellas particulam, utraque propositio suum servat sensum.

Quod contingit in consecratione ; quippe hæc verba : *Accipite et manducate : Hoc est enim corpus meum,* æquivalent his tribus propositionibus : 1ª *Hic cibus a vobis est comedendus :* 2ª *Quod probatur* : 3ª *Quia hoc est corpus meum.* Pro veritate consecrationis, non attenditur nisi ad hanc propositionem : *Hoc est corpus meum*, respectu cujus cæteræ, licet proferantur, tamen se habent mere per accidens; unde earum avulsio non substantialiter sensum formæ transmutat.

COROLLARIA

590. Hinc 1° plane collucet, verba essentialia consecrationis panis esse quatuor ista : *Hoc est corpus meum ;* quorum si unum quodvis non pronuntietur, substantialiter corrumpitur proposi-

tio, ut patet. Quæ tamen non debent separari a verbis accidentalibus, sicut substantia non debet naturaliter separari a suis accidentibus. Aliunde, ut diximus, particula *enim* fungitur munere conjunctionis ; ideoque sacerdos contra Rubricam et sensum verborum ageret, et esset valde carpendus, si, recitatis verbis quæ formam antecedunt, moraretur plus æquo, priusquam verba formæ pronuntiaret.

591. 2° Universalis et perennis Ecclesiæ consuetudo Missalisque Rubrica æquivalent prorsus ecclesiastico præcepto, et iccirco nullatenus fas est particulam *enim* omittere. Communiter docent theologi, contra Gabrielem, Gersonium, Ledesmam, etc., illius omissionem culpabilem esse peccatum mortale. Nam etsi brevissima est, attamen habet magnam significationem quoad usum Sacramenti et connexionem verborum ; et ideo in re tam momentosa, sicut est Eucharistiæ confectio, non potest haberi tanquam exigui momenti. Suarez a lethali culpa eximit sacerdotem qui, secluso contemptu, illam ex culpabili negligentia omitteret; sed illico scite advertit, posse timeri istiusmodi contemptum in eo qui, sciens et advertens, eam pro libito prætermitteret. Perfacile enim pronuntiatur, nec ullum requirit conatum ; unde non dari potest causa negligentiæ.

Præterea certum est, Christum fuisse usum particula *enim*, sicut perhibet apostolica traditio : hoc aperte colligitur ex Canone Missæ, in quo nullum esse errorem definivit conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 4, et can. 6. Porro Canon Missæ refert, Christum protulisse illam particulam : *Deditque discipulis suis, dicens : accipite et manducate : Hoc est enim corpus meum.* Et ex professo tradit Innocent. III, in cap. *Cum Marthæ*, *De celeb. Missarum.*

Quocirca D. Thomas, 3 p. q. 78, a. 2, ad 2 : « Hæc conjunctio *enim* apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, a B. Petro Apostolo derivatam, et hoc propter continuationem ad verba præcedentia. Et ideo non est de forma, sicut nec verba præcedentia formam. »

SECTIO II

CONVENIENTIA VERBORUM CONSECRATIONIS PANIS

592. In primis quum dicta verba Christus adhibuerit ac instituerit, certissimum est, illa esse convenientissima ; sed ut in-

trinsece res nobis affulgeat, atque essentiales, quoad illa, innotescant mutationes quæ contingere possunt, operæ pretium est rationes congruentiæ investigare. Quia autem nemo rectius et acutius simul id præstiterit, quam D. Thomas, juvat ipsum audire : « Hæc consecratio consistit in conversione substantiæ panis in corpus Christi.... Oportet autem, formam sacramenti significare id quod in sacramento efficitur. Unde et forma consecrationis panis debet significare ipsam conversionem panis in corpus Christi. In qua tria considerantur, scilicet ipsa conversio, et terminus *a quo*, et terminus *ad quem*. Conversio autem potest considerari dupliciter : uno modo ut *in fieri*, alio modo ut *in facto esse*. Primo quidem, quia hæc conversio non est successiva, ut supra dictum est, q. 75, a. 7, sed instantanea ; in hujusmodi autem mutationibus *fieri* non est nisi *factum esse*. — Secundo, quia ita se habent formæ sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formæ artificiales ad repræsentandum effectum artis. Forma autem artificialis est similitudo ultimi effectus, in quem fertur intentio artificis ; sicut forma artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ principaliter, ædificationis autem per consequens. Unde et in hac forma debet exprimi conversio *in facto esse*, ad quod fertur intentio. Et quia ipsa conversio exprimitur in hac forma ut *in facto esse*, necesse est quod extrema conversionis significentur, ut se habent *in facto esse* conversionis. Tunc autem terminus *ad quem* habet propriam naturam suæ substantiæ, sed terminus *a quo* non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subjacet, et ad sensum determinari potest. Unde convenienter terminus conversionis *a quo* exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia quæ manent [1] ; terminus autem *ad quem* exprimitur per nomen significans naturam ejus in quod fit conversio. Quod quidem est totum corpus Christi, et non sola caro ejus, ut dictum est, q. 76, a. 1, ad 2, et a. 2. Unde hæc forma est convenientissima. » 3 p. q. 78, a. 2, o.

[1] Innuens tamen directe et vage substantiam corporis Christi, et indirecte accidentia, sicut supra (574), ex ipsomet D. Thoma ostensum est, qui in hoc est idem sibi, uti rem sedulo perpendenti patet.

COROLLARIA

593. Hinc 1° magis convenit verbum *est* quam verbum *fit*, quia ultimus hujus sacramenti effectus est *factum esse*, non autem *fieri*. Aptior est etiam modus indicativus *est* quam imperativus *sit*, quem Deus adhibuit in prima rerum creatione, quando dixit : *Fiat lux, et facta est lux ;* nam etsi idem Verbum operatur utrobique, attamen aliter. In Eucharistia operatur secundum vim significationis ; et ideo oportet, in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum indicativi modi et præsentis temporis. Sed in creatione rerum, operatum est effective tantum ; quæ quidem efficientia est per imperium suæ sapientiæ ; et ideo in creatione rerum exprimitur sermo divinus per verbum imperativi modi. Id. ibid. ad 1 et 2.

594. 2° Si loco pronominis *Hoc* sacerdos poneret *illud*, nihil efficeret ; secus, si poneret *istud* ; nam *illud*, ex vi suæ significationis, non demonstrat materiam præsentem, bene vero pronomen *istud*. Attamen qui ita ageret, certe peccaret. Item, si loco pronominis *Hoc* ponatur adverbium *hic*, quia jam non significaret conversionem. Si autem poneretur pronomen *hic* masculi generis, probabilius valida esset consecratio, quia subaudiri videtur cibus, sicut in forma sanguinis subauditur potus ; nam hoc satis videtur ad illam ideam significandam. Valide etiam consecraretur dicendo *corpus meus*, sicut valide confertur Baptismus in hac forma : *Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spirita Sancta.*

595. 3° Quidam cum Soto tenent, fore validam consecrationem, si diceretur : *Ecce corpus meum*, quia vox *ecce* æquivalet pronomini *hoc* et verbo *est*. Sed merito hanc sententiam rejicit Suarez : « Mihi est valde verisimile, esse mutationem substantialem, quia, ut minimum, mutatur explicita significatio in implicitam. Deinde illa locutio non videtur significare conversionem, sicut alia. » In 3, disp. 59, sect. 2, n. 4.

596. 4° Congruentius dicitur *corpus meum*, quam *caro mea* ; nam vox *corpus* innuit totum heterogeneum, quod complectitur carnem, ossa, nervos, etc., quod idcirco pro nobis passum est ; magisque significat unitatem mystici corporis Christi, ex tot variis membris coalescentis. Unde non pauci theologi existi-

mant, invalidam esse consecrationem, si dicatur: *Hoc est caro mea*, quia, licet interdum vox *caro* per synecdochen sumatur pro toto homine, vel toto corpore; attamen non est synonima, nec reddit eumdem sensum. Unde Suarez merito consecrationem taliter factam habet ut valde dubiam; quamvis enim Christus loquens de hoc sacramento dixerit: *Caro mea vere est cibus*, non satis est ad validam consecrationem, quia tunc non tradebat verba formæ, sed de usu Sacramenti tantum agebat, qui non pertinet ad essentiam Sacramenti. In ordine autem ad usum, recte corpus Christi significatur nomine carnis, quia homines carne vesci solent.

PARAGRAPHUS III

DE FORMA CONSECRATIONIS VINI

SECTIO I

VERBA QUÆ PRÆCISE CONSTITUUNT ESSENTIAM HUJUS FORMÆ

597. I. Ponitur quæstio. In Ecclesia Romana consecratio vini fit per ista verba: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hæc verba fuisse a Christo prolata, constat ex Canone Missæ, qui refert Christum illa dixisse: *Benedixit deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes: Hic est enim calix*, etc. Docet etiam Innocent. III, cap. *Cum Marthæ*, ubi dicit, illa verba, licet non omnia referantur ab Evangelistis, referri tamen fere omnia[1], et traditione constare, cætera fuisse a Domino dicta. Ita D. Thomas, D. Bonaventura et communiter theologi, qui unanimi etiam ore dicunt, alia verba, sive quæ antecedunt, sive quæ subsequuntur, non esse de essentia formæ. Sed in duplex ingens agmen scinduntur circa verba formæ quæ immediate proferuntur post *Hic est enim calix sanguinis mei.*

[1] Nam *hic est calix* habetur, *Lucæ* 22, et I *Cor.* 11. Matthæi autem 26 dicitur: *Hic est sanguis meus novi Testamenti qui, pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Voces *æterni* et *mysterium fidei* habentur ex traditione Domini, quæ ad Ecclesiam per Apostolos pervenit, secundum illud I *Cor.* 11: *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Item, I *Timot.* 3: *Habentes mysterium fidei*, etc.; et *Hebr.* 13, 20: *In sanguine Testamenti æterni*, etc.

588. II. Duplex sententia. Capreolus, Paludanus, S. Antoninus, Sylvester, Soto, Gonet, Salmanticenses et alii dicunt, omnia verba formæ superius recitatæ, et prout habetur in Missali Romano, esse de essentia formæ, præter particulam *enim;* atque confidenter asserunt, D. Thomam et Catechismum Romanum docere hanc sententiam. Et illam S. Alphonsus, lib. VI, n. 223, dicit probabilem. Suarez, Vasquez, De Lugo, Tournely, Contensonius, Sylvius, Billuart et communiter recentiores dicunt, sola verba essentialia formæ consecrationis vini esse : *Hic est calix sanguinis mei*, cætera vero, præter particulam *enim*, pertinere quidem ad formæ integritatem, non vero ad ejus essentiam. Hanc sententiam S. Alphonsus dicit quoque probabilem; sed mihi videtur longe probabilior.

PROPOSITIO

Verba essentialia consecrationis vini sunt tantum ista : Hic est calix sanguinis mei.

599. Prob. 1° *Scriptura.* Tres Evangelistæ qui institutionem Eucharistiæ referunt, tradunt una cum D. Paulo omnia verba quæ constituunt essentiam consecrationis panis ; et ideo valde verisimile est, quod tradunt etiam omnia verba quæ pertinent ad essentiam formæ consecrationis vini; licet enim Evangelistæ non intenderint tradere integras formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit S. Dionysius, *De Ecclesiast. hierarch.*, cap. 7, sed intenderint historiam de Christo texere, attamen non est verisimile quod nullus eorum tradat omnia verba essentialia formæ consecrationis. Porro nullus Evangelista, neque D. Paulus recitat verba omnia quæ adversarii dicunt esse de essentia formæ consecrationis vini : omnes enim omiserunt verba *mysterium fidei et æterni;* SS. Matthæus et Lucas, *pro vobis ;* S. Marcus, *in remissionem peccatorum;* S. Paulus ex omnibus illis verbis solum *novi Testamenti* verba retinet. Ergo.

600. 2° *SS. Patribus.* S. Justinus Martyr, S. Cyprianus, *Serm. De cœna Domini*, S. Ambrosius, IV *De Sacram.* 4, S. Damascenus, IV *De fide orthodoxa*, 14, Innocent III, lib. IV *De Missa*, 6, et alii Patres dicunt, consecrationem sanguinis

confici hisce verbis : *Hic est sanguis meus.* Ergo verba subsequentia non sunt de essentia formæ.

Reponunt adversarii, in locis citatis, non fuisse mentem Patrum definire formam Sacramenti, sed arcere opinionem eorum qui contendebant, Christum consecrasse, nulla proferendo verba. Unde hæc et similia SS. Patrum testimonia explicanda sunt eo modo quo D. Thomas exponit Magistrum, In IV, dist. 8 : « Magister non intendit hic definite ponere verba quibus fit consecratio, sed explanare quod verbis Domini fit, non tamen omnibus verbis quæ ipse ponit, nec eisdem numero, sed eisdem quoad sensum. »

Sed, pace horumce, nullatenus sic enervatur argumentum ex SS. Patribus petitum; nam in primis Patres tradunt essentialia ad consecrationem panis, cur non etiam tradant essentialia ad consecrationem vini ? Deinde, licet non intendant definire formam, intendunt tamen directe tradere medium quo Christus fit præsens in Eucharistia; sed medium illud est prorsus forma. Tandem, nedum nobis adversetur D. Thomas in loco contra adducto, potius favet; nam dicit, verba eadem esse quoad sensum, ergo et quoad essentiam, quæ tota repetitur ex sensu, non autem ex vocibus materialiter sumptis : idcirco verba quæ reticent, aut mutant Patres, pertinent quidem ad integritatem formæ, non vero ad illius essentiam.

601. 3° *Liturgiis.* In plerisque Græcorum et aliorum Orientalium liturgiis, non inveniuntur omnia verba supra dicta[1] ; hoc ultro concedunt adversarii ; et tamen Orientales qui hisce verbis utuntur, valide ac licite conficiunt; nam Ecclesia Romana formas Græcorum et aliorum perspectas habet, et illas ut certo validas tenet. Conc. Florentinum ad trutinam adduxit Græcorum ritum, et tamen nihil omnino dixit de forma consecratio-

[1] In liturgia B. Jacobi dicitur tantum : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum.* In liturgia S. Marci : *Sanguis meus est hic.* In liturgia S. Joannis : *Hic est sanguis meus.* In liturgia S. Basilii : *Iste est sanguis ille meus novi Testamenti, qui pro vobis et multis effunditur, et spargitur in expiationem culparum et remissionem peccatorum, atque in vitam æternam.* In liturgia S. Chrysostomi : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* In liturgia Armenorum : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in expiationem et remissionem peccatorum.*

nis. Idem præstiterunt multi pontifices Romani, præsertim Benedictus XIV, qui certe omnes ut validam et licitam habuerunt formam Græcorum. Porro non valide conficerent Orientales, si omnia prædicta verba essent de essentia formæ consecrationis vini. Ergo. Major sat demonstrata est, et aliunde conceditur tota ab adversariis. Minor constat primo, ex demonstratis in tractatu de sacramentis in genere, ubi ostensum est, Christum definiisse et instituisse omnium novæ Legis sacramentorum formas in specie infima seu atoma (143 et seq.). Constat secundo, quia Dominus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Nam, etiamsi cæterorum sacramentorum non definiisset formas in specie atoma, ut volunt adversarii, attamen hæc interpretatio non potest fieri pro Eucharistia, siquidem Græci non facerent quod ipse Christus fecit, si omnia verba prædicta essent de essentia consecrationis, quia prolatio verborum quæ constituunt formam, prorsus pertinet ad actionem quam elicuit Christus, sicut optime declarat Catechismus Romanus, 2 p. cap. 4, n. 19 : « Nam quod Dominus faciendum præcepit, non solum ad id quod egerat, sed etiam ad ea quæ dixerat, referri debet; atque ad verba maxime pertinere intelligendum est, quæ non minus efficiendi quam significandi causa prolata erant. » Ideo cum omnes catholici cujusvis ritus valide et licite conficiant, omnes faciunt quod fecit Christus; quum vero aliqui vinum consecrent per hæc verba tantum : *Hic est sanguis meus*, jure infertur, et hæc tantum verba esse de essentia consecrationis vini.

602. *Confirmatur.* Rubrica Missalis Romani, ubi *de defectibus formæ*, postquam tradiderit integram formam consecrationis, tum panis, tum vini, dicit : « Si valde probabiliter dubitat (celebrans), se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. » Hæc regula supponit, quædam ex verbis quæ ingrediuntur formam, non esse essentialia; quod non videtur posse de sola particula *enim* intelligi; alias Rubrica non diceret in numero plurali : *Si autem non sunt de necessitate Sacramenti.* Ergo.

603. 4° *Catechismo Romano.* 2 p. cap. 4, n° 22 : « Verum de hac forma nemo dubitare poterit, si, quod antea dictum est de forma consecrationis, quæ ad panis elementum adhibetur, hoc etiam loco attendatur. Constat enim, iis verbis, quæ vini sub-

stantiam in sanguinem Domini converti significant, hujus elementi formam contineri. Quare, quum verba illa hoc aperte declarent, perspicuum est, aliam formam constituendam non esse. Exprimunt præterea quosdam effusi sanguinis in passione Domini admirabiles fructus, qui ad hoc sacramentum maxime pertinent. Unus est aditus ad æternam hæreditatem, quæ novi atque æterni Testamenti jure ad nos venit. Alter est aditus ad justitiam per mysterium fidei; Jesum enim per fidem in sanguine ejus propitiatorem Deus proposuit, ut ipse sit justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi. Tertius est remissio peccatorum. » Quæ verba, si attente ac recte perpendantur, prorsus nostram thesim fulciunt, nam ibi distinguuntur ea quæ significant et efficiunt conversionem vini, et constituunt essentiam formæ, ab iis quæ significant effectus Sacramenti, et pertinent ad formæ integritatem. Quod confirmatur ex modo arguendi quem Catechismus observat ubi de forma panis, nam ibi sic ratiocinatur : « Forma ea est, qua illud significatur, quod in Sacramento efficitur. Quum autem hæc verba id quod fit significent ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur, formam in illis ipsis verbis constituendam esse. » Dein consequenter excludit de essentia formæ panis verba *accipite et comedite*, quia non significant conversionem, sed usum tantum; et etiam particulam *enim*.

604. 5° *D. Thoma.* 3 p. q. 78, a. 1, tradit adæquatam formam sacramenti Eucharistiæ, atque ex professo demonstrat, illam consistere in his verbis : *Hoc est corpus meum ;* et : *Hic est calix sanguinis mei ;* nullumque aliud verbum addit. Ratio est, quia « forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur : *Hoc est corpus meum*, vel : *Hic est calix sanguinis mei.* » Et ad 4 excludit sententiam eorum qui dicunt, non perfici consecrationem per sola verba prædicta, et concludit : « Unde dicendum est quod si sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum. » Et confirmatur, quia dicit, cætera Canonis verba esse varia pro variis hominibus ac temporibus. Porro verba quæ adversarii dicunt essentialia, sunt varia pro variis hominibus ac temporibus. Ergo.

Adversarii dicunt, D. Thomam, ibi excludere tantum verba

quæ præcedunt, scilicet *Qui pridie quam pateretur*, etc. Utique, quia ipsa sola objiciuntur, sed non eo ipso detrahit aliquid ex thesi quam fulcit, ita ut supponi possit, subsequentia verba esse adhuc necessaria : absolute enim ac simpliciter asserit, consecrationem fieri per verba prædicta ; quod certe non dixisset, si mens illius fuisset, cætera verba, quæ non expressit, esse quoque necessaria. Art. 3 ejusdem quæstionis dicit : « Ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, id est, sanguinis Christi ; unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis. Et propter hoc sunt alii qui melius dicunt quod omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad hoc quod postea sequitur : *Hoc quotiescumque feceritis*, quod pertinet ad usum hujus sacramenti ; unde non est de substantia formæ. » Ideo verba quæ sequuntur pertinent ad integritatem formæ, et sunt de illius substantia, sicut pedes et manus, qui sunt quidem de substantia hominis, non autem de illius essentia. Quum D. Thomas jam distinxerat in primo articulo essentialia formæ a non essentialibus, de hac distinctione amplius non curat in articulo tertio, ubi alter est ejus scopus, scilicet integritatem formæ tradere, ut sit conveniens. Unde in primo articulo, ubi agitur de essentia, ita ponit quæstionem : « Utrum hæc sit forma hujus sacramenti : *Hoc est corpus meum*, et : *Hic est calix sanguinis mei ?* In secundo autem et tertio articulo, jam non inquirit simpliciter quænam sit forma, sed quænam sit conveniens. Ideo quæ ibi dicit de substantia, optime intelliguntur atque intelligi debent de integritate ac perfectione formæ, non autem de illius essentia. Unde in articulo tertio subdit infra : « Dicendum est ergo quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba, cum dicitur : *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est, art. præcedenti, in forma consecrationis panis ; per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione. »

Dices : Hanc expositionem repellunt adversarii dicentes, D. Thomam nomine substantiæ sacramenti semper intelligere ea quæ pertinent ad ejus essentiam, 3 p. q. 60, a. 8, o : « Si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum. » Et in I *Cor.* 11, expresse refutat eos qui dicunt, prædicta verba non esse omnia de necessitate formæ.

Resp. D. Thomæ mentem non perspexerunt adversarii. Nam *primo*, ipse in dicto articulo 3, dicit, illa verba esse de substantia formæ, quia pertinent ad illius integritatem : proferuntur per modum unius et integræ locutionis, proprietates sanguinis significant, ideoque sunt explicationes formæ essentialis. Loca quæ in oppositum adducuntur, optime ostendunt D. Thomam modo substantiam sacramenti sumpsisse pro essentia, sed non ideo nomine substantiæ semper intellexisse essentiam ipsam : aliquando enim sub hoc nomine comprehendit partes integrantes, ut fit sat communiter in consueto sermone. *Secundo*, 3 p. q. 84, a. 3, D. Thomas docet et probat, formam sacramenti Pœnitentiæ consistere in istis tantum verbis : *Ego te absolvo.* Et tamen additur *a peccatis tuis, in nomine Patris,* etc. ; quæ verba dici possunt de substantia formæ, quia eamdem locutionem constituunt cum verbis essentialibus. Unde, 3 p. q. 78, a. 3, ad 2, dicit. « Sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi repræsentat, ideo potius (non autem de necessitate sacramenti, sed propter illius perfectionem) in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quod est passionis subjectum, quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit : *Quod pro vobis tradetur;* quasi diceret : *Quod pro vobis passioni subjicietur.* »

Inst. S. Pius V jussit, expungi ex commentariis Cajetani in Summam D. Thomæ dissertationem qua propugnabat nostram sententiam. Ergo falsa est hæc sententia.

Resp. Nego conseq. In primis, licet maximi facienda sit auctoritas hujusmodi, attamen non certitudinem parit ; non enim agitur de iis rebus in quibus Pontifex inerrantia potitur. Martyrologium Romanum, quod summo studio et diligentia emendarunt summi Pontifices, non parit argumentum certo demonstrans ; a fortiori correctio facta in libro peculiaris auctoris. Deinde illa emendatio, nedum nobis adversetur, potius thesim nostram confirmat ; nam, teste cardinali Gotti, Cajetanus dixerat : « Etsi S. Thomæ intentio contraria sit, non est curandum ; » fuit igitur expuncta illius dissertatio, quia supponebat ut certum quod D. Thomas tenuisset sententiam contrariam. Aliqui dicunt etiam fuisse expunctum, quia minus reverenter de S. Thoma locutus fuerat Cardinalis, dicendo, nihil esse curandum

de sententia D. Thomæ. Prior tamen expositio videtur magis obvia.

605. 6° *Ratione. Primo, ex natura formæ.* Illa verba sunt de essentia formæ, quæ significant et efficiunt conversionem. Atqui in consecratione calicis, sola verba : *Hic est calix sanguinis mei* significant et efficiunt conversionem. Ergo. Major patet ex dictis, ubi de essentia Sacramenti, et aliunde conceditur ab adversariis. Minor probatur, tum auctoritate D. Thomæ et Catechismi Romani, in locis supra citatis ; tum etiam aperta verborum significatione ; nam ea quæ subsequuntur, optime declarant proprietates sanguinis Christi, sed neutiquam conversionem efficiunt, quia non pertinent ad essentiam subjecti, sed tantum ad illius determinationes, quæ, si removeantur, non faciunt ut quod est in calice, jam non sit sanguis Christi.

Dices cum Gonet : Hæc verba grammaticaliter sumpta utique significant adæquate conversionem, non vero, si sumantur juxta Christi institutionem, a cujus voluntate pendet tota significatio verborum ; sicut in Baptismate, verba *Ego te baptizo* satis fuissent ad significandum ablutionem, et tamen, ex institutione Christi, essentialia sunt etiam ea quæ subsequuntur : *In nomine Patris, et Filii,* etc., quæ tamen non sunt essentialia in forma absolutionis.

Resp. 1° Præcise quæstio est quænam fuerit Christi institutio ? unde adversarii non debent tantum asserere, sed solido argumento demonstrare assertionem. 2° Pro forma Baptismi, habetur unanimis Patrum doctrina et traditio, necnon constans et universalis omnium ecclesiarum praxis ; neutiquam vero pro verbis quæ ipsi dicunt essentialia consecrationi vini. 3° Christus verba assumpsit ac instituit prout sonant ex usu recepto, nec singularem et inusitatam indidit significationem. 4° In Baptismate forma non satis esset determinata, si diceretur tantum : *Ego te baptizo,* quia non illico et aperte intelligerentur illa verba de ablutione a peccatis ; nam possent intelligi de alia ablutione : quod non contingit in consecratione vini ; pronomen *mei* plane determinat sanguinem Christi. Deinde Baptisma est per excellentiam sacramentum fidei ; unde peculiaris est ratio exprimendi in ipso mysterium SS. Trinitatis, quod est omnium fundamentale.

606. *Secundo, ex adversariorum principiis.* Adversarii, dum Græcos impugnant, dicunt, verba *quod pro vobis tradetur* non esse de essentia formæ panis, quia absque ipsis præcedentia sufficienter conversionem panis in corpus Christi significant. Ergo a pari verba *novi et æterni Testamenti*, etc., non sunt de essentia formæ vini, quia absque ipsis præcedentia sufficienter conversionem vini in sanguinem Christi significant. Gonet negat paritatem, quia debet significari sanguis, non simpliciter, sed ut effusus. Sed, si ita est, ad summum, essentialia essent verba *qui effundetur*, non vero cætera. Deinde eo ipso quod sanguis ponitur separatim a corpore, significatur tanquam effusus; et hæc mystica separatio significat Sacrificium.

607. *Dices :* In Missali Romano omnia prædicta verba iisdem verbis majusculis scribuntur eodemque ritu proferri debent; atque, si aliquod eorum omitteretur, deberet, ex praxi Ecclesiæ, tota forma iterari sub conditione.

Resp. Ratio est, quia pertinent ad integritatem formæ, quæ licet essentialibus et integrantibus constet verbis, una tamen est ac perfecta. Unde Orientales, qui in forma panis habent verba *quod pro vobis tradetur*, illa proferunt eodem ritu quam præcedentia. Praxis Ecclesiæ supponit, inesse sententiæ adversæ aliquem probabilitatis gradum, propter optimam notam theologorum qui illam tenent, non vero illam esse certam, vel probabiliorem; ubi enim agitur de validitate sacramentorum, semper eligenda est pars tutior.

SECTIO II

CONVENIENTIÆ FORMÆ CALICIS IN ECCLESIA LATINA ADHIBITÆ

608. Vox *calix* metonymice usurpatur, scilicet continens pro contento, et quidem merito, quia melius significatur sanguis Christi ut potabilis; sanguis enim « Christi in hoc sacramento consecratur inquantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis, et ideo oportuit hoc designari per vas huic usui accommodatum. Alio modo potest intelligi secundum metaphoram, prout per calicem similitudinarie intelligitur passio Christi, quæ ad similitudinem calicis inebriat, secundum illud *Thren.* 3, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio;* unde et ipse Dominus passionem suam calicem nominat, *Matth.* 26, 39, dicens : *Transeat a me calix iste;* ut sit

sensus : *Hic est calix passionis meæ*, de qua fit mentio in sanguine seorsum a corpore consecrato ; quia separatio sanguinis a corpore fuit per passionem. » 3 p. q. 78, a. 3, ad 1. Sequentia verba explicant tres præcipuos effectus passionis et sanguinis Christi, nempe finem seu beatam vitam, viam seu justitiam, eversionem impedimenti seu peccati.

609. *Primo*, voces *novi et æterni Testamenti* duo significant, scilicet confirmationem novi Testamenti, factam in sanguine Christi, et vitam beatam. Primum innuit D. Paulus, *Hebr.* 9, 12 et sèq.: *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa..... Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Secundum etiam innuit D. Paulus ibidem : *Et ideo novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Per primum, Christus januam cœli aperit, et præparat nobis locum, et pignus vitæ æternæ certissimum præbet : per secundum autem ipsammet beatam vitam seu æternam hæreditatem largitur ; et hic posterior effectus includitur in priori, sicut in causa et principio, quemadmodum consequens in antecedente continetur. Testamentum vetus bona temporalia maxime largiebatur, novum autem gloriam æternam spondet. Unde oblatio munda Christi in locum omnium antiquorum sacrificiorum suffecta est, et usque ad consummationem sæculi in omni loco offeretur.

610. *Secundo*, voces *mysterium fidei* significant secundum effectum, quem homines in hac vita jam adipiscuntur, scilicet justitiam gratiæ, quæ est per fidem charitate informatam, juxta illud *Rom.* 3, 25 : *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse justus et justificans eum qui ex fide est Jesu Christi.* Licet totum Sacramentum sit *mysterium fidei*, attamen illæ voces adhibentur in consecratione calicis tantum, quia in ipsa expressius repræsentatur passio Christi, quæ est magnum mysterium a sæculis absconditum, et in omnibus veteribus sacrificiis præfiguratum. « Dicitur *mysterium fidei*, quasi fidei objectum, quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur. Ipsa etiam Christi passio per fidem justificat. Baptismus autem dici-

tur sacramentum fidei, quia est quædam fidei protestatio. Hoc autem est sacramentum charitatis, quasi figurativum et effectivum. » 3 p. q. 78, a. 3, ad 6.

611. *Tertio*, voces *qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* significant remissionem peccatorum, tum originalis, tum actualium, a quibus Christus nos in sanguine lavat, et ita removet impedimenta ad justitiam vitamque æternam, juxta illud *Hebr.* 9, 14 : *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

CAPUT IV

DE CAUSIS EFFICIENTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

ARTICULUS I

DE CAUSA INSTITUENTE SEU DE INSTITUTORE EUCHARISTIÆ

Prænotandum. Christum instituisse Eucharistiæ sacramentum, omnes, non tantum catholici, sed etiam hæretici et schismatici confitentur ; nihil enim hac veritate clarius est in S. Scripturis, ut patet ex huc usque dictis. Ipse enim solus est novæ Legis sacramentorum institutor, a fortiori Eucharistiæ, quia ipse solus potuit novum Testamentum fundare et proprio sanguine confirmare et consecrare ; atque nemo habet in ejus corpus et sanguinem potestatem, nisi ab ipso derivatam. Unde triplex tantum in præsenti movetur quæstio, nempe 1° quonam tempore Christus instituerit Eucharistiam, 2° utrum conveniens fuerit illud tempus, et 3° quænam fuerint præcipuæ circumstantiæ hujus institutionis ?

PARAGRAPHUS I

DE TEMPORE QUO CHRISTUS INSTITUIT EUCHARISTIAM

612. I. Declaratur id quod est extra controversiam. Certum ac de fide est, Christum instituisse hoc sacramentum in nocte Cœnæ, pridie quam pateretur, prout colligitur aperte ex *SS. Matth.* 26, *Marc.* 14, et *Luc.* 22 ; dixit enim Christus, post panis vinique consecrationem : *Hoc facite in meam commemo-*

rationem ; quibus verbis fretum, conc. Tridentinum, sess. 21, tulit hunc canonem : « Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit. »

Hoc unanimi ore docuerunt SS. Patres, sicut declarat conc. Tridentinum, sess. 13, cap. 1 : « Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse. » Idem jam declaraverat ac definierat conc. Viennense, Clementina unica, *De reliq. et venerat. Sanctorum*.

613. II. Punctum controversiæ. Celebris est controversia de die ipsa qua Christus ultimam Cœnam celebravit. Græci, ut usum fermentati cohonestent extollantque exemplo Christi, contendunt, ipsum celebrasse Pascha ante tempus azymorum, scilicet die seu luna decima tertia primi mensis, non vero decima quarta, qua sub pœna mortis vetitus erat usus fermentati panis. Ideo, juxta Græcos, Christus, qui sciebat, venisse horam, ut transiret de hoc mundo ad Patrem, anticipavit una die manducationem Agni Paschalis, quam utique in azymis celebravit, secundum legem Moysis; sed, quando instituit Eucharistiam, post Cœnam, usus est fermentato, prout mos erat Judæorum comedere, extra festos azymorum. Quod tamen gratis asseritur a Græcis; nam, ut recte advertit D. Thomas, in IV, dist. 11, q. 2, a. 2, q. 3, quocumque die Christus Eucharistiam instituerit, semper potest convinci, illum in azymo confecisse, quia, ante Sacramenti institutionem, Pascha manducavit, ut omnia Evangelia testantur et concedunt Græci; Pascha autem sine azymis manducari non poterat, ut patet *Exod.* 12, et concedunt etiam Græci. Porro, ex more Judæorum ac lege Moysis, usus azymorum incipiebat ab immolatione Paschæ, atque interruptionem non patiebatur. Deinde Christus Eucharistiam instituit in Cœna ipsa in qua manducavit cum discipulis suis; ideo, juxta Græcos, fecit amovere a mensa panes azymos ad manducationem Agni Paschalis adhiberi solitos, ut ipsis fermentatos sufficeret. Porro hoc, non tantum non verisimile est, sed et falsum; nam celebratio novæ Paschæ non minus cæremonia sacra fuit quam celebratio veteris Paschæ. Ideo Græci, eo ipso quod con-

cedunt, Christum ultimum Pascha maducasse cum azymis, debent fateri Eucharistiam, quæ in hac cœna instituta fuit, fuisse in azymis confectam. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias et domos, et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel, ad vesperam; et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus..... Et comedetis festinanter; est enim Phase, id est, transitus Domini..... Habebitis autem hunc diem in monumentum; et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentum in domibus vestris : quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis : nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. Et observabitis azyma.*

614. III. Prænotanda ad solutionem. *Primo*, Judæi menses computabant secundum lunas, ita ut primum diem mensis cujuslibet a prima luna seu neomenia notarent, anni vero initium sumerent a prima luna, post veris æquinoxium. Ab ea incipiebat primus mensis dictus hebraice *Abib*, chaldaice *Nizan*, martio nostro correspondens; de quo dicitur *Exod.* 12 : *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni;* hoc enim mense Deus illos ex Ægypti ergastulo liberaverat.

615. *Secundo,* apud Judæos, distinguebatur triplex dies, scilicet *legalis*, *naturalis* et *artificialis*. Legalis dies incipiebat a vespera unius diei et ad vesperam sequentis diei extendebatur, eo modo quo nunc in Ecclesia dies festi incipiunt, quoad officium, a prima vespera usque ad secundam. Hic mos innitebatur Genesi quæ, ubi de creatione rerum, dicit : *Factum est vespere et mane dies primus* : *Factum est vespere et mane dies secundus,* etc. Dies naturalis incipiebat, juxta aliquos, a media nocte usque ad mediam noctem sequentem; juxta alios vero, ab ortu solis ad ortum sequentem. Dies artificialis incipiebat ab ortu solis usque ad illius occasum.

616. *Tertio*, apud Judæos, festum Paschæ et festum azy-

morum peculiari et potissima solemnitate celebrabantur : prius, in memoriam transitus Angeli vastatoris; posterius, in memoriam exitus Israel de Ægypto. Cum enim non potuerint fermentare panes azymos, usserunt festinanter, ut, *Exod.* 12, narratur. Pascha tantum una et integra die, scilicet decima quarta luna primi mensis, sub vesperam, celebrabatur, ut patet *Exod.* 12, *Levit.* 13, et *Deuter.* 16. Subinde ejus solemnitas non incipiebat in vigilia præcedenti, seu in vespere lunæ decimæ tertiæ, neque cum vigilia Sabbati concurrebat. Celebritas autem azymorum complectebatur septem dies legales integros, quorum primus et septimus festivi erant ac solemnissimi : ideo solemnitas primæ diei azymorum, quæ erat luna decima quinta, incipiebat a vespere lunæ decimæ quartæ; et sic Pascha conjungebatur cum festo azymorum, ut a cœna Agni Paschalis comedendi cum azymis, usque ad vigesimum primum diem ejusdem mensis inclusive, panis fermentatus excluderetur a domibus Judæorum.

Dicunt Græci, feria quinta in Cœna Domini fuisse diem decimam tertiam mensis apud Hebræos, et proinde nondum incœpisse tempus azymorum : feria autem sexta, in qua Dominus mortuus est, dicunt fuisse profanum, non vero festivum diem; sed illo ipso die, post occasum solis, cœpisse tempus azymorum; quia ille erat dies decima quarta, et postea die Sabbati fuisse decimam quintam diem ac solemnissimam. Contra quos

PROPOSITIO

Christus pridie mortis suæ legale Pascha celebravit tempore a Lege præfixo, una et eadem die cum Judæis, luna scilicet decima quarta, ad vesperam.

617. Prob. 1° *Scriptura. Matth.* 26 : *Prima die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Christus igitur fecit Pascha prima die azymorum, vespere facto. Porro illa dies est decima quarta ad vesperam; nam ipsum non celebrasse a prima vespera, aperte declaratur quum

dicitur, discipulos accessisse ad Dominum, jam incepta die azymorum, atque postea præparasse Pascha, quod manducatum est, vespere facto. Ergo.

Idem habetur, *Marc.* 14, et *Lucæ* 22; ibi enim legitur: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha; et misit Petrum et Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo, et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Manducavit igitur Pascha, prima die azymorum, et hora, in qua necesse erat, ob Legis præceptum, comedere. Sed prima dies azymorum erat decima quarta primi mensis, et hora a Lege præscripta erat ad vesperam. *Exod.* 12. Ergo.

618. Illa Evangelistarum testimonia ita aperta sunt, ut, quum non sit alia via elabendi, non erubuerint Græci asserere, tres Evangelistas errasse, atque a Joanne correctos fuisse. At illa assertio est blasphemia. Deinde, si Evangelistæ inter se non convenirent (quod est prorsus impossibile, cum ab eodem Spiritu inspirati locuti sint), cur potius uni quam tribus fides præstanda esset? Non mirum est quod S. Joannes non tam aperte referat quæ spectant ad Eucharistiæ institutionem et Paschæ celebrationem; illius enim scopus non fuit texere historiam Eucharistiæ institutionis (siquidem illam præterivit), sed potius nota facere ea quæ ab aliis Evangelistis omissa fuerant. Ideo quæ innuit de manducatione Paschæ, interdum subobscura sunt atque componenda cum tribus aliis Evangelistis, in quibus veluti ex professo narratur et describitur manducatio Agni Paschalis et institutio Eucharistiæ.

619. 2° *SS. Patribus.* Latini Patres et Doctores uno ore illam veritatem docent: vide potissimum Tertull., *Contra Judæos*, S. Cyprian., *Serm. De Cœna Domini*, S. Ambros., *Epist.* 83, S. Hieronym., in *Matth.* 26, S. Augustinum, *Epist.* 86 *ad Casulanum*, et S. Bedam, *De temporum ratione*, cap. 61. Latinis consentiunt Patres Græci: Origenes, tract. 35 in *Matth.*, dicit, luna decima quarta, Christum fuisse captum. S. Chrysost., *Hom.* 85 in *Matth.*, dicit, Christum comedisse illo die, quem Lex præcipiebat; Theophylactus, in *Luc.* 22: « Diem azymorum nominat feriam quintam, in cujus vespera Pascha immolaturi erant. » Idem docet Theodoretus, q. 24 in *Exo-*

dum, et alii Patres. Unde merito Calmet, in dissertatione *De ultimo Paschate:* « Le sentiment des deux Eglises, de la Grecque et de la Romaine, est que Notre-Seigneur avait célébré la Pâque avec ses disciples le jeudi au soir, quatorze de Nyzan, et que le vendredi, jour de Pâques, quinze du même mois, il avait été crucifié et mis à mort. Il est inutile d'alléguer pour ce sentiment les témoignages des Pères de l'Eglise et des nouveaux docteurs. On avoue que généralement tous l'ont suivi, et il est supposé dans le concile de Trente. » Concilium enim Tridentinum, sess. 22, cap. 1, dicit : « Celebrato veteri Paschate, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha. »

620. 3° *Liturgia.* In officio SS. Corporis Domini, Ecclesia hanc veritatem inculcat; ita enim canit in Vesperis :

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene,
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Et in Matutinis :

Noctis recolitur cœna novissima
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.

621. 4° *Ratione. Primo, ex solemnitate diei quo Christus crucifixus est.* Certum est, diem quo Christus mortuus est, fuisse diem solemnem Paschæ, sicut patet ex *Matth.* 27, 15 : *Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent*, etc.; *Marc.* 15, 6 : *Per diem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petiissent; Luc.* 23, 17 : *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum.* Quod etiam aperte testatur S. Joannes, quem Græci pro sua sententia confidenter adducunt; ita enim habet, cap. 18, 39 : *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha; vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum ?* Ergo illa dies erat solemnis atque Paschalis; in ipsa enim dimissus est Barabbas ex petitione populi. Aliunde Patres Græci et Latini uno ore docent, Christum fuisse cru-

cifixum die solemni Paschæ Judæorum[1]. Porro, in sententia Græcorum, dies quo Christus mortuus est, non fuit solemnis; nam Christus uno die anticipavit solemnitatem Paschæ et azymorum, celebravitque die tertia decima ad vesperam, et expiravit die decima quarta ante solis occasum. Ergo.

622. *Secundo, ex accusatione Judæorum.* Principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi, quæsierunt falsum testimonium adversus Jesum, ut eum accusarent coram magno Sacerdote et Pilato. Porro, si prævenisset tempus a lege præfixum pro manducatione Agni Paschalis, id certe cognovissent Judæi, præsertim ex proditione Judæ, et Christo vehementer hoc factum objurgassent. Ergo. Unde Christus ipse, *Matth.* 5, 17 : *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere.*

623. *Tertio, ex falso supposito Græcorum.* Græci dicunt, Christum, quia se fore præventum morte in crastino sciebat, anticipasse celebrationem Paschæ. Porro istud fundamentum falso fingitur; Christus enim non debebat legem servare, nisi dum viveret. Ergo potuisset instituere Eucharistiam, quin celebrasset Pascham legalem, maxime quia, ad veritatem figuræ Agni typici complendam, sat superque in ara Crucis præstiturus erat.

624. *Quarto, ex praxi quorumdam orientalium.* Ecclesiæ Asiaticæ initio nascentis fidei celebrabant Pascha eodem die, quo Hebræi sui temporis, scilicet die decima quarta primi mensis, quacumque die hebdomadæ luna illa incidisset, idque sine ullo dierum discrimine : hoc factum testantur SS. Patres supra citati (621), et extra omne dubium posuit celebris controversia inter Orientales et Papam S. Victorem exorta, quam composuit concil. Nicænum I, decernendo, omnes Christianos teneri Pascha celebrare die Dominica quæ subsequitur lunam decimam quartam martii, tum ut Christiani non viderentur judaizare, tum ut recoleretur ac celebraretur resurrectio Domini. Porro illæ ecclesiæ, non ut imitarentur Judæos, hunc morem servaverunt, sed ut exemplum Christi sequerentur; et huic praxi tam pertinaciter adhæserunt aliqui, ut illam servaverint, etiam post concilium

[1] Vide S. Clement., V *Const. Apost.* 14, Tertull., *Contra Judæos*, Orig., *Hom.* 23, in *Num.*, S. Epiphan., *Hæresi* 70, S. Chrysost., *Hom.* 86 *in Matth.*, S. August., *Tract.* 10 *in Joan.*, S. Cyrill. Hieros., *Catechesi* 13, S. Leonem Magnum, *Sermone* 7 *De Paschate.*

Nicænum; et sic exorta est hæresis Quatuordecimanorum, quæ se habet veluti inconcussum monumentum thesis nostræ. Adde quod Asiaticæ ecclesiæ suum morem potissime exemplo S. Joannis apostoli et S. Polycarpi cohonestabant : sed S. Joannes et ecclesiæ ab ipso fundatæ non celebrassent Pascha eodem die ac Judæi, nisi Dominus ipse celebrasset etiam eodem die ultimum Pascha. Præterea Papa S. Victor et synodus Romæ adunata ad hanc controversiam componendam prorsus objecissent ecclesiis Asiæ quod nullatenus exemplum Christi imitarentur; et tamen nihil hujusmodi occurrit. Ergo nedum S. Joannes faveat Græcis, potius Romanæ Ecclesiæ praxim confirmat.

COROLLARIA

625. Hinc 1° confutata manet sententia Ruperti, qui docet, « Hebræos, ex quadam traditione Patrum suorum, nunquam solitos fuisse celebrare duos dies festos continuos, et ideo quando festum azymorum occurrebat feria sexta, ex illa traditione differri solitum in sabbatum sequens, sic tamen, ut celebratio Paschæ nunquam mutaretur. Ex quo colligit, eo anno quo Dominus mortuus est, die Jovis fuisse quidem decimam quartam lunam, contra Græcorum opinionem, et illo ipso die, ad vesperam, tum Dominum, tum Hebræos comedisse suum pascha : diem autem Veneris non fuisse festum azymorum, sed diem profanum, ut etiam Græci volunt. » Bellarm., IV *De Sacram. Euchar.* 7. Præterea, vi suæ sententiæ, necessario ex Charybdi in Scyllam labitur Rupertus : nam si prima dies azymorum, quando incidebat die Veneris, transferretur in Sabbatum, quum, ex Lege, tempus azymorum septem integros dies complecteretur, ultima dies, quæ erat solemnis ut prima, contingebat etiam necessario die Veneris, ita ut duo dies festi continui essent, ultima scilicet dies azymorum et Sabbatum.

626. 2° Confutata etiam manet sententia Pauli Burgensis et aliorum, quibus astipulatus est Calvinus. Hæc enim sententia non differt a sententia Ruperti, nisi in eo quod Rupertus dicebat, ex traditione Majorum, differri festum azymorum aliquando in diem sequentem, celebrationem autem Paschæ nunquam mutari. Burgensis autem dicit, utrumque differri ; et inde colligit, eo anno quo Dominus mortuus est, Hebræos manducasse Pascha, die Veneris, ad vesperam, Christum autem, die Jovis, ad

vesperam. Præterea falso innititur supposito prædicta sententia ; nam supponit, dies festos, apud Judæos, computari secundum calculum astronomicum. Porro computabantur, sicut adhuc fit apud nos, juxta computum communem et vulgarem calendariorum. Ideo prædicta mutatio non sic intelligenda est quasi dies decima quinta lunæ seu mensis aliquando occurrerit die Veneris, et tunc Hebræi festum transtulerint in diem sequentem seu Sabbatum ; sed qui calendariis præerant apud Hebræos, ita accommodabant novilunia, præsertim initio anni, ut nunquam accideret, diem primam, et consequenter diem decimam quintam primi mensis contingere feria secunda, vel quarta, vel sexta. Propterea dicebant, Pascha contingere illis diebus. Deinde falso asserit Burgensis, tempore Christi, primam diem azymorum, ex consuetudine, non posse contingere feriis secunda, quarta et sexta; nam doctores Rabbini inconcusse demonstrant, hujusmodi consuetudinem exordium sumpsisse post Thalmudis confectionem. Porro Thalmud confectum fuit aliquot annorum centuriis post passionem Christi [1].

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

627. *Obj.* 1° *Joan.* 13, dicitur, ea quæ Christus in Cœna gessit, fuisse peracta *ante diem festum Paschæ*. Ergo anticipavit.

Resp. Dist. ant. Ante diem Paschæ, *concedo* ; ante Pascham seu manducationem Agni Paschalis, *nego*. Cœna fuit ante diem

[1] « Præterea S. Epiphanius, qui etiam hebræus fuerat, et optime noverat linguam et ritus Hebræorum, *Hæres.* 30 Ebionitarum, et *Hæresi* 51 Alogorum, dicit, festum azymorum, apud Hebræos, incidere in quamlibet diem hebdomadæ, etiam feriis 2, 3 et 4. Neque dici potest, Epiphanium loqui de festo azymorum secundum Legem, et non secundum consuetudinem, quæ erat tempore suo, aut tempore Christi. Nam loquitur de consuetudine quæ erat tempore Christi ; explicat enim illud *Luc.* 6 : *Factum est in Sabbato secundo primo, et Apostoli ibant per sata, et vellebant spicas*, etc., ac dicit, Sabba, tum secundo primum non vocari septimam diem, quæ est Sabbatum naturale, sed festum azymorum, in quo duo dies erant solemnes, et Sabbata vocabantur, nimirum primus dies azymorum, qui dicitur Sabbatum primum, et septimus dies, qui dicitur Sabbatum secundum, seu secundo primum, quia est æqualis primo, ut apud nos dies octavus in festis quæ habent octavam, quia est solemnis sicut primus, vocari posset dies festus secundo primus. Dicit igitur Epiphanius, diem illum in quo Apostoli vellebant spicas, non fuisse Sabbatum naturale, sed alium diem hebdomadæ, nimirum secundum, tertium, quartum aut quemvis alium, in quem forte inciderat illo anno septimus dies azymorum. » Bellarminus, IV *De Sacram. Euchar.* 8.

naturalem ac civilem, non autem ante diem legalem. Vel etiam *ante diem* potest intelligi in sensu vulgari, quatenus dies a nocte distinguitur. Licet enim immolatio Agni Paschalis fiebat die decima quarta, ad vesperam, tamen dies festus appellabatur, non prima vespera illius diei, seu exordium diei legalis, sed dies decima quinta, quæ erat prima dies solemnis azymorum. Signanter igitur dixit S. Joannes: *Ante diem festum Paschæ*, non vero: *Ante festum Paschæ*. Ita D. Thomas, in IV, dist. 11, q. 2, a. 2, q. 3, ad 1.

628. *Obj.* 2° *Joan.* 18, dicitur de Judæis: *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ergo Judæi nondum Pascha manducaverant quando passus est Christus.

Resp. Dist. maj. Ut manducarent Agnum Paschalem, *nego;* ut manducarent alias victimas cum azymis, *concedo.* Per septem dies azymorum, præter Agnum Paschalem, qui prima die comedebatur, offerebantur et comedebantur aliæ victimæ, scilicet oves et boves, juxta illud *Deuteron.* 16: *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus et bobus.* Manducatio harumce victimarum cum azymis etiam appellabatur Pascha, quod nonnisi a mundis comedi poterat. Ex lege autem Moysis, contaminatio erat Judæis intrare in alienigenæ habitaculum, septem diebus azymorum. Unde S. August., in *Joan.* 18: « O impia cæcitas! Alienigenæ judicis prætorio contaminari timebant; et fratris innocentis sanguinem fundere non timebant. » Vide Josephum, III *Antiquit.* 13. Dici etiam potest, cum S. Chrysost., *Hom.* 28, in *Joan.*, et Theophylacto, in *Joan.* 18, principes sacerdotum prævaricatos esse legem Dei, atque cœnam Agni Paschalis distulisse in sequentem diem, quia quærebant opportunitatem capere Jesum atque dolo tenere. Quia vero celebratio Paschæ opportunissima occasio fuit, ideo tota nocte occupati sunt in negotio mortis Christi procurandæ. Hoc sensu S. Chrysost. et Theophyl. dicunt, Christum comedisse Pascha, pridie quam illud comederent Judæi, id est, non pridie quam populus Judæorum, sed pridie quam sacerdotes et osores Christi, qui tota nocte occupati fuerant in nece Christi.

629. *Obj.* 3° *Joan.* 19, dicitur: *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta.* Christus igitur crucifixus est Parasceve Paschæ. Atqui Parasceve est tempus præcedens Pascham, quo

necessaria ad Paschæ celebrationem parabantur. Ergo Christus mortuus est quando Judæi nondum manducaverant Pascham.

Resp. Dist. min. Parasceve erat præparatio ad Sabbatum, *concedo*; ad esum Agni Paschalis, *nego*. Hoc Parasceve dictum fuit *Parasceve Paschæ*, quia feria sexta illo anno intra festa paschalia occurrebat; festa enim paschalia dicebantur septem dies azymorum. Unde Herodes Petrum in carcere servavit, volens eum post Pascha seu festa paschalia producere populo. Judæi igitur Parasceve appellabant feriam sextam, quia illo die præparabant necessaria ad diem Sabbati. Quocirca, *Marc.* 15 : *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum*; et *Joan.* 19 : *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato; erat enim magnus dies ille Sabbati*, etc. Magnus dicitur, non quod fuerit primus azymorum, ut volunt Græci, sed quia erat inter septem dies azymorum ; ideo propter geminatam solemnitatem Paschæ et Sabbati, dicebatur *magnus*. Ita D. Thomas, in IV, dist. 11, q. 2, a. 2, q. 3, ad 5.

630. *Obj.* 4° Die qua Christus mortuus est, Judæi litigarunt, jus dixerunt, accusarunt Dominum et morte plexerunt. Porro Lex hæc omnia prohibebat diebus festivis, præsertim solemnioribus, sicut erat primus dies azymorum ; nam illis diebus permittebat tantum necessaria ad vitam. Ergo vel Judæi violarunt Legem, vel Christus passus est pridie azymorum.

Resp. Nego min. In primis illa prohibitio facta videtur pro Sabbatis tantum ; imo interdum, ipsomet die Sabbati, quædam judicia ferebantur, ut patet exemplo hominis qui die Sabbati ligna collegerat, et jussu Dei (*Num.* 19), eo ipso die extra castra lapidatus est. Deinde ex Thalmude constat, Judæos fuisse solitos reservare facinorosorum supplicia in proximum solemne festum ; et quia Christum reputabant sceleratissimum, Judæi odio et invidia concitati videntur primum statuisse illum occidere in die festo. Cui consilio mox aliqui refragati sunt, non quia nefas erat, sed quia non expediebat ; nam ita habetur, *Matth.* 26, 4 et 5 : *Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Demum ille populus dura cervice et incircumciso corde, licet Moysis legi addictissimus, tamen non semel illam prætermisit : ut quid igitur non potuerit iterum illam infringere, quando ira rabieque cæciter in Christum actus falsos testes,

proditorem Judam et omnia nefandissima adhibebat media, ut eum morte afficeret?

631. *Obj.* 5° *Marc.* 15, Joseph mercatus est sindonem, et *Luc.* 23, mulieres paraverunt aromata, die mortis Christi. Porro hæc omnia nefas erat agere in festo solemni. Ergo dies quo Christus mortuus fuit, non erat primus azymorum.

Resp. Nego min. In diebus festis prohibebantur opera servilia, non autem alia, maxime opera pietatis et charitatis ; nam *Exod.* 12, 16, de azymis dicitur : *Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis : nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Unde Christus plura hujusmodi opera ac stupenda miracula fecit ipsomet die Sabbati ; et Pharisæorum hypocrisim palam adduxit et vehementer illorum proterviam retudit. Porro quæ spectabant ad sepulturam mortuorum, maxime ad sepulturam Christi, erant opera pietatis et charitatis. Ergo.

632. *Obj.* 6° Oportebat Agnum Paschalem manducare stando, *Exod.* 12. Porro Christus, in ultima Cœna, recubuit cum suis discipulis. Ergo aut non manducavit Agnum Paschalem, aut non observavit Legem.

Resp. 1° *Dist. maj.* In prima Pascha facta in Ægypto, cum jam Israel nocte egressurus erat, *concedo ;* in sequentibus paschis, negari potest cum multis Rabbinis, inter quos Maïmonides, qui sentit, ritus præscriptos, *Exod.* 12, sicut comedere stando, renibus præcinctis, et baculo in manibus, obligare solum in illa prima pascha. Unde Suarez, Baronius, Jansenius et non pauci alii tenent, saltem ut valde probabile, quod recumbendo ipsam cœnam legalem celebraverit ; et hæc interpretatio, aiunt, magis consonat verbis SS. Matthæi, Marci et Lucæ.

Resp. 2° *Nego min.* Recubuit Christus in ultima Cœna ; sed cum manducatio Agni Paschalis præcesserit Eucharistiæ institutionem, nihil, sive in Evangeliis, sive in traditione, occurrit quod suadeat, Christum non implevisse Legem ; dum non sunt levia testimonia in oppositum suadentia, quæ liturgia Romana compendiose reddit, uti videre est supra (620).

633. *Obj.* 7° Secundum Legem, dies Pentecostes celebrabatur die quinquagesimo a secundo die azymorum, ut patet *Levit.* 23. Atqui anno quo Dominus mortuus est, dies Pentecostes fuit in Dominico die, ut colligitur ex Ecclesiæ traditione. Ergo etiam

secundus dies azymorum fuit in Dominico die ; nam si numerentur quinquaginta dies a secundo azymorum inclusive, ut Lex præcipit, necessario fiet, ut in eodem die hebdomadæ occurrat Pentecostes, in quo occurrit secundus azymorum. At si dies Dominicus fuit secundus azymorum; ergo dies Sabbati fuit primus azymorum. Ergo dies Passionis fuit ante diem azymorum.

Resp. Dist. maj. A secundo die profano, *concedo ;* si secundus dies esset festus, *nego.* Si enim secundus dies azymorum esset festus, uti occurrebat quando primus dies contingebat in parasceve Sabbati, tunc a tertio die azymorum numerandi erant dies Pentecostes. Quia igitur anno quo Dominus mortuus est, secundus dies azymorum fuit Sabbatum, propterea, illo anno, a tertio die azymorum, qui fuit die Dominico, qui apud Judæos profanus est, numerari cœperunt dies Pentecostes ; et inde factum est, ut in diem Dominicum incideret, illo anno, Pentecostes. Bellarm, IV *De Sacram. Euchar.* 9. Difficultates ex Patribus petitas ibi solutas reperies.

PARAGRAPHUS II

DE CONVENIENTIA TEMPORIS QUO CHRISTUS EUCHARISTIAM INSTITUIT

634. Convenientissimo tempore fuisse institutam Eucharistiam, patet, quum instituta fuerit a Christo, qui est Sapientia Dei, quæ attingit a fine ad finem omnia fortiter ac suaviter. Cujus temporis congruentias optime exposuerunt SS. Patres, præsertim S. Cyprian., *Serm. De Cœna Domini;* S. Chrysost., *Hom.* 83 *in Matth.*, et 28 in I *Cor.*; S. Hieron., *in Matth.*, 26; et S. August., *Epist.* 118 *ad Januarium.* Illas compendiose simul ac luculenter tradit D. Thomas, 3 p. q. 7, a. 5.

635. « Convenienter hoc sacramentum institutum fuit in Cœna, in qua scilicet Christus ultimo cum suis discipulis fuit conversatus. *Primo* quidem ratione continentiæ hujus sacramenti : continetur enim ipse Christus in Eucharistia sicut in sacramento. Et ideo quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit ; sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda ejus imago... *Secundo*, quia, sine fide passionis Christi, nunquam potuit esse salus, secundum illud *Rom.* 3, 25 : *Quem propo-*

suit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentativum Dominicæ passionis ; cujus in veteri quidem Testamento præcipuum sacramentum erat Agnus Paschalis. Unde et Apostolus dicit, I *Cor.* 5, 7 : *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Successit autem ei in novo Testamento Eucharistiæ sacramentum, quod est memorativum præteritæ passionis, sicut et illud fuit præfigurativum futuræ. Et ideo conveniens fuit ut, imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum institueret... *Tertio*, quia ea quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos ; ea vero ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur, ut B. Alexander I Papa dicit, *Epist. 1 ad omnes orth.*, cap. 4, nihil in sacrificiis majus esse potest quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, ideo, ut in majori veneratione haberetur, Dominus in ultimo discessu suo a discipulis hoc sacramentum instituit. »

PARAGRAPHUS III

PERPENDUNTUR TRES CIRCUMSTANTIÆ INSTITUTIONIS

Quæritur 1° utrum lotio pedum præcesserit institutionem Eucharistiæ ?

636. Alii, ante legalem cœnam, alii, inchoata legali cœna, alii, finita utraque cœna, alii, jam inchoata usuali cœna, alii demum inter utramque cœnam, et ante Eucharistiæ institutionem, factam fuisse lotionem pedum æstimant. Hasce omnes sententias perpendit Suarez, In 3, disp. 41, sect. 2, atque ultimæ adhæsit. Lotio enim pedum non fiebat ante cœnam legalem, ut patet historia, moribus ac legibus Judæorum ; sed mos illius temporis regionisque erat hospitibus lavare pedes, ante commune convivium, sicut patet verbis Christi occasione Magdalenæ in domo Simonis. Illam enim lotionem præivisse Eucharistiæ institutioni, communior est sententia Patrum ; ita enim docent SS. Ambros., August., Damasc., Bernard., Thomas, etc. Per ipsam enim Christus voluit significare animæ mundationem, quæ ante Eucharistiæ sumptionem præmittenda est ; unde

S. Cyprian., *Serm. De lotione pedum,* dicit, per ipsam fuisse adumbratum Pœnitentiæ sacramentum.

Quæritur 2° utrum Eucharistia fuerit instituta, præsente Juda, vel postquam a cœna discessisset?

637. S. Hilarius, Rupertus, Tatianus, et alii pauciores opinati sunt, Eucharistiam fuisse institutam, absente Juda, quia jam notus erat tanquam proditor, quando Christus Eucharistiam instituit ; et hinc non debuit illum communicare.

Sed opposita sententia, quæ communissima est, videtur certa, et constat Scriptura, traditione et liturgia. Nam S. Lucas narrat, Christum, postquam discubuerit cum duodecim, consecrasse ac dedisse mysteria, atque refert, ipsum dixisse inter Sacramenti porrectionem : *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est;* ergo præsens erat Judas, sicut aperte indicat particula *verumtamen*. Hæc verba Christus protulit, ut cor Judæ emolliret, ne indigne communicaret, sed resipisceret. Deinde fuit ordinatus sacerdos sicut et cæteri Apostoli, per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem,* nam B. Petrus, *Act.* 1, de Juda dicit : *Episcopatum ejus accipiat alter*. Ita docent S. Dionysius, Origen., S. Ambros., S. Hieron., S. August., S. Leo Magn., et fere omnes Patres, uti videre est apud Suarez, In 3, disp. 41, sect. 3, n. 4. Unde Ecclesia recinit :

> Cibum turbæ duodenæ
> Se dat suis manibus.

638. Hinc immerito Baronius, anno 34 *Annalium*, dicit, Christum communicasse Judam quando panem intinctum ei porrexit ; alias enim patefecisset crimen ejus ; quod erat contra finem a Christo intentum, siquidem, ut docet D. Thomas, 3 p. q. 81, a. 2, Christus voluit, in hac re gravissima, dare exemplum prælatis Ecclesiæ quomodo circa peccatores occultos se gerere debeant. Unde Julius Papa I (Vide cap. *Cum omne crimen, De Consecr.* dist. 2) docet, Christum communicasse Judam antequam ei buccellam porrexerit. Tunc quidem Satanas intravit in ipsum, sed jam, ante Satanam atque ante communionem, intraverat peccatum.

Immerito etiam Baronius, Cornelius a Lapide (in I *Cor.* 11) et alii pauciores sentiunt, fuisse institutum Sacramentum, finita

penitus cœna usuali ; alias enim non fuisset institutum antequam Judas buccellam panis acceperit discesseritque. Præterea Evangelistæ dicunt : *Cœnantibus autem illis*. Unde cum egressus fuerit Judas, postquam ei dixisset Jesus : *Quod facis, fac citius*, cæteri discipuli existimarunt quod Judas exibat ad emendum cibos ad cœnam ; quod certe non cogitassent, si jam penitus finita fuisset cœna.

Quæritur 3° an Eucharistia fuerit instituta ante cœnam usualem, vel ipsa durante ?

639. Non potest tam certe affirmari, imo Bellarminus (IV *De Sacram. Euchar.* 27, ad 2) et alii sentiunt, Christum consecrasse panem inter cœnam legalem, vinum autem, post finitam omnino cœnam, multis interpositis aliis rebus et actionibus. Sed hæc opinio parum consonat menti conc. Tridentini, quod, sess. 22, cap. 1, dicit : *Celebrato vetere Paschate, novum instituit.* Minus etiam consonat liturgiæ, nam Ecclesia Romana canit :

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis.

640. Ideo probabilius est quod Christus consecraverit panem et vinum, finita legali, et nondum incepta usuali cœna, licet probabilis sit sententia quæ tenet, institutionem factam fuisse cum jam incepta esset usualis cœna. Ita aperte docet S. Damascenus. Verba *cœnantibus illis* possunt eo intelligi sensu quod inter legalem et usualem facta fuit, nam utrumque Evangelia per modum unius recensent. Vel probabilius, quia recumbentibus jam ad cœnandum, et mensa jam instructa et parata, ab hoc mysterio inchoatum est. Hæc interpretatio plane consonat Scripturæ, et magis Eucharistiæ sanctitatem decet ; videtur enim aliquatenus dedecere hoc divinissimum sacramentum, quod inter vulgares et communes epulas fuerit institutum.

641. Videtur etiam probabilius quod Christus vinum consecraverit statim post panem, et non usque ad finem cœnæ usualis protraxerit illius consecrationem ; alioqui non fuisset per modum unius factum totum mysterium, neque modo apto ad componendum unum signum. Aliunde vinum consecratum sumpsit Judas, atque sacerdos ordinatus fuit, sicut et cæteri Apostoli, cum Christus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem ;*

hæc verba protulit post vini consecrationem, scilicet absoluta Eucharistiæ confectione. Porro Judas egressus est quum nondum finita esset cœna usualis. Ergo.

Unde SS. Matthæus et Marcus æque de calice ac de pane dicunt : *Cœnantibus autem illis;* et S. Lucas refert, Christum, post calicis consecrationem, dixisse : *Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa ;* et omnes Evangelistæ referunt utramque consecrationem per modum unius actionis continuæ. Quod vero dicitur, *Luc.* 22, et I *Cor.* 11 : *Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens,* etc., de toto mysterio intelligendum est, quia adverbium *similiter* ad totum refertur, scilicet quemadmodum panem post cœnam legalem consecraverat, ita et consecravit calicem. Eodem sensu, in canone Missæ, dicitur : « Simili modo, postquam cœnatum est, etc. » Unde verba *cœnantibus illis*, quæ SS. Matthæus et Marcus referunt, SS. Lucas et Paulus prætermiserunt. Et sic patet cur possint intelligi de utraque cœna simul sumpta ; vel de cœna usuali tantum ; sed in hac ultima hypothesi SS. Lucas et Paulus ad cœnam legalem referunt verba *postquam cœnavit.* Fortasse propter hoc S. Lucas duos calices commemorat : de alio quidem supra dixerat : *Accipite et dividite inter vos*, quem aliqui dicunt esse typum veteris Testamenti [1]. Alterum vero, post panis fractionem et distributionem, partitur Christus discipulis. Quocirca subditur : *Similiter et calicem postquam cœnavit.* Ita Theophylactus, citatus a D. Thoma in *Catena aurea.*

ARTICULUS II

DE CAUSA INSTRUMENTALI SEU DE MINISTRO EUCHARISTIÆ SACRAMENTI

Eucharistiæ sacramentum consistit essentialiter in re permanenti, cætera vero consistunt in usu, et neutiquam confici possunt, quin eo ipso dispensentur ; dum Eucharistiæ sacramentum

[1] Antiqua Hebræorum ritualia docent, quod, peracta cœna, paterfamilias accipiebat tortam azymam, eamque frangebat in tot partes quot erant discumbentes, sicque divisam singulis porrigebat. Deinde poculum accipiebat, benedicebat, gustabat, gustatum dabat proximo, qui dabat vicino suo, et sic deinceps, donec per omnes circumferretur.

conficitur priusquam dispensetur. Quapropter distinguitur minister conficiens, et minister dispensans Eucharistiam.

PARAGRAPHUS I

DE MINISTRO CONFECTORE EUCHARISTIÆ

SECTIO I

QUISNAM SIT MINISTER CONSECRATIONIS EUCHARISTIÆ?

642. ERRORES. *Primo*, quidam hæretici quos memorat Tertullianus, *De Præscriptione* 41, potestatem consecrandi Eucharistiam et alia sacerdotalia munia laicis injungebant. Hunc errorem maxime Collyridianis et Pepuzianis attribuunt S. Ephiphan., *Hæres.* 79, et S. August., *Hæres.* 27.

Secundo, Valdenses omnia sacerdotalia munera posse licite ac valide exerceri ab omnibus Christianis, et etiam a mulieribus, dummodo probitate et gratia sanctificante fuerint instructæ, effutierunt.

Tertio, Lutherus, in variis operibus, sed præsertim in opere *De captivitate Babylonica*, docet, omnem christianum, vi Baptismatis, habere radicitus potestatem consecrandi Eucharistiam, sed rationem ordinis ac tranquillitatis expostulare, ut potestas sacerdotalis non exerceatur, nisi ab his quos ad hunc usum deputat Respublica. Excipit casum necessitatis, in quo unusquisque paterfamilias potest panem et vinum consecrare ac suæ familiæ dispensare. Huic sententiæ astipulatus est Grotius, in dissertatione *De Cœnæ administratione, ubi pastores non sunt.*

PROPOSITIO

Soli sacerdotes possunt valide Eucharistiam conficere.

643. PROB. 1° *Scriptura. Lucæ* 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc verba protulit Christus postquam consecraverit Eucharistiam. Unde sic : Illi soli habent potestatem conficiendi Eucharistiam, quibus illam Christus contulit ; nam est omnino supernaturalis, et nemo super Christi corpus et sanguinem potestatem habet, nisi ei data sit a Domino. Porro Christus illam contulit solis sacerdotibus ; ipsam enim dedit iis tantum quos tunc alloquebatur, scilicet Apostolis et eorum successoribus

in dignitate sacerdotali ; successores autem eorum in hac dignitate non sunt nisi sacerdotes qui ab ipsis potestatem acceperunt per ordinationem. Ergo. Unde S. Justinus Martyr, *Apologia* 2 : « Apostoli in suis scriptis, quæ vocantur Evangelia, sic sibi mandasse Jesum tradiderunt, sumptoque pane, actisque gratiis, dixisse : *Hoc facite in meam commemorationem.* »

Hebr. 5 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Ideo ille solus conficit, qui ad hoc munus eligitur et assumitur a Deo. Porro, non omnes Christiani, sed solus sacerdos eligitur et assumitur a Deo ; alioqui frustra Apostolus dixisset : *Ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Frustra quoque dixisset : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Ergo.

Confirmatur, quia Aaron jam erat de populo Israelitico, et tamen vocatur a Deo et inungitur, ut fiat sacerdos. Ergo a fortiori sacerdos novæ Legis debet vocari, eligi et inungi ad munia sacerdotalia obeunda ; Lex enim vetus erat tantum umbra et figura novæ Legis, et tamen nemo sacerdos in ipsa erat, nisi prius electus fuisset atque peculiari ritu consecratus : unde, I *Reg.* 13, vehementer a Samuele reprehenditur Saul quod stulte ageret, attentans sacrificare in casu necessitatis ; et propter hoc fuit rejectus a Deo : et, II *Paral.* 26, Ozias, ob eamdem causam, lepra percutitur. In lege naturæ, quia fides implicitior imperfectiorque erat, nemo consecrabatur sacerdos peculiari sacramento et ritu. In lege autem scripta, quia jam fides evaserat explicitior, et populus Dei magis adumbrabat populum christianum, Deus tribu Levi segregavit ad munus sacerdotale; a fortiori hoc Deus præstitit in lege gratiæ, quæ est consummatio Legis ac fidei.

644. 2° *SS. Patribus.* S. Clemens, II *Const. Apost.* 28, alias 31, dicit, laicum qui sine sacerdote tentat sacrificare, vel offerre, nihil facere. — S. Dionys., *De Eccles. hierarchia* 5 :

« Nec ipse (christianus) sacerdos erit, nisi pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus. » — S. Epiphan., *Hæres.* 79 : « Neque diaconis ecclesiastica regula concreditum est peragere Sacrificii mysteria, sed ministrare tantum dum perficiuntur. » S. Hieron., *Contra Luciferianos,* part. 2, de Hilario diacono et Luciferiano dicit : « Neque Eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens. » Et, *Epist. ad Heliodorum,* sacerdotes super clericos maxime commendat, quia « corpus Christi sacro ore conficiunt. » Ita cæteri Patres omnes, qui, ubicumque agunt de efficacia verborum Christi, simul cum verbis sacerdotalem dignitatem et potestatem conjungunt et exaggerant, sicut latius prosequitur S. Chrysostomus in toto opere *de Sacerdotio,* sed maxime in capite 3. Notissima sunt verba S. Augustini (vel, juxta quosdam, S. Greg. Magni) quæ sacerdos in gratiarum actione post Missam recitat : « O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur ! Felices sacerdotes, etc. »

645. 3° *Conciliis.* Nicænum I, can. 18, prohibet ne diaconi præsumant communionem presbyteris dispensare, quia « nec canon, nec consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi potestatem non habent, his qui offerunt dent corpus Christi. »

Lateran. IV, cap. *Firmiter* : « Hoc sacramentum nemo potest conficere, nisi solus sacerdos qui fuerit rite ordinatus. »

Tridentinum, per totam sess. 22 et 23, et signanter can. 2, sess. 22 : « Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes ; aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum ; anathema sit. » Vide etiam canones 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7, sessionis 23.

646. 4° *Praxi Ecclesiæ.* Luculentissimum est testimonium hujus veritatis ordinatio sacerdotum ; sacramentum enim Ordinis primario ac præcipue respicit SS. Eucharistiam, atque ex hoc fonte veluti diffluit ratio cur sacerdotes in cætera sacramenta potestatem habeant. Quapropter in forma ordinationis presbyteri explicite confertur tantum potestas conficiendi sacram Eucharistiam, quatenus per ipsam omnis alia sacerdotis potestas radicaliter confertur : « Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis, In nomine Domini. »

Deinde Ecclesia, ne in urgentissima quidem necessitate, permisit ut Eucharistia ab alio quam a sacerdote conficiatur ; econtra diligentissime ab ipsa cautum est tum legibus, tum hortationibus, ut plebs christiana sacerdotibus non careat, ne pane eucharistico defraudetur.

5° *Præscriptione.* Huc redit idem argumentum præscriptionis ac supra, tum pro præsentia reali, tum pro transsubstantiatione.

647. *Ratione. Primo, ex Ecclesiæ institutione.* Ecclesia est societas perfecta, in qua Christus ipse immediate constituit auctoritatem tanquam ejus formam, sicut late ostensum est in tractatu *de Ecclesia.* Porro potestas sacerdotalis est principium ratioque totius auctoritatis in Ecclesia Dei existentis, sicut etiam ostensum est ubi de Ecclesiæ et Pontificis Romani dotibus, necnon in tractatu de Incarnatione, ubi de titulis Christi. Propterea visibile Ecclesiæ caput, in quo residet plenitudo potestatis Ecclesiæ, communiter appellatur Summus Pontifex, non vero Summus Doctor aut Legislator. Ergo.

648. *Secundo, ex dignitate Eucharistiæ.* Eucharistia est excellentissimum ac divinissimum omnium sacramentorum ; et tamen non est necessitatis medii sicut Baptisma. Ergo valde congruum fuit, ut ad illud ministri singulari modo consecrarentur ac sanctificarentur.

649. *Tertio, ex falsis suppositis.* Hæretici quos impugnamus, duplici falso innituntur fundamento ; nam primum dicunt, omnem Christianum, vi Baptismatis, habere radicalem potestatem conficiendi Eucharistiam : porro Baptisma imprimit characterem, vi cujus baptizatus habet quidem potestatem passivam seu capacitatem suscipiendi sacramenta, non vero potestatem activam conficiendi illa, sicut dictum est in tractatu *De sacramentis generatim.* Ergo. Deinde supponunt, non esse sacramentum Ordinis in Ecclesia Christi. Porro tum Scriptura, præsertim Actibus et Epistolis Apostolorum, ubi ipsi diaconos, presbyteros et episcopos ordinant per manuum impositionem ; tum Patribus et Conciliis ; tum etiam gestis Ecclesiæ, clarius luce constat, Ordinis sacramentum semper fuisse in Ecclesia Christi tanquam fundamentale dogma. Unde, quia res est maximi momenti, ordinationes a Pontificibus Romanis factas Ecclesia sedulo scriptis consignavit, sicut videre est in Martyrologio Romano;

imo peculiari festivitate celebravit ordinationem quorumdam virorum, doctrina et sanctitate percelebrium, ut patet pro SS. Ambrosio, Augustino, etc. [1].

SECTIO II

NUMERUS MINISTRORUM AD CONFICIENDAM EUCHARISTIAM

Hic obiter inquirere solent theologi an plures sacerdotes possint valide ac licite eumdem panem idemque numerice vinum consecrare omnes simul?

I. — Quoad validitatem.

650. Quoad validitatem non potest moveri dubium, quia neomystæ consecrant cum Episcopo eamdem numerice materiam, simul cum ipso proferentes super illam moraliter præsentem verba consecrationis. Unde ut omnes verba *per modum unius* proferant, Rubrica Pontificalis Romani monet Episcopum ut « secretas morose dicat, et aliquantulum alte, ita ut ordinati sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem. » In consecratione Episcopi, apud Latinos, consecratus et consecrator simul consecrant eamdem hostiam idemque vinum, et consecrator non totum sanguinem sumit, sed solum partem ejus cum particula hostiæ in calicem missa; deinde communicat consecratum, prius de corpore, tum de sanguine Christi. Apud Græcos, quia non licet plures, eadem die, missas celebrare super idem altare, si plures sint in eodem loco sacerdotes, et unum altare, omnes simul celebrant Missam *per modum unius*. Ita fert eorum ritus, quem Pontifices Romani confirmarunt sua Apostolica auctoritate; quod iterum solemniter præstitit Benedict. XIV, die 24 decemb. 1743, in constitut. *Demandatam*, § 8 : « Simili modo nullam innovationem fieri decrevimus in eo quod respicit celebrationem sacrosancti Missæ sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet altari offerri, veterum sanctorum Ecclesiæ Græcæ Patrum præcepto et consuetudine traditum est : propterea minime indulgendum censuimus petitioni per eumdem patriarcham

[1] Difficultates solutas reperies in tractatu *de Ecclesia*, ubi de constitutione Ecclesiæ.

nobis porrectæ, qua postulaverat, ut ad satisfaciendum pietati sacerdotum, et multiplicibus fidelium oblationibus, prædictum ritum antiquitate commendatum immutari permitteremus. » Et § 9 : « Si autem altarium numerus celebrantium et offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus sacerdotibus, ubi hujusmodi consuetudo viget, super eodem altari una cum Episcopo, vel alio sacerdote Sacrificium peragente celebrare ; ita tamen, ut sacris vestibus more celebrantium induti, unusquisque totam liturgiam integre recitet, et verba consecrationis proferat, perinde ac si sacrosanctum Sacrificium singulatim conficerent. »

Ratio a priori patet, quia sicut in naturalibus plura agentia interdum concurrunt simul ad unum et eumdem effectum producendum, ad quem tamen unumquodque illorum sufficeret; ita possunt plures ministri suum concursum et verba ita attemperare, ut unum et idem numero sacramentum conficiant.

II. — Quoad licitatem.

651. Falsa ac temeraria sententia. Durandus et alii quos citat Suarez, existimant, illicitum esse, ut plures sacerdotes eumdem panem idemque numerice vinum simul consecrent, quia vix possibile est ut conficiatur hoc modo, quin irreverentia contra venerabile Sacramentum committatur. Nam moralis simultas in variis formæ prolationibus non sufficit, sed requiritur simultas physica, quæ fere impossibilis est. Verba, inquiunt adversarii, statim sunt operativa quam significantia. Porro significantia sunt statim ac absolvuntur ; operantur enim quando habent *esse* suum, non vero quum jam transierunt ; suum autem habent *esse* quando profertur et auditur ultima formæ syllaba. Ideo qui primus absolvit formam, solus vere consecrat, non vero cæteri ; sicut in naturalibus, agens quod operatur post aliud in effectum jam productum, nullatenus in illius productionem influit, licet detur simultas moralis in concursu. Unde Durandus et alii inferunt, esse abolendam consuetudinem Ecclesiæ Romanæ et Græcorum, ob multa et fere ineluctabilia pericula quibus necessario obnoxia est. Sed jure Suarez et De Lugo hanc sententiam habent veluti temerariam, utpote oppositam consuetudini Ecclesiæ Romanæ, a multis Pontificibus sancitæ.

PROPOSITIO

Praxis Ecclesiæ qua plures sacerdotes simul eumdem panem eumdemque calicem consecrant, est licita.

652. Prob. 1° *Ipsamet Ecclesiæ praxi.* Prorsus est licita, et non potest sine temeritate damnari praxis quam bene perspectam habet ac tolerat Ecclesia Romana, alma Mater ac Magistra omnium Ecclesiarum. Atqui ita se habet praxis de qua agitur. Ergo. Confirmatur, tum quia agitur de re gravissimi momenti, maxime pertinente ad cultum divinum, circa quem Ecclesia potitur dono infallibilitatis; tum quia hæc praxis videtur apostolica, siquidem jam occurrit in Constitutionibus Apostolicis.

653. 2° *Summis Pontificibus.* Pontifices Romani, qui dono inerrantiæ insigniuntur circa cultum divinum, qui est perfectior fidei expressio, non tantum illam praxim tolerarunt, sed etiam expresse ac solemniter confirmarunt pluries, maxime Clemens VIII, qui jussit eam ubique retineri, et Benedictus XIV, in constitutione *Demandatam*, supra citata, et iterum in celeberrima constitutione *Allatæ sunt*, § 38 : « Communis olim fuit Occidentali æque ac Orientali Ecclesiæ ritus, ut presbyteri una cum Episcopo Missæ sacrificium offerrent : hujus rei documenta congesta fuerunt a Christiano Lupo in *Appendice ad Synodum Chalcedonensem*.... Concelebrandi ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia abolevit, præterquam in ordinatione sacerdotum, quam peragit Episcopus, et in consecratione Episcoporum, quæ ab Episcopo cum duobus aliis episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis presbyterorum cum Episcopo, aut cum alio sacerdote, qui primi celebrantis personam sustinet; isque usus refertur ad Constitutiones quæ *Apostolicæ* nuncupantur, lib. 8, et ad canonem octavum ex iis qui *Apostolici* dicuntur. Porro ubicumque ea consuetudo inter Græcos et Orientales viget, non modo approbatur, sed etiam custodiri præcipitur, ut constat ex eadem constitutione nostra, superius allegata, *Demandatam*, § 9. »

654. 3° *Ratione. Primo, ex significatione potestatis.* Praxis Ecclesiæ Romanæ in ordinatione presbyterorum et consecratione episcoporum videtur significare æqualitatem potestatis

cum Episcopo, quam unusquisque sortitur ex ordinatione sua ad consecrandum; ratione enim consecrationis corporis et sanguinis Domini, simplex sacerdos non minori potitur potestate quam Episcopus vel etiam Papa. Unde sicut subdiaconus Epistolam, et diaconus Evangelium in missa Ordinationis legit, in signum potestatis acceptæ; ita presbyteri celebrant Missam una cum Episcopo, in signum potestatis acceptæ.

655. *Secundo, ex significatione Cœnæ Domini.* « Sicut Apostoli Christo cœnanti concœnaverunt, ita novi ordinati Episcopo ordinanti concelebrant. » 3 p. q. 82, a. 2, o. « Nec obstat quod Apostoli non consecraverint cum Christo, sed tantum de consecratis per eum participaverint; non enim decebat eos simul cum eo consecrare, ut sic manifestum constaret quod ipse solus sit Sacramenti auctor et institutor. Recte tamen novi sacerdotes cum Episcopo ordinante concelebrant et consecrant, in signum potestatis quam Christus concœnans suis discipulis, eis dedit, et quam ipsi novi sacerdotes, eorum in sacerdotio successores, jam acceperunt. » Sylvius, in dictum articulum.

656. *Tertio, ex falso adversariorum fundamento.* Adversarii requirunt, ex parte formæ, unitatem physicam, ita ut singula verba a singulis prolata adamussim coincidant; unde si levissima morula distarent inter se, jam non consisteret unitas signi, et sic multa enascerentur incommoda. Atqui ratio signi, non physice, sed moraliter habenda est; neque mensuratur ac determinatur ope instrumentorum physicorum, sed ex usu recepto. Ideo, quia omnes concelebrantes, *per modum unius*, in persona Christi celebrant, satis est, ut omnes vere conficiant, quod verba ab ipsis prolata censeantur unum et idem signum moraliter sumptum, sicut fit in officio quod a pluribus simul cantatur in choro. Quod a fortiori locum habet in Eucharistiæ confectione, nam « sacerdos non consecrat, nisi in persona Christi; multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum, aut per multos hoc sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiæ servare. » 3 p. q. 82, a. 2, ad 2.

COROLLARIA

657. Hinc 1° mihi non videtur probanda sententia Suarezii, Sylvii, Billuarti, S. Alphonsi et aliorum, qui dicunt, concele-

brantes cum Episcopo, vel sacerdote principaliter celebrante, debere conditionalem elicere intentionem, scilicet consecrandi, si verba absolvant una cum Episcopo, vel principaliter celebrante, secus, non. *Primo* enim conditio non est apponenda sine gravi ac probabili fundamento. Porro, si concelebrantes ordinariam adhibeant diligentiam, non occurrit hujusmodi fundamentum. Quocirca Ecclesia monet quidem ordinantes ut diligentissime curent proferre verba simul cum Episcopo, sed non monet de conditione apponenda; quod tamen verisimiliter fecisset, si, adhibita communi diligentia et cura, adhuc superessent incommoda quæ reformidant adversarii.

Secundo, conditio non potest apponi nisi super materia dubia. Porro dum ponitur ante consecrationem, materia non est dubia. Ergo. Deinde, sicut ipsimet adversarii docent, ubi de sacramentis in genere, non licet ponere conditionem de futuro, ubi agitur de sacramentorum confectione. Porro conditio posita ante verborum prolationem est certe de re futura. Ergo.

658. Hinc 2° rectius sequentem praxim tradit Benedictus XIV, III *De sacrificio Missæ*, cap. 16, n. 7 : « Tutissima videtur esse Cajetani sententia, qui monet ut ordinati intentionem habeant proferendi verba eo modo quam possunt accommodatissimo, omne studium et diligentiam adhibentes ne ea proferant ante Episcopum. Et Pasqualigus, *Decis. moral.*, 422, monet ordinatos ut quam possunt diligentissime proferant consecrationis verba cum Episcopo, expressam intentionem habentes consecrandi eamdem hostiam eumdemque calicem simul cum Episcopo ; idque satis esse, nec anxie laborandum de absurdis quæ proponunt doctores ; ea enim satis sublata esse videri, si consideremus, Episcopum esse præcipuum consecrantem, sacerdotes vero ad eamdem consecrationem tanquam accessarios concurrere ; ac formam quam ipsi proferunt cum Episcopo, moraliter esse cum ea conjunctam quam ipse profert Episcopus. Ex quo fit ut etiamsi sacerdotes paulo ante, vel paulo post Episcopum formam expleverint, ea tamen censenda sit tanquam prolata moraliter una cum Episcopo, ac unam eamdemque constituat consecrationem. » Deinde doctissimus Pontifex dicit cum Innocentio III (IV *De mysteriis Missæ* 25) et D. Thoma (3 p. q. 72, a. 2, o) quod sacerdotes concelebrantes, sive prius, sive posterius proferant verba, debere suam intentionem referre ad

instans prolationis Episcopi vel præcipui celebrantis cui concelebrant.

Propter hoc tamen merito intolerabilem De Lugo appellat incuriam aliquorum, qui jubent ut ordinati expectent, non solum usquedum Episcopus incipiat, sed absolvat prius singula verba; tunc enim, juxta multos, certo non conficiunt; juxta alios, res dubia fit: quod utrumque incommodum sedulo arcendum est a confectione Sacramentorum, quantum fieri potest.

659. *Dices* : Praxis ferendi intentionem ad instans prolationis præcipui celebrantis neutiquam probanda est, quia verba de præsenti non possunt, nisi mutata ipsorum significatione, referri ad aliud instans. Deinde, si hæc relatio sufficeret, non esset cur tantopere curaret Ecclesia et præciperet ut omnes eodem momento verba absolverent. Ita Suarez, De Lugo, et alii.

Resp. Illa gemina difficultas duplici innititur falso supposito. Nam in primis verba concelebrantium unam et eamdem numerice formam constituunt, non vero plures; siquidem omnes eadem verba proferunt *per modum unius* moraliter, et quum sit unus principaliter celebrans, qui est veluti principium unitatis concelebrationis, unde fit ut prolationes concelebrantium veluti inhæreant ejus prolationi tanquam accessoriæ, et cum ipsa eumdem effectum physice influunt. Consequenter debent etiam intentionem suam referre ad prolationem præcipui celebrantis. Ecclesia sollicita est, ut omnes celebrantes proferant simul, tum ut habeatur unitas moralis prolationis, et non audiatur duplex prolatio, tum etiam ut quam maxime perfecta sit ista unitas; nam etiam in ipsa morali unitate varii esse possunt gradus, quorum superiores attingere eniti debent concelebrantes, ut eo ipso pulchrior perfectiorque sit formæ prolatio.

Quæritur an singuli concelebrantes possint eleemosynam accipere missamque applicare ei qui eleemosynam largitus est ?

660. *Resp*. 1° Si concelebrantes sint omnes simplices sacerdotes, sicut interdum contingit in Orientali Ecclesia, theologi communiter tenent, illos posse singulos applicare Missam pro diversis, et ita eleemosynam lucrari. Ita Suarez, In 3, 79, sect. 12; De Lugo, *De sacram. Euch*., disp. 19, sect. 12, n. 252; Benedictus XIV, lib. III *De sacrificio Missæ*, cap. 16, n. 10. In consti-

tutione *Demandatam*, § 10, ita decrevit : « Hujusmodi autem Sacrificium singuli sacerdotes, juxta mentem eorum qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare. »

661. 2° Pro sacerdotibus noviter ordinatis et cum Episcopo concelebrantibus, aliqui dubitant, inter quos La Croix. Attamen mihi videtur *ex se* certum quod singuli per hujusmodi celebrationem valeant lucrari eleemosynam irrogatam ; quia vere ac proprie celebrant sicut et sacerdotes Græci qui plures simul celebrant, juxta ritum suum. Dico *ex se*, quia si ille qui dat eleemosynam petat missam solitam ad altare celebrari et consummari, aut si præsumi potest, futurum fuisse exclusurum hunc celebrationis modum, si illum novisset quando eleemosynam dedit, tunc celebrans non satisfacit obligationi quam inivit per quasi contractum, ut patet ; nam hic modus est extraordinarius, et ideo non acceptatur per hoc quod conceditur eleemosyna. Si autem moraliter certum sit, illum consentire, tunc nulla fit illi injuria. Pro hac sententia stare videtur Benedictus XIV : « In Ecclesia Occidentali, quando sacerdotes cum Episcopo celebrabant, oblationum erant participes ; oblationibus vero cum successerit eleemosyna, facile intelligi potest, ubi etiamnum vigeat ritus concelebrationis, non posse celebrantem privari jure suo accipiendi eleemosynam pro missa ei applicanda qui eleemosynam præbet, quique præsertim probe est conscius, sacerdotem eo modo missam concelebrare. » *III De sacrif. Missæ.* cap. 16.

PARAGRAPHUS II

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ DISPENSATORE

SECTIO I

QUINAM POSSUNT EUCHARISTIAM DISPENSARE ?

662. Prænotandum. Ut omnis æquivocatio ac dubium arceatur, advertere oportet, aliud esse hoc sacramentum ex potestate distribuere, aliud vero ipsum tangere, deferre, et ad os sumentis applicare ; hæc enim duo, quamvis hodie non separentur, tamen distincta ac separabilia sunt. Quippe in ultima Cœna fuerunt separata, in qua solus Christus fuit proprius dispensator hujus sacramenti ; atqui tamen probabilius est quod obtulerit catinum tantum, et Apostoli panem consecratum propriis manibus sumpserint. Quod pro calice evidentius est ex his verbis :

Accipite et dividite inter vos. Unde antiquitus sacra hostia porrigebatur in manu communicantium, quam mulieres accipiebant in Dominicali, mundissimo linteo, et deinde ad os suum admovebant ; imo aliquando deferebant in domos suas, præsertim sæviente persecutione, et propriis manibus se communicabant.

Sed hæc omnia se habent potius per modum usus passivi seu receptionis, quam per modum usus activi seu dispensationis ; nam proprie ac formaliter dispensare sacram Eucharistiam est actus quo ipsa adscribitur tali vel tali fideli ; cætera quæ subsequuntur illud decretum et consilium, spectant potius ad dispensationis executionem. Ut, si quis dives paterfamilias decernat eleemosynam faciendam, atque suo filio aut servo jubeat talem pecuniam tali pauperi tribuere.

Sed quæri potest quisnam, ex jure divino, quisnam vero, ex jure ecclesiastico, possit licite Eucharistiam dispensare ? et quum moveatur quæstio de sacerdotibus et diaconis, quæsito respondemus per tres propositiones.

PROPOSITIO I

Ex jure divino, soli sacerdotes habent ordinariam potestatem dispensandi Eucharistiam.

663. Prob. 1° *Scriptura. Lucæ* 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Christus dedit jus, ac munus imposuit dispensandi Eucharistiam ; ideo illud jus iis solis tribuit quos alloquebatur. Porro alloquebatur Apostolos quatenus sacerdotes ; nondum enim electi fuerant simplices diaconi et alii ministri. Ergo.

664. 2° *Conciliis.* Conc. Rhemense (879), cap. 2 : « Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri in tantum parvipendant divina mysteria, ut laico vel feminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis... Quod quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio iterum fiat : sed omnimodis presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit. » Hæc verba inserta sunt cap. *Pervenit, De Consecrat.* dist. 2.

Concil. Tridentinum, sess. 13, cap. 8 : « Semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent : qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet. »

665. *Ratione. Primo, ex ministro consecrationis.* Ad illum pertinet dispensare corpus Christi, ad quem pertinet illud consecrare ; nam potestas dispensandi diffluit a potestate consecrandi, sicut in veteri Lege potestas admittendi ad participationem victimæ erat penes illum qui habebat potestatem mactandi eam. Porro soli sacerdotes habent potestatem consecrandi. Ergo.

Secundo, ex mediatione sacerdotis. Sacerdos est alter Christus et constituitur medius inter Deum et populum : unde, sicut ad eum, dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona divinitus sanctificata populo tradere.

Tertio, ex sanctitate Sacramenti. Sacramentum Eucharistiæ est sanctissimum ac divinissimum omnium, et ideo decet ut non tangatur, nisi per res sacras ; qua de causa consecrantur calices et linteamina quæ immediate Eucharistiam tangunt. Porro solius sacerdotis manus consecrantur in ordinatione ad tangendum hoc sacramentum. Ergo. Vide 3 p. q. 82, a. 3. Unde in officio SS. Sacramenti Ecclesiæ ministri concinunt :

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit,
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent cæteris.

666. *Nota.* Non est tamen de jure divino quod sacerdotes per se dispensent Eucharistiam ; quia hoc sacramentum essentialiter consistit in re permanente, non vero in usu, dispensatio fieri potest per actum distinctum a confectione. Porro Ecclesia omnia potest in dispensatione sacramentorum, salva eorum substantia, sicut definivit conc. Tridentinum. Ergo potest committere diaconis curam dispensandi Eucharistiam ; in hoc enim nihil statuit jus divinum, sed rem totam Ecclesiæ dispositioni commisit. Diaconi vero participant aliquid de officio sacerdotis, propter sui ordinis propinquitatem; ideo habent, vi ordinis sui, ut ipsis committi possit cura dispensandi Eucharistiam ; quemadmodum sacerdo-

tes, vi sui ordinis, habent, ut possit eis committi potestas Confirmationem ministrandi.

PROPOSITIO II

Soli sacerdotes qui habent potestatem jurisdictionis ordinariam vel delegatam, possunt licite Eucharistiam dispensare.

667. Prob. 1° *Conciliis.* Viennense (1312) : « Religiosi qui clericis aut laicis sacramentum Unctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his parœcialis presbyteri licentia speciali..... excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi. » Hæc verba reperies Clement. lib. 5. tit. 7, cap. *Religiosi.*

668. 2° *Ratione. Primo, ex munere pastoris.* Proprium munus pastoris est pascere oves spirituali pabulo carnis Domini. Ergo.

Confirmatur. Licet administratio Eucharistiæ non sit actus judicialis, sicut est administratio Pœnitentiæ, attamen requirit sententiam et discretionem, ut admittantur tantum digni, et arceantur indigni. Porro proprium pastoris est discernere oves dignas ab indignis, admittere istas, illas vero repellere. Ergo.

669. *Secundo, ex incommodis.* Qui sine jurisdictione Eucharistiam dispensaret, non tantum jus alienum usurparet in re gravi, sed præterea viam panderet ingentibus incommodis; siquidem animas exponeret multis periculis, per se loquendo, et contra pacem debitamque Ecclesiæ gubernationem ageret. Ergo.

670. Notanda. 1° Papæ Julius II, Paulus III et IV derogaverunt juri antiquo, multaque religiosis concesserunt privilegia, vi quorum possunt, omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Domini, sacramentum Eucharistiæ, dummodo non ministretur per modum viatici, quibusvis personis licite ministrare in suis sacellis.

2° Eo ipso quod alicui sacerdoti conceditur licentia Missam celebrandi in aliqua ecclesia, parochus vel alius habens jurisdictionem censetur, ex usu ubique recepto, illi concedere

quoque facultatem dispensandi Eucharistiam, quæ ideo semper conceditur, nisi contrarium expresse dicatur.

3° Dispensationem autem Eucharistiæ factam infirmis extra ecclesiam, maxime si fiat per modum viatici, nemini licet facere, extra casum necessitatis, absque vel expressa, vel tutissime interpretata licentia illius qui in loco ægrotantis jurisdictionem habet.

4° Fere ubique Galliarum, prima communio, tum ex usu, tum ex statutis synodalibus, reservatur proprio pastori; et quum hæc praxis optima sit, atque conferat bono animarum, omnino servanda est; nec posset postponi ab aliquo sacerdote sine gravi peccato, propter incommoda quæ inde consurgerent; nam illa praxis se habet per modum legis quæ fundatur præsumptione periculi.

PROPOSITIO III

Diacono convenit ex officio porrigere Christi sanguinem, si detur communio sub utraque specie, non vero corpus.

671. Prob. 1° *Praxi Ecclesiæ.* Hæc praxis colligitur ex VIII *Const. Apostolicarum* 2, SS. Patribus et perantiquis libris liturgicis. Unde S. Cyprian., in libro *De lapsis :* « Solemnibus adimpletis, diaconus calicem offerre præsentibus cœpit. » Et S. Laurentius diaconus ad S. Sixtum properantem ad martyrium sine ipso : « Quo progrederis sine filio, Pater? quo, sacerdos sancte, sine ministro properas? Tu nunquam sine ministro Sacrificium offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit paternitati tuæ? Numquid degenerem me probasti? Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Domini sanguinis dispensationem? »

672. 2° *Ratione.* « Diaconus, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel presbytero (nam habet manus consecratas). *Primo* quidem, quia sanguis Christi continetur in vase; unde non oportet ut tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi. *Secundo*, quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam : unde et sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum. Et quia diaconi sunt inter sacerdotem et

populum, magis convenit diaconis dispensatio sanguinis, quam dispensatio corporis. » 3 p. q. 82, a. 3, ad 1. Idem fusius exponit, In IV, dist. 13, q. 1, a. 3, q. 2. Propterea diaconus, in Offertorio, una cum sacerdote offert calicem, non vero panem, et ideo tenetur vi muneris sui recitare cum sacerdote orationem quæ funditur tempore oblationis calicis.

673. *Nota.* Mos ille viguit primitus, quando sub utraque specie fideles communionem accipiebant; ut enim brevius et commodius res pertractaretur, commissum est diaconis ut presbyteros in hoc munere adjuvarent. Quia autem prius dabatur corpus quam sanguis, ideo præcedebat sacerdos porrigens corpus, et sequebatur diaconus calicem ministrans; et ita non proprie ac formaliter dispensabat, sed executioni tantum demandabat dispensationem a sacerdote factam. Nunc Romæ, quando Papa solemniter celebrat, corpus Domini propriis manibus sumit; diaconus vero illi deinde sanguinem porrigit.

COROLLARIA

674. Hinc 1° diaconus, in casu necessitatis, potest, ex jussu sacerdotis, ipsum corpus Domini dispensare. Ita theologi omnes; et confirmatur multorum conciliorum decretis : Nicæn. I, can. 18; Arelat. cap. 15; Carthag. IV, cap. 38, ubi legitur: « Diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget. » Attamen prorsus potest Episcopus sibi reservare jus delegandi diaconos ad Eucharistiam distribuendam.

Imo fere omnes theologi conveniunt, in extrema necessitate, absente sacerdote, diaconum, licet non jussum, posse ac debere Eucharistiam deferre moribundo. Vide S. Alphons. lib. VI, n. 237. Bouvier asserit, tale factum esse inauditum apud nos; sed parvi refert, quod sit inauditum; hoc enim provenit ex eo quod numquam simul desierit copia sacerdotum et diaconus par fuerit ad ministrandum in casu necessitatis. Concil. Nicænum I concessit diacono, ut, absente sacerdote, e ciborio proferat Sacramentum sumatque; ergo a fortiori in casu extremæ necessitatis, ad communionem moribundo impertiendam.

675. 2° Cæteris autem clericis diacono inferioribus, et a fortiori laicis, nunquam licet dispensare proprie Eucharistiam.

Hæc videtur aperta D. Thomæ sententia, In IV, dist. 13, q. 1, a. 3, q. 1, ad 3. Ratio est, quia soli diaconi, præter sacerdotes, possunt ministrare proprie ad altare, solique proprie appellantur ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei, sicut videre est in Pontificali Romano : « Diaconum enim oportet ministrare ad altare.... Estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. » Subdiaconi non proprie et immediate ministrant ad altare, sed ministrant diacono, sicut etiam significat Pontificale Romanum : « Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare, diacono ministrare. » Reverentia debita tanto sacramento prævalere debet utilitati fidelium ; hoc enim sacramentum non est necessitatis sicut Baptisma ; unde fideles, etiam in articulo mortis constituti, non tenentur illud recipere, nisi cum debitis circumstantiis ad ipsius reverentiam requisitis, aliunde facile incommoda et abusus irreperent, si hæc licentia concederetur clericis omnibus et laicis, in casu necessitatis. Quocirca, sicut non licet ut sacerdos celebret non jejunus, vel sine vestibus sacris, ad viaticum moribundo dandum, quia hoc est contra Sacramenti reverentiam, ita nec licet, ad subveniendum illi, ut clericus non diaconus, vel laicus Eucharistiam dispenset.

Suarez, S. Alphonsus et alii qui oppositam propugnant sententiam, multa citant facta ad illam fulciendam. At illa facta non sunt ad rem, quia in ipsis non proprie ac formaliter occurrit dispensatio Eucharistiæ, sed potius dispensationis executio ; sicut dictum est supra (662). Unde mihi videtur quod solus Pontifex Romanus valeat in hac lege et praxi dispensare, atque licentiam concedere ipsimet laico ut seipsum propria manu communicet. Quod concessum fuisse a Pio V Reginæ Mariæ Stuart, in carcere detentæ, historici referunt.

Quæritur an sacerdos non conficiens possit aliquando sibi Eucharistiam propria manu dispensare ?

676. *Resp.* 1° In casu necessitatis, puta ad sumendum viaticum, si non sit alius sacerdos, etiamsi esset aliquis diaconus, posset sacerdos propria manu sibi dispensare Eucharistiam, modo tamen abesset scandalum. Ita communiter theologi. Nicæ-

num I, can. 14, concessit diacono, absente sacerdote, seipsum propria manu communicare; ideoque hoc licet etiam sacerdoti, saltem in casu extremæ necessitatis.

677. 2° Sed hoc liceatne devotionis causa tantum? v. g. aliquis sacerdos ægrotans non potest adire parochialem ecclesiam feria quinta in Cœna Domini, sed habet in domo sua sacellum privatum in quo Papa indulsit licentiam dispensandi Eucharistiam; potestne pridie, nimirum feria quarta consecrare hostiam quam sumat feria quinta? Affirmant communiter theologi, inter quos Suarez, In 3, disp. 72, sect. 3; De Lugo, *De Euch.*, disp. 18, sect. 1, n. 28 et seq.; Gonet, *De sacram. Euch.*, disp. 10, a. 2, n. 19; S. Alphonsus, lib. VI, n. 238; Alasia, *De Euch.*, dissert. 1, cap. 5, n. 5. Nam concilium Nicænum, can. 14, absolute concedit diacono hanc facultatem, nulla mentione facta de articulo mortis; ergo a fortiori hoc licet sacerdoti, dum absit ratio scandali.

678. Notanda. Attamen operæ pretium est hæc advertere. In primis sacerdos qui non communicat intra Missam, facit communionem laicam. Intra Missam, quia offert Sacrificium nomine Ecclesiæ tanquam homo publicus, pascitur a Christo ipso[1]. Extra Missam vero pendet a suo pastore, sicut cæteri fideles; ideoque, si extra Missam Eucharistiam sibi dispenset, non se gerit sicut pastor, quia nemo est pastor suiipsius, sed duntaxat ut instrumentum illius qui deberet illi Eucharistiam dispensare. Unde, ut sacerdos possit hoc modo seipsum communicare, requiritur licentia pastoris, sin expressa, saltem prudenter ac tuto interpretata. Merito tamen Suarez subdit: « Quia vero res

[1] S. Dionysius mysticam tradit rationem cur sacerdos prius communicet seipsum, deinde alios: « Est iste generalis rerum ordo ac distinctio divinarum, ut prius ipsemet Antistes sacer communicet, ac donis iis quæ per ipsum cæteris divinitus distribuenda sunt, satietur, et deinde illa tradat aliis. Hinc qui divinis magisteriis proterve abutuntur, quod iis neque vivendi ratione, neque statu suo respondeant, tanquam sacrilegi et a sacris extorres omnino reputandi. Quemadmodum enim in coruscationibus solaribus tenuiores istæ limpidioresque substantiæ, dum influenti in ipsas radio primæ repletæ sunt, omne lumen sibi superfusum in subsequentes solis vice transfundunt; pari ratione, nequaquam debet temere ducem sese aliis divini luminis offerre, qui non secundum omnem statum suum deiformis maxime evaserit, divinaque aspiratione atque sententia ad id idoneus sit comprobatus. » *De ecclesiast. hierarchia*, cap. 3, a. 3, § 14.

non est usitata, non debet facile fieri, nisi ubi unus tantum esset sacerdos, qui non posset sacrificare, posset tamen ex præconsecratis seipsum devotionis causa communicare. »

Deinde excipitur Summus Pontifex, qui, licet non sit ovis suiipsius, est tamen ovis Christi, atque ideo potest, sicut pascit alios, pascere etiam seipsum, cum datum sit ei pascere omnes oves Christi. Cæteris autem pastoribus non datur potestas tam ampla. Unde in casu necessitatis, potest sibi dispensare Eucharistiam absque licentia alterius pastoris. « Sicut tamen potest eligere sibi confessarium, qui eo ipso est ejus pastor quoad illum actum, sic potest eligere sacerdotem, a quo accipiat Eucharistiam, qui eo ipso fit pastor ipsius quoad illum actum ministrandi hoc sacramentum. » De Lugo, *De Euch.*, disp. 18, sect. 1, n. 35.

SECTIO II

REGULÆ SERVANDÆ IN DISPENSANDA EUCHARISTIA

REGULA I

Sacerdos debet SS. Eucharistiam distribuere intra Missam statim ac ipse sumpsit.

679. *Primo,* hoc supponit conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 6, dicens : « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent. »

Secundo, id fert Rubrica Missalis : « Sumit totum sanguinem cum particula. Quo sumpto, si qui sunt communicandi, eos communicet antequam se purificet. »

Tertio, huic regulæ consonat Rituale Romanum, quod simul illius rationem aperit : « Communio autem populi intra Missam, statim post communionem sacerdotis celebrantis, fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda ; cum orationes quæ post communionem in Missa dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicandos spectent. »

Quarto, propter significationem ; nam communio fidelium quæ immediate in Missa subsequitur communionem sacerdotis, magis significat conjunctionem membrorum cum Christo capite. Deinde Missæ sacrificium fuit figuratum per omnia veteris Legis sacrificia ; et ideo est simul holocaustum, hostia pro peccato, et

hostia pacifica. Porro in veteri Lege pars victimæ cedebat populo, quando offerebatur hostia pacifica seu sacrificium Eucharisticum pro gratiarum actione. Ergo, quoniam in nova Lege adstantes et ipsi offerunt « ea ratione quæ ipsos decet, Ecclesia probat atque cupit, ne id omittatur (nempe Eucharistiæ dispensatio in Missis), eosque sacerdotes increparet, quorum culpa et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur. » Benedictus XIV, const. *Certiores*, 13 nov. 1742. Præterea qui communicat intra Missam, bonum præbet exemplum astantibus magisque publice fidem catholicam profitetur.

Unde hæc disciplina est perantiqua, sicut declaratur in *Actis eccles. Mediolanensis :* « Hoc institutum Parochus servare studeat, ut quod antiquissimi juris est, intra Missarum solemnia, post sanguinis sumptionem, præbeat sacram Eucharistiam. » Et Benedictus XIV, const. *Certiores* : « Vetus Ecclesiæ praxis et disciplina, juxta quam fideles Missis adstantes participare passim atque in publicis conventibus solebant sacrosanctum Sacrificium, institutioni et exemplo Christi Domini omnimode convenit, etc. »

COROLLARIUM

680. Unde Benedictus XIV : « Est igitur regula, ut communio fiat astantium post communionem sacerdotis ; cujus regulæ est limitatio si justa interveniat causa eam differendi ad finem Missæ. Ex quo apparet, eos errare, qui, nullo discrimine, post finem Missæ sacram præbent Eucharistiam... Est autem apud auctores, rationabilis et justa causa, si plurimi adessent Missæ, et suspicari possemus ne aliqui eorum tædio caperentur finem Missæ expectantes, qui finis longe abesse posset, si multi ad Eucharistiam suscipiendam accederent. » A fortiori licet Eucharistiam distribuere extra Missam, si morbus, infirmitas, vel alia legitima causa interveniat ex parte fidelis, qui non posset sine incommodo aut sanitatis, aut rei familiaris, expectare communionem fieri solitam intra Missam. Caveant igitur sacerdotes ne deflectantur in rigorem, qui posset fideles ab usu communionis arcere.

REGULA II

Licet Eucharistiam distribuere in missis defunctorum, etiam ex particulis præconsecratis.

681. Hæc quæstio fuit sat intricata usque modo, sed die 27 junii 1868 S. C. R. tulit decretum quod omnes difficultates solvit ; et quum fuerit confirmatum a Pio Papa IX, die 24 julii ejusdem anni, factum est regula universalis et unica, cæteris prohibitionibus vel facultatibus omnibus eo ipso revocatis. Unde pro rei momento, juvat verba decreti referre.

« Post liturgicas leges, a summis Pontificibus Pio V, Clemente VIII, Paulo V, Urbano VIII conditas, gravis exarsit controversia inter Doctores et Rubricistas : An in missis defunctorum aperiri possit tabernaculum ad fideles pane eucharistico reficiendos. S. R. Congreg. prima vice interrogata, 24 julii 1783, respondit : *Non esse contra ritum ministrare communionem in M. de requiem vel post illam in paramentis nigris, omissa benedictione.* Verum controversia nondum composita, identidem S. C. R. peculiaribus in casibus responsa dedit, quin unquam ad Decretum generale devenerit... Tandem S. R. Congreg. in ordinario cœtu hodierna die ad Vaticanum coadunata est, ubi Eminentissimus et Reverendissimus Card. Claretti Paracianni loco et vice Eminentissimi et Reverendissimi Card. C. Patrizi, Præfecti absentis, idem proposuit dubium, et Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis ritibus præpositi, re mature perpensa, etiam quoad opportunitatem responderunt : *Affirmative*, seu posse in M. defunctorum cum paramentis nigris sacram communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis *præconsecratis*, extrahendo pixidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem immediate post M. defunctorum : data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem missam ; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem, M. vero defunctor. celebrandas esse in paramentis nigris ; adeo ut violacea adhiberi nequeant nisi in casu quo, 2 novembris, SS. Eucharistiæ sacramentum publicæ fidelium adorationi sit expositum pro solemni adoratione 40 Horarum, prout cautum est in decreto S. hujus Congregat. die 16 septemb. anni 1801. »

Hinc absolute et sine ulla restrictione permittitur communio in missis defunctorum, vel immediate post ipsas, dummodo celebrans nondum altare reliquerit atque in sacristiam redierit, vel aliam functionem non peregerit. Item ante M., si rationabilis causa adsit ; sed requiritur ut sacerdos tunc celebraturus sit in altari in quo est venerabile Sacramentum. Si autem transiret ante illud pergens ad aliud altare, non posset cum paramentis nigris distribuere communionem, bene autem cum paramentis alterius coloris, ut declaravit S. C. R. 12 martii 1836.

682. *Nota.* Illud decretum S. R. Congregationis nedum innovare, potius pristinum morem instaurare videtur. Consonat enim conc. Tridentino, quod, sess. 22, cap. 6, vehementer optat ut fideles astantes communicent singulis missis, nullo discrimine facto inter missas vivorum et defunctorum. Consonat liturgiæ, siquidem sacerdos in missis defunctorum, sicut in missis vivorum, hæc verba Canonis recitat : « Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus..... Hæc commixtio et consecratio corporis et sanguinis D. N. J. Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. » In missis defunctorum recitatur Postcommunio, quæ supponit populi communionem. In rubricis missalis defunctorum Urbanus VIII hæc addidit : « Si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet. » Quidam dixerunt, posse quidem distribui Eucharistiam cum particulis in eadem missa consecratis, non vero cum particulis præconsecratis. Sed Benedictus XIV asserit, hujusce distinctionis nullum esse fundamentum. Quod ostendit auctoritate et rationibus probatissimorum auctorum ; et illico subdit : « Concludendum est, posse in missis defunctorum Eucharistiam, sive in eadem, sive in alia missa consecratam distribui. » III *De sacrif. Missæ*, cap. 18, n. 12.

REGULA III

Per se loquendo, qualibet hora diei potest dispensari Eucharistia.

683. Ita communiter theologi, ut videre est apud Suarez, In 3, disp. 80, sect. 4, n. 12, ubi adducit S. Ambrosium dicentem, fuisse suo tempore consuetudinem, plerisque diebus,

celebrandi et dispensandi Eucharistiam ad finem diei. Sed communiter etiam docent theologi, invaluisse ubique jam diuturnam consuetudinem non ministrare Eucharistiam sub vesperas, a fortiori tempore nocturno, nisi urgeat necessitas aliqua. S. R. Congreg. pluribus decretis, maxime 7 decemb. 1641, omnino prohibuit dispensare Eucharistiam in nocte Natalis Domini, tum in prima, tum in secunda missa. Attamen in Galliis consuetudo contraria ubique viget, atque sat pietati favere videtur; ideo, nisi consurgant magna incommoda, potest servari usquedum Ecclesia expresse illam aboleverit.

REGULA IV

Quoad diem, excipiuntur, ex jure, feria sexta in Parasceve, et Sabbatum Sanctum.

684. Quoad feriam sextam in Parasceve, conveniunt omnes theologi. Nam, tum ex jure, tum ex consuetudine, non licet illo die nisi moribundis Eucharistiam dispensare, etiamsi in feriam illam sextam caderet festivitas Annuntiationis B. Virginis (Vide Bened. XIV, III *De sacrif. Missæ*, cap. 18, n. 14). Ita S. R. Congreg. decrevit, 12 februarii 1679; et idem non obscure significat Rubrica Missalis, quæ jubet in missa feriæ quintæ in Cœna Domini, asservari aliquas particulas pro infirmis, *si opus fuerit*; ex quo intelligitur, non esse asservandas pro sanis.

Quoad Sabbatum Sanctum valde scindebantur Theologi. S. Alphonsus, lib. VI, n. 252, et alii plures quos ibi citat, contendebant, esse licitum dispensare Eucharistiam illo die. Benedictus XIV oppositum tuetur, III *De sacrif. Missæ*, cap. 18, n. 14, atque concludit : « Communem existimamus servandam esse consuetudinem nullis, nisi infirmis Eucharistiam ministrandi. » S. R. Congregatio controversiam composuit, 27 septemb. 1837, et prohibuit distribuere communionem Sabbato Sancto, nisi in locis ubi invaluit consuetudo, et tunc quidem distribui debet duntaxat intra missam solemnem, vel post completum officium.

Nota. Ordo ministrandi sacram communionem sive valentibus, sive infirmis, adæquate describitur in Rituali Romano.

CAPUT V

DE CAUSIS FINALIBUS SEU DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Sicut jam dictum est ubi de sacramentis in genere, causæ finales sacramentorum novæ Legis sunt fines a Christo intenti; Christus autem nonnisi ipsosmet sacramentorum proprios fructus seu effectus sibi proposuit, quando illa instituit. Effectus sacramenti Eucharistiæ qui spectant ad Dei attributa, mundi perfectionem, Ecclesiæ decus et vitam, uno verbo, qui spectant ad homines generatim sumptos, jam innuimus ubi de convenientia sacramenti Eucharistiæ. Ideo remanet dicendum de effectibus Eucharistiæ in fideli digne Eucharistiam sumente; quorum alii ad animam, alii vero ad corpus spectant.

ARTICULUS I

DE EUCHARISTLÆ EFFECTIBUS IN ANIMA SUMENTIS

Quia hæc quæstio valde mentem reficit, atque expedita videtur a magnis difficultatibus, illico, prætermissis erroribus quorumdam subobscuriorum hæreticorum qui in contrarium garriunt, præcipuos fructus quos fert illud sanctissimum Lignum vitæ in Ecclesia Christi plantatum, quinque propositionibus complectimur.

PROPOSITIO I

Proprius et præcipuus sacramenti Eucharistiæ effectus est gratia habitualis per modum nutritionis et augmenti in vita spirituali.

685. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus..... Qui manducat me, vivet propter me.* — *Matth.* 26 : *Accipite et manducate..... Accipite et bibite.* — I *Cor.* 11 : *Qui manducat et bibit indigne.....* Ex his et aliis S. Scripturæ locis, patet evidentissime, SS. Eucharistiam esse cibum et potum spiritualem animæ. Atqui propria ratio cibi et potus est conferre nutrimentum et augmentum viventis. Ergo.

Est tamen notanda differentia inter corporalem et spiritualem cibum : corporalis enim non semper auget, etiam quando nutrit, quia vivens non est semper in statu augmenti, etsi nutriri potest; in adulta enim ætate non plus acquirit quam perdit. In vita autem spirituali nunquam homo pervenit ad ætatem adultam, sed semper veluti in infantia vel adolescentia manet, utcumque perfectus sit; *qui enim justus est, justificetur adhuc: et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Ratio est, quia vita spiritualis potest indesinenter augeri, sicut intellectus cognitio voluntatisque dilectio; potentiæ enim intellectivæ sunt universales quoad objectum suum, et ideo non datur gradus vitæ et perfectionis quem nequeant attingere. Unde ubicumque est nutritio spiritualis, eo ipso quoque fit incrementum : quod potissimè verificatur pro nutritione facta ex carne deifica Jesu Christi.

686. 2° *Conciliis.* Florentinum in *Decreto :* « Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur : consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur : omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, reparando, augendo, delectando, quoad vitam operatur spiritualem[1]; in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum. »

Trid. sess. 13, cap. 2 : « Sumi autem voluit (Christus) sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* »

687. 3° *Ratione.* In hoc effectu consistit aliqua ratio specifica, per quam Eucharistiæ sacramentum a cæteris differt. Siquidem omnia instituta sunt in ordine ad gratiam hominibus infundendam, cum sint illius canales; sed quemadmodum multiformis est gratia, ita unumquodque sacramentum ordinatur ad gratiam quatenus peculiarem formam induit : videlicet Baptismus ad

[1] Hæc verba Concilium videtur hausisse a D. Thoma, 3 p. q. 79, a. 1, o : « Et ideo omnem effectum quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem. »

regenerationem, Confirmatio ad fidem fortiter et constanter propugnandam, Pœnitentia ad resurgendum a peccati morte, Unctio Extrema ad levamen ægritudinis et felicem facilemque exitum ab hac temporanea vita in gloriam, Ordo ad conferendam potestatem sacrificandi et conficiendi dispensandique sacramenta, Matrimonium ad conjuges sanctificandos muniendosque subsidiis quibus convenienter status conjugalis sustineri possit; similiter immediatus ac proprius finis Eucharistiæ sacramenti est pabulo cœlesti animam nutrire. Propterea illam maxime Christo copulat, qui simul est *resurrectio et vita*, atque *vitis vera*, ex qua palmites, id est, fideles vitam et vim omnem accipiunt. Unumquodque enim eo magis vivit quo magis participat principium suæ vitæ; eo autem magis participat, quo magis cum ipso conjungitur. Quod maxime verificatur in Eucharistiæ sumptione, juxta illud I *Cor.* 10, 17 : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Unde SS. Patres docent, reliquos cibos converti in substantiam aliti, cui similes redduntur, hunc vero cibum in seipsum convertere hominem a quo manducatur, quia illum sanctiorem ac puriorem reddit, sibique similiorem ac magis unitum efficit. Quocirca S. Cyrillus, IV *in Joan.*, cap. 17 : « Sicut si quis ceræ liquefactæ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totam commisceat, necesse est; sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur. »

PROPOSITIO II

Eucharistiæ sumptio est antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservamur.

688. Prob. utraque pars. *Concil. Tridentino*, sess. 13, cap. 2: « Sumi autem voluit (Christus) sacramentum hoc.... tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. » Ut patet, propositio demonstranda decerpitur, etiam quoad verba, ex conc. Tridentino.

689. Prob. 1ª pars. Sumptio Eucharistiæ dupliciter delet venialia, immediate et mediate, scilicet inquantum nutrit spiritualiter, et inquantum excitat fervorem charitatis. Immediate quidem, nam sumptio Eucharistiæ confert gratiam cibantem :

atqui proprium alimenti non est solum nutrire, sed etiam calorem deperditum instaurare et leves morbos ac vulnera sanare ; ergo gratia cibans delet peccata venialia, quæ fervorem et calorem charitatis minuunt, animæque leves morbos spirituales generant ac vulnera exigua inferunt. Mediate vero, quatenus excitat fervorem charitatis, quæ est res sacramenti, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum : peccata venialia non habitui, sed actui caritatis opponuntur ; ideo eo ipso quod Eucharistia excitat fervorem charitatis, solvit peccata venialia ei opposita, sicut qui fervorem ignis auget, eo ipso glaciem circumdantem solvit. Unde S. Ambrosius, V *De Sacram.* 4 : « Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. » Et Innoc. III : « Hoc sacramentum venialia delet, et cavet mortalia. » IV *De sacro mysterio altaris*, 44. Vide 3 p. q. 79, a. 4, et Catechism. Rom., 2 p. cap. 4, n. 52. Verum hæc de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permovetur.

690. Prob. 2ª pars. Peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Unde hoc modo præservatur aliquis a peccato futuro, quo præservatur corpus a morte futura. Quod quidem fit dupliciter : uno modo, inquantum natura hominis interius roboratur contra corruptiva ; et sic præservatur a morte per cibum et medicinam : alio modo, per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes ; et sic præservatur per arma quibus munitur corpus. Utroque autem modo hoc sacramentum præservat a peccato. Nam primo modo quidem, per hoc quod Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus et spiritualis medicina, secundum illud *Psalm.* 103 : *Panis cor hominis confirmat.* Unde christianus qui per se est arundo vento agitata, quando reficitur carne Christi, potest exclamare cum D. Paulo : *Omnia possum in eo qui me confortat ;* et : *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Alio modo præservat a morte spirituali, inquantum est monumentum adæquatum et semper vivens passionis Christi, per quam serpentis antiqui caput contritum est atque omnes dæmones victi sunt ; idcirco terrificat dæmones omnesque illorum repellit impugnationes. Unde S. Chrysost., *Hom.* 45 *in Joan.* : « Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles diabolo. » Vide 3 p. q. 79, a. 6.

Quam veritatem noster Salesius ita reddit lepidissime : « Le Sauveur a institué ce sacrement très auguste de l'Eucharistie, qui contient réellement sa chair et son sang, afin que qui le mange vive éternellement. C'est pourquoi quiconque en use souvent avec dévotion, affermit tellement la santé et la vie de son âme, qu'il est presque impossible qu'il soit empoisonné d'aucune sorte de mauvaise affection. On ne peut être nourri de cette chair de vie, et vivre des affections de mort..... Que si les fruits les plus tendres et sujets à corruption, comme sont les cerises, les abricots et les fraises, se conservent aisément toute l'année, étant confits au sucre ou au miel ; ce n'est pas merveille si nos cœurs, quoique frêles et imbéciles, sont préservés de la corruption du péché, lorsqu'ils sont sucrés et emmiellés de la chair et du sang incorruptible du Fils de Dieu. » *Introduction à la vie dévote*, 2 p. cap. 20.

691. *Nota.* Attamen sumptio Eucharistiæ fidelem non reddit immunem a peccatis, sed duntaxat illi suppeditat vim et medium quo fortiter carnis illecebras coercere et tela nequissimi declinare valet. Effectus enim hujus sacramenti recipitur in homine secundum illius conditionem, quia accidens et qualitas recipitur in subjecto ad illius modum, juxta illud : *Modus essendi sequitur esse.* Atqui homo, dum est in statu viæ ac peregrinatur a Domino ambulans per fidem, est in manu consilii sui, id est, habet liberum arbitrium, quod semper flecti potest in bonum et malum. Unde, licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi. Vide id. ibid. ad 1.

PROPOSITIO III

Sumptio Eucharistiæ est pignus futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis.

692. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum... Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ideo ex iterata Verbi veritatis assertione et promissione sumptio est pignus vitæ æternæ.

2° *Conc. Tridentino.* Sess. 13, cap. 2 : « Pignus præterea id esse voluit (Salvator noster) futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ

felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. »

693. 3° *Ratione. Primo, ex natura sumptionis.* Sumptio Eucharistiæ est sacrum convivium in quo Christus ipse sumitur, et animæ illius immaculata ac deifica carne saginantur; ideoque jure habetur tanquam inchoatio vitæ beatæ; nam B. Joannes in Apocalypsi illam vitam dicit esse nuptias et cœnam Agni cum sponsa purpura et bysso ornata. Sacrum igitur atque æternum convivium, in quo beati inebriantur ab ubertate domus Dei, et de torrente voluptatis ejus potantur, est consectarium et consummatio cœnæ eucharisticæ. Unde Ecclesia sæpe recinit: « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur! »

694. *Secundo, ex dono perseverantiæ.* Donum perseverantiæ est tutissimum pignus futuræ vitæ ac perpetuæ felicitatis; nam est ipsa janua per quam fit ingressus in cœlum. Atqui sacra communio confert donum perseverantiæ, tum quia nos constrictissime adunat Christo, qui est vita et resurrectio nostra, et ita Christo commixti exclamare possumus cum B. Paulo: *Quis nos separabit a charitate Christi?* tum quia operatur dilectionem erga proximum, et sociat Christi membris quæ jam felicitate æterna fruuntur, atque sunt lapides vivi ac pretiosi cœlestis Jerusalem: Unde Ecclesia canit:

O salutaris hostia,
Quæ cœli pandis ostium:
Bella premunt hostilia:
Da robur, fer auxilium.

695. *Tertio, ex significatione Eucharistiæ.* Sicut jam sæpe diximus, sanctissima Eucharistia est memoriale passionis Christi, per quam ipse aperuit nobis aditum vitæ æternæ; nam, *Hebr.* 9, dicitur: *Per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa..... Et ideo novi Testamenti mediator est; ut morte intercedente..... repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.* Propterea in forma consecrationis dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti.* Siquidem novum Testamentum, quod est in

Eucharistia fundatum et sanguine Christi obsignatum, non habebit finem sicut vetus, sed incepit in via ut consummetur in patria.

COROLLARIUM

696. Hinc patet quam merito Ecclesia dicat, Eucharistiam esse *pignus futuræ gloriæ;* pignus, inquit D. Thomas (Opusc. 48, cap. 23), non dimittitur donec id pro quo impignoratur, accipiatur. Porro pignus quod Deus dedit nobis in testimonium et cautionem vitæ æternæ promissæ, est filius ejus dilectus in quo sibi bene complacuit, et quem nullo pacto potest amittere, nec dimittere, utpote ipsi consubstantialem. Ergo eo ipso quod cibamur sacrosancta atque deifica Agni immaculati carne, de futura vita certioramur. Propterea SS. Patres frequenter venerabile Sacramentum appellant *Viaticum;* ipso enim fideles refecti fiunt vegetiores, atque in regia via sanctæ Crucis ambulant usquedum cum Christo regnent in cœlis atque gloria et honore coronentur. Cujus rei figura fuit Elias, qui, III *Reg.* 19, subcinericium panem ab angelo præparatum in eremo *comedit et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Unde S. August., *Tract.* 26 *in Joan.*, super illud : *Caro mea vere est cibus*, dicit : « Cum cibo et potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus et potus qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta. » Et S. Chrysost., lib. VI *De Sacerdotio*, dicit, « animas eorum qui hoc sacramentum in fine vitæ suscipiunt, ab Angelis, propter assumptum illud sacramentum, recta ad cœlum via deduci : eorum vero corpora, satellitum more stipantibus angelis, in vitam æternam custodiri. »

PROPOSITIO IV

Sumptio Eucharistiæ, quantum est ex se, producit in anima quamdam dulcedinem et gaudium spirituale.

697. Prob. 1° *Scriptura. Gen.* 49 : *Pinguis est panis ejus, et præbebit delicias regibus;* regibus, qui tamen divitiis et voluptatibus abundant. Porro ille panis est Eucharistia; nam

Ecclesia in officio SS. Sacramenti eum locum ipsi accommodat.

Psalm. 22 : *Calix tuus inebrians quam præclarus est !* Et *Psalm.* 67 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus..... Et justi epulentur et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.* Sensus horumce verborum est apertissimus. Porro SS. Patres illa exponunt de lætitia et gaudio quod sumens Eucharistiam experitur. Ergo.

Isaiæ 60 : *Mamilla regum lactaberis.* Ut mirabilem Eucharistiæ suavitatem explicent, SS. Patres hunc locum interpretantur de ipsa, in qua proinde Sapientia incarnata suam divinitatem et humanitatem nobis præbet per modum lactis ; et venerabile Sacramentum aliquando appellant *divinorum uberum lac, Isaiæ vaticinio promissum*[1]. Unde S. August., *in Psalm.* 33 : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, supernæ Virtutes, manducant cœlestes spiritus, et manducant et saginantur ; quis autem homo posset ad illum cibum ? Unde cor tam idoneum illi cibo ? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret, et ad parvulos perveniret. » Quod Ecclesia cantat in officio sacratissimi Corporis Domini :

[1] Unde D. Thomas, Opusc. 48, alias 51, *De Sacramento altaris,* cap. 31, super illud *Zach.* 3 : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ?* « Responsio, ut scilicet sugamus ex eis sanguinem spiritualem. *Isaiæ* 12, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,* id est, de vulneribus Jesu Christi... Sed ad quid est vulnus lateris ? *Isaiæ* 15 : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent*, quia perforato in cruce latere Christi, effluxit sanguis redemptionis Filii. Ergo de longe venient, quia electi de peccatis pœnitentiam agent ; et filiæ de latere surgent, quia devotæ animæ de vulnere lateris Christi spiritualem devotionis sanguinem bibent per piam passionis meditationem. Hinc in quibusdam locis a dextris Crucifixi depingitur puella hilari vultu et pulchra facie et coronata, designans Ecclesiam, quæ sanguinem Christi reverenter in calice suscipit ; et a sinistris Synagoga oculis panno ligatis tristi facie inclinans caput, et corona decidente, quæ ipsum sanguinem fundit, et adhuc contemnit, in quo figuratur quod hæc et omnis mortaliter peccans tria bona perdit, scilicet lumen gratiæ, gaudium conscientiæ, coronam gloriæ. Hinc dicitur, *Thren.* 5 : *Væ nobis, quia peccavimus : ideo obtenebrati sunt oculi nostri, mœstum factum est cor nostrum, cecidit corona capitis nostri.* Puella in dextris sanguinem Christi in calicem suscipit, quia fidelis anima, cor mundum vulneribus Christi applicans, sanguinem ejus spiritualiter cum omni devotione sumit, unde lumen gratiæ, cordis gaudium et æternæ gloriæ coronam acquirit. »

Panis angelicus fit panis hominum;
Dat panis cœlicus figuris terminum:
O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper, servus et humilis.

698. 2° *Conciliis.* Viennense, in Clementina unica *De reliquiis et veneratione Sanctorum*, vocat Eucharistiam « panem habentem omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem, et impinguantem non corpus, sed cor; non carnem, sed animam; non ventrem, sed mentem. » — Idem docet Florentinum in *Decreto;* vide 686. — Tridentinum, sess. 13, cap. 2, docet quod « Christus in hoc sacramento divitias amoris sui erga homines veluti effudit. » Porro inter has divitias recensentur lætitia et gaudium spirituale, quæ ex ejus corde exundant, animam sumentis replent, atque tristitiam expellunt. Propterea Ecclesia cantat:

Dedit et tristibus sanguinis poculum.

699. 3° *Ratione. Primo, ex ratione convivii.* Eucharistiæ sumptio est convivium in quo anima reficitur ac saginatur cibo et potu exquisitissimo, ut patet; nam caro Christi vere est cibus et sanguis ejus vere est potus. Porro optimus cibus et potus in convivio amicorum sumpti, non solum alunt refocillantque, sed etiam delectant; et quidem non propter se duntaxat, sed etiam quatenus bonis suis qualitatibus ita bene temperant et disponunt cor hominis, ut facile afficiatur objectis jucundis, et difficile injucundis perturbetur. Ergo a fortiori et hunc effectum præstat sacrum Eucharistiæ convivium. Vide *Catech. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 51.

700. *Secundo, ex fervore charitatis.* Constat ex dictis (689), fervorem charitatis accendi in anima per Eucharistiæ sumptionem; unde S. Damascenus, IV *De orthod. fide* 16, hoc sacramentum comparat carboni ignito quem Seraphim forcipe tulit de altari, et admovit ad labia Isaiæ prophetæ, ut illa mundaret (cap. 7). Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni; ita et panis communionis non simplex panis est, sed unitus divinitati. Atqui divinitas et charitas Dei non pervadit cor, quin secum afferat dulcedinem et lætitiam; bonitas enim Dei et charitas est veluti fragrans et suave olens vinum, quod suo modo inebriat animam, juxta illud *Cantic.* 2: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus,*

stipate me malis : quia amore langueo. Et cap.5 : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa : messui myrrham meam cum aromatibus meis : comedi favum cum melle meo ; bibi vinum meum cum lacte meo : comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Ergo.

701. *Tertio, ex figura ipsius manna.* Manna erat figura Eucharistiæ, atque habebat omnem saporem omneque delectamentum. Ergo a fortiori Eucharistia. Propterea Ecclesia sæpissime recinit : *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem.*

Unde S. Cyprian., *Serm. de Cœna Domini :* « Quam præclarus est calix iste ! Quam religiosa hujus potus ebrietas ! per quam excedimus Deo , et quæ retro sunt obliti, ad interiora extendimur, non habentes sensum hujus mundi, Cruci hæremus, sanguinem sugimus , et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusque rubricati, a sapientibus hujus sæculi judicamur amentes. Ut manna, sic et hic panis omne delectamentum in se habet : virtute mirifica omnibus qui digne et devote sumunt secundum suum desiderium sapit, implet, satiat edentium appetitus, et omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Esus igitur carnis hujus quædam aviditas est, et quoddam desiderium manendi in Christo, per quod sic imprimimus et eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro et visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans et imbuens omnes animæ corporisque recessus. »

702. Notatu dignissima. *Primo* , in propositione dixi *quantum est ex se;* interdum enim contingit, ut sumens nullatenus illam experiatur delectationem ac lætitiam , quia ex parte illius deest conditio requisita; siquidem consequitur cordis fervorem, qui aliquando deficit. Delectatio sequitur perceptionem et amorem rei amatæ præsentis, quia nec res amata absens, neque non amata præsens delectat. Porro in Eucharistiæ sumptione res amata percipitur per fidem, qua intellectus et cor spiritualiter veluti masticant hunc cibum , sicut et cibus etiam corporeus magis delectat et sapit, quando melius masticatur : nam fides est fax ardens quæ illuminat mentem et cor accendit, quippe ex ipsa veluti a petra emicat scintilla et irradiatio quæ cor inflammat, et ita enascitur dulcedo et gaudium spirituale. Ergo qui indevote accedit ad sacram mensam, nec fidei, neque

dilectionis actus eliciens, non potest illam dulcedinem experiri et gustare. A fortiori si cor adhæreat terrenis atque in ipsis delectetur; cujus enim gustus præoccupatur noxiis humoribus, etiam suavissimi convivii nequit dulcedinem experiri : similiter qui terrena, scilicet honores, divitias, voluptates sapit, fastidit et nauseat super Eucharistia, illamque habet ut cibum levissimum. Unde S. Bernardus, *Serm.* 6 *De Ascensione* : « Errat omnino si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. » Et pientissimus auctor Imitationis, lib. IV, cap. 12 : « Si vis ut veniam ad te, et apud te maneam, expurga vetus fermentum, et munda cordis tui habitaculum. Exclude totum sæculum, et omnem vitiorum tumultum; sede tanquam passer solitarius in tecto, et cogita excessus tuos in amaritudine animæ tuæ. Omnis namque amans suo dilecto amatori optimum et pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum. »

703. *Secundo*, interdum, propter sapientissimas atque reconditissimas Dei Providentiæ rationes, communicans fidelis hac dulcedine frustratur, quia suæ utilitati non expedit; sicut Extrema Unctio, etsi ex se apta ad sanitatem instaurandam, eam tamen non semper producit, sed solum quando non ponitur obex ac simul ægrotantis saluti expedit. Quod maxime in Eucharistia verificatur pro sensitivis potentiis; nam spiritualis lætitia in sensibilem partem redundat solummodo prout convenit augmento gratiæ et virtutum, vel prout impedimentum non ponit affectus veniali peccato, vel distractio, vel defectus devotionis. Sæpe etiam motus misericordia Deus subtrahit solamina dulcedinesque, ne fidelis in superbiam elatus incidat in laqueum diaboli; namque magis nobis necessaria est humilitas, quam dulcedo et gaudium spirituale. Unde iterum ibid. pientissimus auctor Imitationis : « Cum gratiam devotionis tribuo, gratias age Deo tuo : non quia dignus es, sed quia tui misertus sum. Si non habes, sed magis aridum te sentis, insiste orationi, ingemisce et pulsa; nec desistas, donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere. »

704. *Tertio*, adverte, hanc dulcedinem et gaudium spirituale varias induere formas. « Sicut medicus peritus quandoque quibusdam dat medicinam dulcem palato corporis, et quandoque

non sic, sed dulcem palato mentis, quæ quamvis non gutturi, tamen bene sapit rationi, pro eo quod suam mentem delectat; sic Dominus dat suis fidelibus dulce semper corpus; sed dulcedinem suam alio modo istis, alio istis, prout cuilibet expedire novit. Hinc est quod quidam dulcedinem istam sapiunt per affectum, et ardentiore delectantur devotione, et alii eamdem dulcedinem sapiunt per pium intellectum, et sufficienti reficiuntur utilitate in eo quod credunt et intelligunt, per hunc cibum sanctum veram vitam obtinere. Igitur quamvis non sapis dulcedinem Domini primo modo, id est, per affectum firmæ devotionis, sapis tamen secundo modo, scilicet per intellectum multæ utilitatis. » D. Thom. *Opusc.* 58, cap. 22.

PROPOSITIO V

Eucharistia, etiam quatenus sacramentum, habet vim remittendi partem pœnæ peccato debitæ, non primario et directe, sed secundario et indirecte.

705. Prob. 1ª pars. « Ex vi quidem sacramenti, directe habet illum effectum, ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra ejus, sicut et nutrimentum unitur nutrito. » 3 p. q. 79, a. 5, o. Ita communiter theologi.

Prob. 2ª pars. Vi hujus sacramenti remittuntur peccata venialia (689). Atqui non remittitur culpa, quin remittatur saltem aliqua pars pœnæ ei debitæ, sicut ostenditur in tractatu de sacramento Pœnitentiæ. Ergo.

706. Dixi 1° *etiam quatenus sacramentum;* quatenus enim sacrificium, Eucharistia ex opere operato directe et per se pœnam peccati remittit, sicut fusius ostensuri sumus in secunda parte hujus tractatus.

Dixi 2° *partem pœnæ;* si enim totam dimitteret pœnam, non esset injungenda pœnitentia et satisfactio homini qui communicat, sicut non injungitur baptizato; et qui immediate post susceptam Eucharistiam migraret e vita, illico frueretur gloria et felicitate æterna, et non indigeret Ecclesiæ suffragiis. Porro illa consectaria sunt contra doctrinam, non tantum Doctorum, sed et totius Ecclesiæ, necnon praxim. Ergo.

707. *Nota.* Eucharistiæ sacramentum, quod sumitur per mo-

dum cibi et potus, non potest directe *ex opere operato* prodesse nisi sumenti; cibus enim et potus per se non opitulantur nisi illos sumentibus. Sed hoc non obstat quominus prosit valde *ex opere operantis;* est enim opus excellentissimum et acceptabile Deo; deinde auget charitatem sumentis, et magis Dei amicum efficit; ideoque illius intuitu Deus potest uberiores gratias concedere illi pro quo fit communio. Demum, eo ipso quod communicans fit sanctior ferventiusque diligit Deum, illius opera sunt perfectiora Deoque acceptabiliora; nam Deus maxime ad opera quæ a charitate fervente tanquam a principio dimanant, respicit, quia *intuetur cor.*

ARTICULUS II

DE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ EFFECTIBUS QUOAD CORPUS SUMENTIS

708. Eo ipso quod Eucharistia operatur in anima, ex redundantia quosdam sortitur effectus in corpore, propter colligationem virium. Sic enim ex fervore charitatis quem producit in anima, « sequitur quædam cordis quasi jubilantis palpitatio, vultus lætitia, coloris vivacitas, oculorum modestia, linguæ refrænatio, maturitas incedendi, totius corporis reformatio, et omnis externi gestus modesta venustaque ordinatio. Videatur Cyprian., *Serm. de Cœna Domini*, et Chrysost., *Hom.* 61 *ad populum Antiochenum*, et 24 in I *Cor.* » De Lugo, *De Euch.*, disp. 12, sect. 5, n. 99. Unde pientissimus auctor Imitationis, lib. IV, cap. 1, n. 10: « In hoc sacramento confertur spiritualis gratia, et reparatur in anima virtus amissa; et per peccatum deformata redit pulchritudo. Tanta est aliquando hæc gratia, ut ex plenitudine collatæ devotionis, non tantum mens, sed et debile corpus vires sibi præstitas sentiat ampliores. »

Sed illi omnes effectus sunt transeuntes atque veluti naturales; consequuntur enim conditionem animæ corpori conjunctæ physice ac substantialiter. In præsenti agitur de effectibus permanentibus ac supernaturalibus. Porro duo præcipue recensentur: *castitas* et *immortalitas.*

PROPOSITIO I

Eucharistiæ sumptio ingenerat castitatem seu mitigat fomitem appetitus sensitivi.

709. Prob. 1° *Scriptura. Zachariæ* 9 : *Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines.* Ibi agitur de Eucharistia, uti exponunt Patres. Atqui producit virginitatem. Ergo a fortiori potest producere castitatem, quæ consistit in moderatione appetitus sensitivi quantum ad libidinis passiones.

710. 2° *SS. Patribus.* S. Cyrillus, lib. IV *in Joan.* : « Sedat, cum in nobis manet Christus, sævientem membrorum nostrorum legem. »

S. Bernardus, serm. *De Baptismo et Sacramento altaris:* « Duo sacramentum hoc operatur in nobis, ut videlicet sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. » Ita cæteri Patres.

711. 3° *Ratione. Primo, ex virium colligatione.* Omnes hominis facultates radicantur in anima, tanquam in suo primo principio ; et ideo quo magis aliqua facultas seu potentia est in actu, eo ipso cæteræ facultates magis remittuntur : sicut patet in illo qui altissima in meditatione præoccupatur, vita enim et exercitium sensuum manent quasi suspensa in eo. Porro Eucharistiæ sumptio auget in corde fervorem charitatis, atque, si magna fide fiat, velut totum illud replet illo divino igne quem Verbum incarnatum venit mittere in terram, ut accendatur. Ergo eo ipso concupiscentiæ ardorem restinguat necesse est. Vide 3 p. q. 79, a. 6, ad 3, et Catechism. Rom. 2 p. cap. 4, n. 54.

712. *Secundo, ex antidoto peccati mortalis.* Christus instituit Eucharistiam tanquam antidotum quo præservamur a peccatis mortalibus (690). Porro, quia fomes peccati est veluti primus fons et origo peccatorum, non potest hoc sacramentum suavius, neque efficacius hominem a peccatis præservare, quam mitigando fomitem ipsum. Ergo. Unde D. Thomas, *Opusc.* 58, cap. 21 : « Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium

percipit, quasi de umbra gratiæ quæ de ipso fluit, juxta illud *Oseæ* 14 : *Ego quasi ros, et Israel germinabit quasi lilium.*

713. *Tertio, ex ipsa experientia.* Compertum est, atque testificantur sapientiores animarum moderatores, ad libidinem coercendam, et eradicandos pravos ac turpes habitus, medium aptissimum suppeditari in frequenti Eucharistiæ sumptione, positis tamen dispositionibus requisitis, scilicet odio peccati et conamentis ad illud præcavendum.

Unde S. Petrus Chrysologus, *Serm.* 34 : « O quam docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in fimbria tantum esse monstravit ! Audiant Christiani qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possint medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. » Et sancta virgo Agnes ad tyrannum : « Amo Christum, in cujus thalamum introibo, cujus mater Virgo est, cujus pater feminam nescit, cujus mihi organa modulatis vocibus cantant : Quem cum amavero, casta sum ; cum tetigero, munda sum ; cum accepero, virgo sum. »

PROPOSITIO II

Eucharistiæ sumptio aliquatenus resurrectionem gloriosam corporis in novissimo die producet.

714. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Resurrectionem gloriosam ibi specialiter Christus attribuit manducationi suæ carnis et potationi sui sanguinis. Porro Christus est veritas ipsa atque fidelitas. Ergo.

715. 2° *SS. Patribus.* S. Ignatius, *Epist. 14 ad Ephesios*, Eucharistiam appellat pharmacum immortalitatis.

S. Irenæus, IV *Adversus hæreses*, 34, ita Valentinianos, qui negabant resurrectionem corporum, coarguit : « Quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ a corpore et sanguine Domini alitur ?... Quemadmodum qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus existens, terrena et cœlesti, ita et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. »

S. Greg. Nyssenus, *Orat. catechetica*, cap. 38, docet, corpus nostrum non posse consequi immortalitatem, nisi huic corpori immortali Christi fuerit conjunctum ; atque illud assimilat fermento modico quod acceptum mulier miscuit farinæ satis tribus, et fecit totam massam fermentare ; sic corpora nostra carne et sanguine Christi inescata fermentantur ad resurrectionem futuram.

S. Cyrillus Alex., *in Joan.* 6, docet, carnem Christi esse vivificatricem, ac ideo corpora nostra, quantumvis corruptibilia, participatione corporis Christi accipere arrham, jus, et vim gloriosæ immortalitatis.

716. 3° *Conciliis.* Nicænum I vocat sacramentum Eucharistiæ symbolum resurrectionis. Trident., sess. 13, cap. 2, illud vocat « pignus futuræ gloriæ et æternæ beatitudinis. » Porro non tantum anima, sed et corpus etiam exultabit in gloria, in qua totum perfundetur. Ergo hoc sacramentum eo ipso est pignus resurrectionis, quæ est veluti conditio prævia et *sine qua non* hujus gloriæ oppignoratæ.

Sicut igitur granum frumenti cadens in terram moritur atque resolvitur, ut vi genitali resurgat in uberiores pulcherrimasque spicas; ita corpus Christiani refertum cibo eucharistico revertetur quidem in pulverem, sed vi Eucharistiæ aliquando resurget ad induendam Christi immortalitatem, atque configurandum corpori claritatis ejus.

NOTANDA

717. *Primo*, dixi *aliquatenus*, nam Eucharistia non est simpliciter, sed secundum quid tantum, causa resurrectionis et futuræ immortalitatis corporum ; quia omnes homines, sive sumpserint Eucharistiam, sive non, et sive digne, sive indigne communicaverint, resurgent, ut ante tribunal Christi sistant. Resurrectio autem gloriosa simpliciter gratiæ sanctificanti et charitati adscribitur.

718. *Secundo*, Eucharistia moraliter tantum operabitur resurrectionem, eo scilicet modo quo operatur pignus ; nullum enim agens potest agere physice in loco vel tempore in quo non est : porro in futura resurrectione, Eucharistia non erit actu, nec per se, ut patet, neque per qualitatem inditam corpori, quod solvitur et in pulverem revertit. Quare Christus ipse physice corpora nostra, intuitu pignoris et suæ promissionis, resusci-

tabit in novissimo die. Et hoc sensu dixit : *Patres vestri manducaverunt manna, et mortui sunt ; qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Neuter enim cibus præservat a naturali morte ; ergo Christus ibi loquitur de peculiari in ordine ad resurrectionem effectu, quem nullatenus pollebat manna præstare.

719. *Tertio*, multifariam efficacia moralis resurrectionis gloriosæ potest adscribi Eucharistiæ. In primis per consectarium ; nam eo ipso quod ei peculiariter attribuitur adeptio gloriæ, peculiariter etiam ei attribuenda est gloriosa resurrectio corporis, quæ animæ gloriam consequetur. Deinde inter carnem Christi et carnem digne communicantis existit aliqua conjunctio moralis, quæ se habet ad modum conjunctionis mulieris et viri in sacramento matrimonii, eo tamen discrimine quod conjunctio cum Christo est sanctior ac perfectior, neque morte dirimitur. Unde corpus Christi et corpus digne communicantis fiunt indissolubili vinculo *una caro*. Porro non decet ut caro Christi gloriosa in cœlo sit conjuncta per æternitates perpetuas cum carne non gloriosa et in pulverem redacta. Ergo, si corpus digne communicantis jam non alio titulo resurgeret gloriosum, sacra communio videtur ratio sufficiens, ut Christus illam resurrectionem operaretur. Quod confirmari potest exemplo B. Virginis Deiparæ ; nam quia conjunctionem specialissimam habuit cum Christo, quem novem mensibus portavit in utero et ubere lactavit, debita ipsi fuit, ex convenientia, resurrectio gloriosa post brevissimam tridui morulam, ut non videret sepulcri corruptionem. Ergo, proportione servata, his qui eumdem Christum digne suscipiunt et manducant, debetur, ex maxima decentia, resurrectio gloriosa in novissimo die. — Tandem dici etiam potest cum aliquibus, vi sumptionis Eucharistiæ, corpora in futura resurrectione adeptura esse peculiarem gloriæ gradum et splendorem, vi cujus habitura sunt specialem pulchritudinem, eodem ferme pacto quo martyrio, virginitati et doctoratui peculiaris aureola correspondet.

Quæritur an per sumptionem dignam Eucharistiæ fiat aliqua physica ac proprie corporalis unio inter corpus Christi et corpus sumentis?

720. Cardinalis de Mendoza, antistes Burgensis, primum in

concione, deinde in libello prædicavit, inter Christum et communicantem fieri unionem naturalem, substantialem et corporalem; atque illam sententiam multis locis Patrum suffultam exhibuit. Sed proprie et stricte non potest dici physica, nec corporalis, neque naturalis aut substantialis. Non est hypostatica, neque se habet ad modum unionis formæ cum materia; hæc enim omnia dedecent Sacramenti dignitatem et prorsus aliena sunt a scopo quem sibi proposuit Christus, videlicet a spirituali conjunctione, quam significat dicens, *Joan.* 6 : *Caro non prodest quid quam... Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Quod optime declarat S. Cyprian., serm. *De Cœna Domini :* « Nostra et ipsius conjunctio nec miscet personas, neque unit substantias, sed affectus consociat et confœderat voluntates. » Unde nec D. Thomas, neque ullus Scholasticorum, qui exacte et cum proprietate effectus sacramenti Eucharistiæ descripserunt, ullam istius modi corporalis unionis mentionem fecere. Licet enim usus fiat per materialem contactum inter nos et Christum, mediis speciebus, tamen, post hujusmodi usum, nullum agnoscunt effectum Eucharistiæ, qui possit dici corporalis aut physica unio Patres, maxime S. Chrysostomus, istam unionem aliquando appellant *substantialem*, *naturalem*, *corporalem*, quia manducatio est vera, realis, atque corporalis, et non tantum per figuram vel fidem ; illam igitur sic denominant, non ratione ipsius effectus consequentis manducationem, sed ratione rei quæ sumitur, scilicet Christi, qui substantialiter, naturaliter et corporaliter se tradit communicanti. Adverte etiam quod plerumque SS. Patres oratorio modo de hac ineffabili unione elocuti sunt, ut mirabiliores effectus uberioresque fructus Eucharistiæ enarrarent.

CAPUT VI

DE CAUSA MATERIALI EXTRINSECA SEU DE SUBJECTO SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Dicemus 1° de his qui sunt capaces suscipiendi sacram Eucharistiam, 2° de variis modis illam suscipiendi, 3° de dispositionibus requisitis ex parte suscipientis, 4° de obligatione Eucharistiam suscipiendi, 5° de consilio illam suscipiendi frequenter, seu de frequenti communione.

ARTICULUS I

DE SUBJECTO CAPACE EUCHARISTIAM SUSCIPIENDI

721. Excluduntur bruta et angeli. Certum est, creaturas homini sive inferiores, uti bruta, sive superiores, nempe Angelos, non posse proprie ac vere sacram Eucharistiam sumere. Bruta enim, etsi materialiter possunt sanctissimas species comedere, non possunt tamen illas sumere formaliter seu sacramentaliter, quia sunt radicitus incapacia gratiæ et aliorum Sacramenti effectuum.

Angeli vero, utpote corpora non habentes, non sunt capaces manducationis corporalis, quæ tamen requiritur ad sacramenti hujus susceptionem ; et ideo possunt quidem spiritualiter manducare Christum, non autem possunt spiritualiter manducare Eucharistiæ sacramentum, seu habere votum ac desiderium manducandi illud ; nulla enim mens sana ac recta innititur in impossibile. Nec obstant hæc Tridentini, sess. 13, cap. 8 : « Cujus (eucharistici panis) vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant, *eumdem panem Angelorum*, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi ; » non obstant, inquam, quia « sumptio Christi sub hoc sacramento ordinatur, sicut ad finem, ad fruitionem patriæ, eo modo quo Angeli eo fruuntur ; et quia ea quæ sunt ad finem, derivantur a fine, inde est quod ista manducatio Christi qua eum sumimus sub Sacramento, quodam modo derivatur ab illa manducatione qua Angeli fruuntur Christo in patria. Et ideo dicitur homo manducare panem Angelorum qui eo fruuntur in specie propria ; secundario autem est hominum qui Christum sub Sacramento accipiunt. » 3 p. q. 80, a. 2, ad 1. Ideo, licet cibus sit utrinque idem, non tamen manducatur eodem modo : Angeli, quia visione beata fruuntur, manducant Christum spiritualiter in propria specie ; homines vero, quia ambulant per fidem dum peregrinantur a Domino, manducant etiam spiritualiter Christum, sed in aliena specie, id est, sub accidentium velamine ; sacramenta enim proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo et in ænigmate. Quo sensu dicitur, *Psalm.* 77 : *Panem Angelorum manducavit homo.* Iste panis, ante Incarnationem, fuit solum

Verbum ; post autem Incarnationem, est Verbum hypostatice conjunctum humanitati.

Quapropter soli homines sunt capaces suscipiendi sacrosanctam Eucharistiam, eisque solis Salvator dixit, *Joan.* 6 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed ex hominibus alii sunt baptizati, alii non : iterum, non baptizati sunt infideles aut catechumeni : baptizati vero sunt vel infantes, vel amentes, vel adulti ratione potientes : iterum adulti sunt vel catholici, vel hæretici, vel schismatici; et de his omnibus inquiritur an sint capaces suscipiendi sacram Eucharistiam.

PARAGRAPHUS I

DE HOMINIBUS NON BAPTIZATIS

722. Sententia affirmans pro catechumenis. Quum Baptismus sit janua omnium sacramentorum novæ Legis, inde patet, non baptizatos esse incapaces sacramenti Eucharistiæ. Quidam tamen dubitaverunt de catechumenis qui sunt in statu gratiæ, utrum sint capaces hujus sacramenti ; ratio dubii est, quia sunt membra Christi per fidem et charitatem. Imo Marsilius, In IV, q. 6, a. 2, asserit, catechumenos justos posse, in casu necessitatis, v. g. in articulo mortis, valide ac licite Eucharistiam suscipere. Et huic sententiæ favere videtur Innocent. III, in cap. *Veniens, De presbytero non baptizato* (*Decretal.*, lib. 3, tit. 43) ; nam, proposito dubio ab Episcopo Ferrariensi, an sacerdos non baptizatus debeat iterum ordinari post Baptismum, pro parte negativa affert, quod catechumenus capax est Eucharistiæ [1].

[1] « Cumque super Ordinibus fuisset diutius disputatum, quidam in eam declinaverunt sententiam, ut cum Baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud sacramentum, quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest. Porro econtra videri posset. Nam cum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi : et qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus : superædificare posse videtur, sicut salutifera opera, sic et quælibet ecclesiastica sacramenta, cum illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus sacramentis, quod Baptismus sit fundamentum illorum, quoniam

723. Sententia negans verior. Nihilominus sententia negans est omnino certa et communissima; quia character baptismalis est potentia passiva qua homo fit capax cæterorum sacramentorum, sicut character qui in Ordinis susceptione imprimitur, est potentia activa offerendi Sacrificium conficiendique sacramenta; idcirco qui charactere baptismali destituitur, non magis potest valide suscipere alia sacramenta, quam sacerdos invalide ordinatus Eucharistiam conficere potest, vel quam cæcus videre lumen et colores. Quod confirmat fides populorum et Ecclesiæ praxis; nunquam enim catechumeno, etsi sanctissimo, datum est Eucharistiæ sacramentum, etiam in casu extremæ necessitatis.

724. Quæ autem scripsit Innocent. in loco dicto, non docendo, sed disputando dixit: concludit enim, ante Baptismum, cætera sacramenta non esse valida, atque jubet ut sacerdos de quo movetur dubium, baptizetur et iterum ordinetur. « Deinde intelligi potest de susceptione mere materiali et fructuosa, sicut ibidem ait, ante Baptismum, esse homines capaces conjugii, quod est verum materialiter in ratione contractus, non autem formaliter in ratione sacramenti. » Suarez, In 3, disp. 62, sect. 3, n. 4.

PARAGRAPHUS II

DE HÆRETICIS ET SCHISMATICIS

725. Hæretici et Schismatici, utpote baptizati, prorsus valide Eucharistiam suscipere possunt. Sed sacerdotes, qui sunt ministri et dispensatores, non vero domini mysteriorum Dei, nec debent, neque possunt licite illis Eucharistiam dispensare, maxime si sint publici aut denuntiati; sicut per se non possunt eam publicis peccatoribus dispensare, quia Dominus dixit: *Nolite dare sanctum canibus.* Alioquin nec fideles dispensatores essent, neque

et sacramentum conjugii et Eucharistiæ a non baptizatis recipi potest: præterea sacramentum Ordinis non solum Pontificalis, sed sacerdotalis etiam et Levitici ex institutione sua præcessit Baptismum: per quod forsitan videtur, quod ante Baptismum, hujusmodi Ordines possent rite conferri, maxime his qui baptizati creduntur. Quia vero in Concilio apud Compendium legitur constitutum, si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur: nos circa latorem præsentium in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus, quatenus per singulos Ordines usque ad sacerdotium promovere procures. »

proximi commodis providerent ; sed ejus malo cooperarentur, gravemque Sacramento irrogarent injuriam, uti ostensum est in tractatu *de Sacramentis*. (267 et seq.)

Ista utique de omnibus sacramentis dici possunt ; a fortiori igitur de sacrosancto ac divinissimo Eucharistiæ sacramento, de quo D. Paulus, I *Cor.* 11 : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat ; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Unde Ecclesia canit : « Sumunt boni, sumunt mali : sorte tamen inæquali vitæ vel interitus. » Et S. Justinus Martyr, *Apolog.* I, n. 66 : « Hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, cujus nemini alii licet esse particeps, nisi qui credat, vera esse quæ docemus. » Ita omnes Patres et Doctores Ecclesiæ.

PARAGRAPHUS III

DE INFANTIBUS ET PERPETUO AMENTIBUS

726. I. Veritas de fide. Amentes ab infantia seu fatui recensendi sunt inter infantes qui nondum rationis usum adepti sunt, quia in præsenti quæstione ratio eadem est utrinque. Porro concilium Tridentinum, sess. 21, can. 4, definivit, Eucharistiæ sumptionem non esse ipsis necessariam : « Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem : anathema sit. » Optimam tradiderat rationem, cap. 4 ejusdem sessionis : « Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem : siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. » Habent igitur gratiam per quam fit salus : gratia non amittitur nisi per peccatum mortale ; peccatum non committitur nisi per liberum arbitrium ; liberum arbitrium non existit sine usu rationis, in qua radicatur et innititur tanquam fundamento, sicut ostensum est in ethica naturali. 2 p. cap. 3, a. 2, § 3.

727. II. Excluditur prima sententia. Aliqui negarunt olim, infantes esse sacramenti Eucharistiæ capaces, quia nec gratiam receptam in Baptismate possunt amittere, neque se probare

possunt, juxta illud I *Cor.* 11 : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Unde asserunt, morem qui olim fuit dandi Eucharistiam infantibus, originem traduxisse ex errore, quod Eucharistia sit ipsismet necessaria, juxta illud *Joan.* 6 : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ita Paludanus, Major, Petrus Soto, Cajetanus et alii pauciores qui scripserunt, priusquam conc. Tridentinum illam sententiam excluserit [1]. Nam, ut patebit ex infra dicendis (730), illa sententia, post conc. Tridentinum, non tantum falsa, sed et temeraria evasit. Falsisque innititur fundamentis ; parvuli enim sunt capaces incrementi gratiæ, ad quod primario Eucharistia fuit instituta, non vero ad primam gratiam infundendam. Locus vero Apostoli intelligitur de his qui alicujus peccati conscii esse possunt, non vero de illis qui baptismalem justitiam non amiserunt.

728. III. Excluditur secunda sententia. Alii dicunt, infantes fuisse quidem olim capaces Eucharistiæ, sed hodie factos fuisse incapaces, quia, ut valida sit Sacramenti susceptio, debet esse voluntaria. Porro olim infantes voluntarie communicabant, non voluntate propria, sed voluntate Ecclesiæ ; hodie vero, quum Ecclesia hanc consuetudinem abroleverit, prohibeatque dari communionem parvulis, jam nullo modo possunt voluntarie communicare. Sed neque ista sententia defendi potest. Alias enim nec Baptismus, neque Confirmatio, neque Ordo collatus parvulis contra Ecclesiæ prohibitionem validus esset. Aqui tamen omnes theologi illa tria sacramenta sic collata esse valida tenent ; et patet Ecclesiæ praxi. Ergo a fortiori valide etiam dispensatur parvulis Eucharistiæ sacramentum, quod usui præexistit. Deinde Ecclesia, quamvis prohibeat hujusmodi dispensationem, ea tamen posita, vult Sacramenti effectum, sicut quando, invitis parentibus infidelibus, baptizatur eorum infans, ipsum recipit in suum gremium. Demum etiamsi penitus abesset Ecclesiæ voluntas, plane sufficeret voluntas Christi instituentis tali modo illud sacramentum : quia vero Christus est Caput Ecclesiæ, eo sensu semper requiritur et datur Ecclesiæ consensus. Si autem spectetur Ecclesiæ corpus, requi-

[1] Ipse Soto obiit anno 1560, et Concilium quæstionem diremit 1562.

ritur utique ejus voluntas, saltem quoad aliquam illius personam, ut vere conficiatur Sacramentum ; nam ex parte ministri requiritur intentio faciendi id quod facit Ecclesia in hujusmodi adjunctis ; et nihil præterea requiritur.

729. IV. Vera sententia. Unde communissime affirmant theologi, infantes baptizatos, ex se, et ideo adhuc hodie, esse capaces suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam, licet, propter rationabiles causas, Ecclesia opportunius judicaverit, eam esse ipsis denegandam.

PROPOSITIO

Infantes baptizati sunt semper capaces communicandi valide.

Prob. 1° *Praxi Ecclesiæ.* Mos dandi communionem parvulis fuit perantiquus in Ecclesia, siquidem ipsi allusit S. Clemens I, VIII *Const. Apost.* 20, et S. Cyprianus, in lib. *De lapsis ;* potissimum viguit apud Orientales, et adhuc servatur apud Rhutenos, ait De Lugo, et quosdam græcos catholicos, qui Eucharistiam sub specie vini dant parvulis ægrotantibus : imo Græci schismatici parvulis statim ac baptizantur, Confirmationem et Eucharistiam ministrant. Porro SS. Patres prorsus damnassent illam praxim, si infantes non fuissent Eucharistiæ capaces, et Ecclesia quæ bene perspectam illam semper habuit, non tolerasset. Ergo.

730. 2° *Conc. Tridentino.* Sess. 21, cap. 4, ita habet : « Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt ; ita certe, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est. »

731. 3° *Ratione.* Sumptio Eucharistiæ directe et per se præbet augmentum gratiæ, atque est pignus futuræ felicitatis et resurrectionis gloriosæ corporis. Porro infantes, utpote Christo jam inserti per Baptisma, vitaque ejus viventes, sunt capaces illorum effectuum. Ergo. Deinde, ex confesso adversariorum, possunt valide Confirmationem et Ordinem suscipere ; quidni etiam Eucharistiam ? Non possunt equidem inire Matrimonium, neque Pœnitentiam et Extremam Unctionem valide suscipere ;

nam Matrimonium est contractus, cujus incapaces sunt homines rationis expertes; Pœnitentia ad peccatum actuale abluendum, et Extrema Unctio ad peccati reliquias abstergendas vulneraque sananda, quæ esse non possunt in infantibus baptizatis, instituta est: sed non est simile de Eucharistia.

732. Nota. Rationes autem propter quas sanctissimi Patres Eucharistiam infantibus dispensabant, Tridentinum non declaravit; ideo conjecturæ tantum fingi possunt. De Lugo post Suarezium insinuat sequentes:

« Major devotio et reverentia, qua fideles afficiebantur erga hoc venerabile Sacramentum, poterat vel obviare, vel certe præponderare periculis irreverentiæ quæ oriri poterant ex communione laica sub utraque specie; sic potuit impetrare facilius communionem parvulorum; quæ tamen postea, decrescente fervore et reverentia, crescente autem periculo irreverentiæ, ablata est, sicut et communio sub utraque specie. Adde, sicut hæc ablata fuit ad resistendum errori eorum qui dicebant, non contineri totum Christum sub singulis speciebus, et necessariam esse utriusque speciei sumptionem ad salutem, sic simili fortasse ex causa ablatam fuisse communionem parvulorum ad confutandos eos qui illam necessariam esse parvulis ad salutem dogmatizabant. » *De Euch.*, disp. 13, sect. 2, n. 14.

Adde quod pueri ab infantia sumptioni Eucharistiæ assueti minoris eam faciebant, neque satis, post adeptum rationis usum, suam conscientiam discutiebant, priusquam ad sacram accederent mensam. Unde in Ecclesia latina, consuetudo opposita adeo invaluit, ut, ne mortis quidem in articulo, liceat Eucharistiam parvulis dispensare.

PARAGRAPHUS IV

DE AMENTIBUS QUI OLIM HABUERE USUM RATIONIS

733. Prænotanda. In primis amentes, si lucida habeant intervalla, et devotionis signa præbeant, possunt communicare quandiu in illo statu permanent, modo non sit indecentiæ periculum. Ita theologi omnes, et expresse fert Rituale Romanum: « Amentibus præterea seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen si quando habeant lucida intervalla et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit. »

734. Si vero prius habuerint usum rationis, et deinde nulla penitus intervalla habeant lucida, licetne eis, saltem in articulo mortis, Eucharistiam præbere ? Negant Alensis, Gabriel et alii, quia illi amentes non possunt se probare sicut præcipit Apostolus, I *Cor.* 11. Affirmant vero S. Thomas, Suarez, Vasquez, De Lugo, S. Alphonsus; et hæc sententia, inquit de Lugo, est communis. Atqui tenet, illos amentes, non solum esse capaces, sed de facto dandam illis esse Eucharistiam in articulo mortis, si prius voluntatem habuerint eam accipiendi, vel si rationabiliter præsumatur quod illam habuerint, atque non constet, esse indignos, sed potius haud levia momenta in contrarium suadeant; sicut contingeret, si sacerdos pientissimus vel alia devotissima persona in amentiam incideret. Omnes tamen confitentur, extra articulum mortis, Eucharistiam non esse concedendam amentibus. Vide S. Alphonsum, lib. VI, n. 302.

PROPOSITIO

Probabilius est, licere, ex se, Eucharistiam dispensare in articulo mortis amentibus qui illius probabiliter judicantur digni.

735. Prob. 1° *Concil. Carthaginensi* IV, cap. 76 : « Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierint, et accipiat pœnitentiam : et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. » Hæc verba referuntur in cap. *Is qui pœnitentiam*, 2 p. causa 26, q. 6.

736. 2° *D. Thomæ auctoritate* : « Si prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. » 3 p. q. 80, a. 9, o.

737. *Catechismo Romano*, 2 p. cap. 4, n. 64 : « Amentibus præterea qui tunc a pietatis sensu alieni sunt, sacramenta dare minime oportet; quamvis, si, antequam in insaniam inciderint, piam et religiosam animi voluntatem præ se tulerunt, licebit eis in fine vitæ, ex concilii Carthaginensis decreto, Eu-

charistiam administrare, modo vomitionis, vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum sit. »

738. *Ratione. Primo.* « Sicut ejusmodi personis dari solet Extrema Unctio, quæ non est tantæ obligationis aut necessitatis sacramentum, non est cur Eucharistia danda non sit. » De Lugo, *De Eucharist.*, disp. 13, sect. 3, n. 24.

Secundo, fieri potest, ut ejusmodi ægrotans habuerit attritionem suorum peccatorum, quando incidit in amentiam, et non possit ei impertiri absolutio, neque Extrema Unctio, bene autem Eucharistia ; puta « si jam sit consecrata et diaconus adsit, non autem sacerdos. Quod si tunc danda est, cur non etiam quando simul absolutio Extremaque Unctio possunt applicari? quia, licet videatur minor esse necessitas, est tamen major dignitas suscipientis et maxima utilitas. In quocumque ergo mortis articulo certum est, hoc licere. Quod autem sit etiam debitum, et pastoribus præceptum, non est ita clarum, et ab auctoribus expressum; mihi autem omnino verum esse videtur, tum quia citata jura plane videntur hoc præcipere ; tum etiam quia sic ægrotans habet jus ad hoc sacramentum, et immerito illo privatur. » Suarez, in 3, disp. 69, sect. 2, n. 5.

739. Nota I. Dixi *ex se*, nam usus contrarius prævalere potest, et de facto prævaluit apud nos, forsan quia communiter pertimescendum est irreverentiæ periculum, sicut in parvulis qui rationis usum nondum adepti sunt ; imo videtur magis reformidandum, nam parvuli, suadente natura, deglutiunt quod in ipsorum os immittitur, dum amens ægrotans et in articulo mortis constitutus, ratione et sensu egens, facile potest Eucharistiam ejicere vel non deglutire. Et huic praxi sat favere videtur Rituale Romanum, dum ponit expresse exceptionem pro amentibus qui habent lucida intervalla et devotionem ostendunt, nihil dicens de aliis. Unde ratio quam De Lugo haurit ex dispensatione Extremæ Unctionis non convincit omnino, nam Extrema Unctio potest amentibus ministrari sine periculo irreverentiæ, non autem Eucharistia. Atqui potissima ratio cur denegetur Eucharistia illis amentibus, est irreverentiæ periculum.

740. Attamen praxis apud nos recepta mihi videtur rigida, quia in quibusdam casibus sacerdos potest prudenter judicare, non esse periculum irreverentiæ ; quod et aliunde ipse potest explorare, porrigendo scilicet prius hostiam non consecratam :

atque si experimento constet, ægrotantem deglutire illam sicut et alimenta quæ in os introducuntur, prudenter ipsi dispensaret Eucharistiam. Aliunde in articulo mortis non requiritur tanta certitudo vel etiam probabilitas, sicut in communione bene valentium; ideo etsi aliqua irreverentiæ formido superesset, nihilominus posset ministrari, tunc enim irreverentia cohonestaretur per necessitatem.

741. Nota II. Semifatui, si nesciant præcipua religionis mysteria, nec valeant discernere sacramentum Corporis Christi, assimilandi sunt in hoc parvulis et perpetuo amentibus, et ideo non potest eis, ne mortis quidem in articulo, ministrari Eucharistia; ita enim fert pro infantibus Rituale Romanum : « Iis qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet. » Si autem SS. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis mysteria sciant, licet imperfectissime, atque quadamtenus valeant discernere sacramentum Corporis Domini, Eucharistia eis dispensari debet in articulo mortis, tempore paschali, jubilæi, et in quibusdam aliis peculiaribus adjunctis; prout sacerdos prudenter judicaverit opportunum, dummodo tamen constet, illos esse rite dispositos. Pro surdis mutis a nativitate non est difficultas; constat enim, illos posse religionem cognoscere, imo scientias acquirere, artes colere. Unde S. Franciscus a Salesio surdo muto Martino quem excepit in domum suam et ipse educavit, communionem præcipuis festis dispensabat. Surdi muti autem qui non convenientem educationem suscipiunt, possunt assimilari semifatuis, vel etiam perpetuo amentibus; unde eadem erit ratio agendi sacerdotis, qui, ante omnia, debet sedulo eorum conscientiam et dispositiones investigare. Si igitur surdi muti parentes sint vere catholici, religionis præcepta servantes, ac ipse sicut et cæteri fideles frequentet ecclesiam, ac coram sacerdote aliquibus signis peccata sua et pœnitentiam manifestet, potest absolvi et communicari, saltem in articulo mortis et tempore Paschæ. Meminerit sacerdos, benignum ac infinite misericordem Deum iis qui non habent consueta media ad mysteria fidei cognoscenda, peculiares gratias et illustrationes largire : « In his quæ sunt necessaria ad salutem, nunquam Deus homini quærenti deest, vel defuit, nisi ex culpa sua. Unde explicatio eorum quæ sunt necessaria ad salutem, vel divinitus providetur homini per præ-

dicatorem, sicut patet de Cornelio, *Act.* 10, et Eunucho Candacis Reginæ, *Act.* 8 ; vel per revelationem, qua supposita, in potestate liberi arbitrii est ut exerceat actum fidei. » D. Thom., in III, dist. 25, q. 4[1].

Obsessis a dæmone omnino neganda est communio quando non sunt sui compotes ; secus vero quando sunt sui compotes et rite dispositi ; non enim semper in phrenesin vel paroxysmum vertuntur, et habent jus ad sacramenta. Aliunde constat, Eucharistiam esse potentissimum remedium ad dæmonium arcendum ; unde, ait Cassianus, « eis qui ab immundis vexantur spiritibus communionem a senioribus nunquam meminimus interdictam. » Ita etiam decrevit concil. Arausicanum, ann. 441 ; et aperte docet D. Thom., in IV, dist. 9, q. 1, a. 5, q. 3.

PARAGRAPHUS V

DE CAPITE DAMNATIS

742. Sententia negans. Non desunt qui reis morte plectendis negandam esse Eucharistiam absolute teneant, et hæc praxis viguit usque ad nostra tempora in Hispania, Gallia et Sabaudia. Sic illam cohonestare tentat Rituale Telonense : « La dignité de cet adorable sacrement, et le respect profond qui lui est dû, ne permettent pas qu'on l'administre en *France* aux criminels condamnés à mort ; parce que, devant être exécutés le même jour qu'on leur prononce leur sentence, ce serait en quelque façon traiter avec indignité le corps adorable de Jésus-Christ, que de l'incorporer, suivant l'expression des saints Pères, avec un corps qui doit être bientôt traité avec ignominie, souvent privé de la sépulture ecclésiastique, et exposé publiquement pour servir de pâture aux bêtes. » Benedictus XIV, III *De sacrific. Missæ*, cap. 20, n. 6, dixit, se neque probare, neque

[1] S. Augustinus, *De Dono perseverantiæ*, cap. 19, dicit, « paucissimis esse donatum, ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum, vel per Angelos cœlorum doctrinam salutis accipiant : multis vero id esse donatum, ut Deo per hominem credant. » Et Alensis, 3 p. q. 82, n. 5, a. 4 : « De surdo vero oportet dici, quod si lumen gratiæ non fuerit extinctum per peccatum, et pervenerit ad perfectam ætatem, gratia baptismalis docebit eum de omnibus, vel implicite vel explicite credenda, scilicet ut credat quidquid credit Ecclesia, si conferre potest et percipere quid sit Ecclesia : si autem non potest, sanctificatio baptismalis sufficit ad salutem sibi sicut parvulo. »

improbare consuetudinem regnorum, in quibus Eucharistia denegatur capite plectendis, atque eam sequendam esse insinuavit, quæ in unoquoque loco respective obtinere dignoscitur; tametsi innuere non omisit, christianæ pietati magis conforme esse, ut vivifici Sacramenti participatio iis etiam qui ob grave delictum sententia capitali damnati sunt, petentibus, et alioquin recte dispositis, non denegetur.

PROPOSITIO

Reis morte plectendis rite dispositis concedenda est Eucharistia.

743. Prob. 1° *Conciliis.* Nicænum I, can. 13, præscribit, ut Eucharistia detur omnibus qui ad vitæ exitum veniunt; nec ullam interponit distinctionem.

Moguntinum II (847), cap. 27 : « Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadavera eorum ad ecclesias deferenda sint, et oblationes pro eis offerendæ et Missæ celebrandæ, an non? Quibus respondimus, si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, et digne petentibus communio in fine, secundum canonicum jussum danda est; cur non eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim : *Non vindicat Deus bis in idipsum.* » Illa verba inveniuntur in *Decret.* 3 p. causa 13, q. 2, cap. *Quæsitum est*[1].

Concil. Suessionense, habitum anno 1849, tit. 7, cap. 6, jubet ut capite damnati, modo vere pœnitentes sint, recipiant Eucha-

[1] Rohrbacher, *Hist. univ. de l'Egl. cath.*, lib. 77, sub fine, dicit, concilium Viennense jussisse, ut sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ ministrentur damnatis ad mortem illa petentibus. Sed hoc decretum habetur *in Clementinis*, lib. 5, tit. 9, n. 1, et ibi expresse agitur tantum de sacramento Pœnitentiæ. Ita enim fert : « Cum secundum statuta canonica ultimo deputandis supplicio negari, si petant, non debeat Pœnitentiæ sacramentum, abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes : justitiarios omnes et dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant abusu, hortamur in Domino, et obsecramus per viscera misericordiæ Jesu Christi : locorum Ordinariis nihilominus injungentes ut eos ad hoc cum primum commode poterunt diligenter monere, et, si necesse fuerit, ecclesiastica censura compellere non omittant. »

ristiam pridie executionis, vel etiam ipsamet die, quando nihil indecentiæ est timendum erga Sacramentum.

2° *Rituali Romano*, quod enumerat illos quibus deneganda est communio, et non recenset reos morte plectendos.

744. 3° *Auctoritate S. Pii V.* Iste præclarissimus ac sanctissimus Pontifex, in epistola ad archiepiscopum Rossanensem, suum in Hispania nuntium, mandat ut cum Catholico Rege rem pertractet eique suadeat abolere praxim denegandi communionem reis capite damnatis, quam ita improbat: « Id nos (sacramentum Eucharistiæ) minime esse denegandum censemus, cum christianæ charitati magis conveniat, eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, sacra communione muniri, ut, perituro corpore, saluti animæ, quantum fieri potest, subveniatur. »

745. 4° *Theologorum consensu.* Eximiæ notæ theologi communiter nostram tuentur sententiam. Unde Busembaum, apud S. Alphons., lib. VI, n. 247: « Peccat item qui negat reis morte plectendis (quibus etiam potest dari aliquot, imo una hora ante mortem, ut habet Sa: danda vero est, si fieri potest, non in carcere, vel alio loco inhonesto), etiam ob crimen sagarum captis, dummodo pœnitentiam præ se ferant; etiamsi crimen negent, et violenta perduret suspicio. » Et Bened. XIV, lib. VII *De Synodo diœcesana*, cap. 11, n. 3: « Nunc autem addendum merito censemus, episcoporum partes esse, hanc disciplinam in suis diœcesibus inculcandam esse, ut delinquentibus ultimo supplicio afficiendis Eucharistia præbeatur, idque in synodalibus constitutionibus inserere. »

746. 5° *Ratione. Primo, ex charitate christiana.* Rei morte plectendi præ omnibus ægrotantibus indigent confortari pane cœlesti in supremo agone, propter mortis acerbitatem et ignominiam; atque misericors Salvator, qui est pastor bonus, prorsus illas oves cibare ac munire carne sua vehementer exoptat.

Secundo, ex ablatis fundamentis praxis oppositæ. Hodie rei damnantur morti, multis diebus antequam plectantur capite; eorum corpora nec conculcantur, neque feris objiciuntur, neque ecclesiastica sepultura carent.

ARTICULUS II

DE VARIIS MODIS QUIBUS HOMO COMMUNICARE POTEST

747. I Triplex modus communicandi. Triplex est modus sumendi sacram Eucharistiam, scilicet sacramentaliter tantum, spiritualiter tantum, et sacramentaliter simulque spiritualiter ; quem optime exponit conc. Trident., sess. 13, cap. 8 « : Quoad usum autem, recte et sapienter patres nostri tres rationes hoc sacramentum accipiendi distinxerunt ; quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores ; alios tantum spiritualiter, illos nimirum qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt ; tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter ; hi autem sunt qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. » Vide etiam Catech. Rom., 2 p. cap. 4, n. 55.

748. II. Communio sub utraque specie. At quia Eucharistia fuit instituta in duplici specie, iterum inquiri potest an communio sacramentalis fieri debeat etiam in utraque specie ? Et ob illam potissime quæstionem, ab hæreticis acriter excogitatam, atque a concil. Tridentino dilucidissime explanatam et compositam, ponitur hic articulus de modo sumendi sacrosanctam Eucharistiam.

In primis juvat advertere, non esse difficultatem pro sacerdote conficiente vel consummante Sacrificium ; nam sumptio utriusque speciei pertinet ad integritatem Sacrificii. Ideo saltem principaliter celebrans tenetur utramque speciem in Sacrificio consecratam sumere. Est igitur de præcepto divino illa Sacrificii consummatio ; non est tamen æque certum, esse etiam de præcepto divino, quod ipse celebrans perficiat illam ; nam a quocumque sumatur utraque species, nihilominus perficitur Sacrificium. Quare difficultas est de communione laica, circa quam tria quæri possunt, scilicet 1° an sit de jure divino, 2° an uberiores gratias largiatur, et 3° an Ecclesia sapienter illam aboleverit ?

PARAGRAPHUS I

AN COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE SIT JURIS DIVINI PRO LAICIS?

749. Hæresis et ejus fautores. Communionem sub utraque specie esse ipsis laicis necessariam ad salutem, professi sunt primum Waldenses in professione fidei ad Uladislaum; quos imitati sunt Bohemi, ducibus Petro Dresdensi et Jacobo Mismensi. Ille in falsum sensum detorsit verba Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, atque ansam arripuit, cum Pragæ magister scholarum erat, docendi necessitatem communionis sub utraque specie, atque persuasit Jacobo Mismensi, qui tum Pragæ concionabatur, ut prædicaret populo, æternam non posse salutem obtineri, nisi corpus Christi sub vini quoque specie sumeretur. Vide Æneam Sylvium, *Historia Bohemorum*, cap. 35. Hos secuti sunt Wiclefus, Joannes Huss et Hieronymus Pragensis, qui fuerunt omnes damnati in sess. 13 conc. Constantiensis. Nihilominus Lutherus, Calvinus et omnes pseudoreformatores, ut vehementer Ecclesiam Romanam coarguerent, plenis buccis necessitatem communionis sub utraque specie, etiam pro mulieribus, eructaverunt [1].

PROPOSITIO

Nullatenus jus divinum communionem sub utraque specie præscribit laicis et clericis non conficientibus.

750. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6. In hoc capite, Salvator undecies mentionem fecit de sumptione Eucharistiæ sub specie panis tantum, et quater tantum meminit communionis sub utraque specie; unde concil. Tridentinum, sess. 21, cap. 1, sic argumentatur: « Qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in*

[1] Lutherus, in lib. *De Captivitate Babylonis*, dicit, « omnes esse impios, qui utriusque speciei communionem laicis denegant. »

Calvinus, IV *Institut.*, cap. 17, § 47, scribit, « ex officina diaboli prodiisse institutionem illam, quæ dimidiam Cœnæ partem meliori populi Dei numero vel furata est, vel eripuit, nempe symbolum sanguinis, quod laicis et profanis interdictum, paucis rasis et unctis (sic sacerdotes appellat) in peculium cessit. »

vobis, dixit quoque : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et qui dixit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Is denique qui dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. » Quæ ultima verba veluti claudunt Salvatoris sermonem, et ideo sunt illius conclusio ; porro sufficientiam et efficaciam sacramenti Eucharistiæ totam æque reponunt in sola specie panis, sicut antea reposita fuerat in utraque specie ; ergo. Sane Christus, in illo sermone, docuit necessitatem unionis hominum cum ipso, ut vitam habeant ; siquidem ipse est vitis, et nos palmites : quia autem ista unio sufficienter fieri potest indiscriminatim per unam, vel per duas species, ideo modo de una, modo de utraque loquitur, sicut ante dixerat (v. 35) : *Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam ;* significans, quacumque ratione et modo ad ipsum veniat homo, dummodo revera veniat, ipsum solum sufficere ad famem et sitim extinguendam. Quocirca inferius Eucharistiæ sacramentum comparat cum manna, atque, ut similitudo quadret ex omni parte, declarat, solum cibum, etiamsi potus non interveniat, ad salutem sufficere : *Ego sum panis vitæ ; patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt ; hic est panis de cælo descendens, ut, si quis ex eo manducet, non moriatur*.

751. *Confirmatur* 1°. Probabilius est, Christum Eucharistiam porrexisse discipulis suis in castello Emmaus (*Lucæ* 24). Porro illos communicavit sub specie panis tantum ; nam ipsi *cognoverunt eum in fractione panis*, post quam illico evanuit ab oculis eorum. Quod factum specialem vim habet contra adversarios, qui prædicant, nihil esse admittendum, nisi id quod legitur in Scripturis. Porro Scriptura neutiquam dicit, Christum præbuisse Eucharistiam sub specie vini illis duobus discipulis.

Deinde sive illos communicaverit, sive non, nihilominus illud factum est in gratiam communionis sub specie panis tantum, quia S. Augustinus et alii Patres communiter docent, Christum illo facto adumbrasse communionem sub una specie et efficaciam ejus, et consequenter significasse, eam esse licitam. Unde *Act.* 2, Apostoli et alii discipuli dicuntur *perseverantes in*

communicatione fractionis panis ; quod omnes Patres de communione sacramentali interpretantur.

Confirmatur 2°. Confirmari potest hæc veritas per figuras Eucharistiæ. Lignum enim vitæ in medio paradisi plantatum (*Gen.* 2 et 3) fuit figura hujus sacramenti. Atqui tamen nullus potus fuit illi arbori adjunctus. Agnus paschalis (*Exod.* 12) fuit perfectissima Eucharistiæ figura. Porro manducabatur quidem illius caro, non autem bibebatur ejus sanguis. Sed priusquam manducaretur caro, postes ex sanguine liniebantur.

Quoad sacrificia vetera, licet in ipsis esset caro et sanguis, imo et libamina multa, ut patet *Exod.* 25, tamen sola caro manducabatur, sanguis et libamina effundebantur Deo. Unde Apostolus dicit, I *Cor.* 10 : *Qui manducant hostias, participes sunt altaris;* nec addidit quidquam de potu, quia non consueverant Hebræi vinum libaminum bibere.

Dices : Ex ista figura colligitur, non debere sacerdotes bibere calicem Domini in altari, quando quidem nec sacerdotes veteris Testamenti bibebant libamina Deo oblata, sed solas victimas comedebant. Atqui hoc consectarium falsum est. Ergo.

Resp. Nego maj. Manducatio enim corporis et potatio sanguinis Domini a sacerdote facta non respondet manducationi victimarum tantum, sed etiam illarum consumptioni per ignem. Eucharistia est simul holocaustum, hostia pacifica, et hostia pro peccato ; quia vero in holocausto omnia, sive victimæ, sive libamina cremabantur, ideo etiam nunc a sacerdote, cujus est consumere holocaustum, omnia sumuntur. Populus autem solum participat de Sacrificio ; ideoque satis est quod carnes Agni immaculati manducet. Vide Bellarm., IV *De Euchar. sacram.* 24.

752. 2° *SS. Patribus.* Unius tantum speciei usum sufficere ad perfectam communionem, colliges ex Tertull., II *ad uxorem*, Clem. Alexand., I *Stromatum*, Origen., *Hom.* 13 *in Exod.*, S. Cyprian., *De lapsis*, S. Basil., *Epist. ad Cæsariam patritiam*, S. Gregor. Nazianz., *Orat. contra Arianos*, S. Chrysost., *Hom.* 41 *in Matth.*, S. August., *Epist.* 86, S. Cyrill. Hieros., *Catechesi* V.

753. 3° *Conciliis.* Constantiense, sess. 13, illum errorem damnavit, et statuit pro lege habendam esse introductam consuetudinem ministrandi Sacramentum sub specie panis duntaxat, jussitque episcopos curare, ut ista lex observaretur. Idem

(an. 1447) adversus Taboritas et Calixtinos sancivit Basileense, sess. 30.

Trident., sess. 21, cap. 1 : « Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu Sancto, qui Spiritus est sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum : neque ullo pacto, salva fide, dubitare posse quin illis alterius speciei communio sufficiat ad salutem. » Et can. 1 : « Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere : anathema sit. »

754. 4° *Praxi ecclesiarum. Primo, ex officio Parasceves.* Constat ex consuetudine, quæ in Ecclesia semper viguit, in die Parasceves Eucharistiam sub specie panis tantum a celebrante sumi, ut colligitur ex S. Greg. Magn. *Sacramentario*, et indicatur in sexta Synodo, can. 52, et ex Innoc. I, qui in *Epist.* 1, cap. 4, docet, traditionem Ecclesiæ fuisse ea die non sacrificari, nec sacramenta celebrari ; cum enim, veniente veritate, cesset figura, et hoc sacramentum sit figura et repræsentatio Dominicæ passionis, non est conveniens, ut ea die qua passio Christi recolitur, Missæ sacrificium offeratur. Vide 3 p. q. 83, a. 2, ad 2, et Suarez, in 3, disp. 71, sect. 1, n. 7.

755. *Secundo, ex variis factis.* « Ut Eucharistiæ communionis omittamus exempla, quæ infantibus aut moribundis præbebatur, atque ut de Eucharistia sileamus quam secum fideles domum suam deferebant, qua se reficerent vel in itinere, vel cum ad ecclesiam venire non possent, ut Sacrificio interessent, quibus in casibus non desunt in ecclesiastica historia [1] exempla Eucharistiæ sub alterutra specie susceptæ. » Benedict. XIV, II *De sacrif. Missæ*, cap. 22, n. 22.

756. *Tertio, ex decreto Pontificum.* Manichæi, quia vinum spectabant tanquam diaboli seu principii mali fœtum, ab illo abhorrebant, et a communione calicis temperabant. S. Leo Papa I, ut fideles ab hæreticis secernerentur, jussit, omnes

[1] Vide Euseb., VI *Hist. ecclesiast.* 44, Arcudium, lib. IV, cap. 53 et 56, S. Basilium, *Epist. ad Cæsariam patriciam*, Sozomenum, VIII *Hist.* 5, Nicephorum, lib. XIII, cap. 7, Baronium, *Annal.* 57, n. 47.

fideles communicare sub utraque specie, atque uti Manichæos fore habendos omnes qui ab usu calicis sese abstinerent. Idem S. Gelasius decrevit, cujus verba referuntur in cap. *Comperimus, De consecr.*, dist. 2; atque vehementer coarguit tum sacerdotes qui sub specie panis tantum conficiebant Eucharistiam, tum fideles qui, adstricti superstitioni Manichæorum, a calice sacri cruoris abstinebant. Atqui, si illo tempore omnes fideles jam sub utraque specie Eucharistiam sumerent, frustra et sine ratione illi duo summi Pontifices præfata decreta tulissent. Ergo.

757. 3° *Ratione. Primo, ex re contenta.* De fide est, totum Christum contineri sub utraque specie atque ideo sanguinem esse sub panis specie. Ergo qui communicat sub specie panis sumit corpus et sanguinem Christi. Ergo adimplet Domini præceptum. Demonstrent igitur ex Scriptura adversarii, requiri repetitam totius Christi sumptionem sub utraque specie.

758. *Secundo, ex eversione fundamentorum adversariorum.* Cujusmodi necessitatis, si daretur, ratio defluere vel ex re contenta, vel ex effectu Sacramenti, vel ex significatione, vel ex speciebus. Porro nihil horum dici potest. Ergo. *Probatur minor.* Primum dici non potest, cum totus Christus sit sub utraque specie: neque secundum, quia certum est, communicantem sub una specie nulla defraudari gratia ad salutem necessaria; imo ostendemus mox, communionem sub utraque specie, ratione Sacramenti, non uberiores gratias producere quam communionem sub una: neque tertium, quia ut sacramentum significat maxime unionem fidelium inter se et cum Christo capite, quæ optime significatur per speciem panis, qui granis mola contritis conficitur; expressa enim repræsentatio passionis Christi magis ad Sacrificii quam ad Sacramenti rationem pertinet: neque quartum, quia specierum sumptio fit, vel propter rem contentam, vel propter effectum, vel propter significationem; atqui ex nullo horum trium sequitur necessitas communionis sub utraque specie; ergo nec oritur ex parte specierum.

759. *Tertio, ex agendi ratione adversariorum.* Hæretici, quos impugnamus, permittunt absteniis et ægrotantibus qui abhorrent a vino, ut communicent sub specie panis tantum.

Atqui, si communio sub utraque specie esset juris divini, neutiquam possent in ipsa dispensare. Ergo.

COROLLARIUM

760. *Jure Ecclesia usum calicis prohibuit.* Quapropter Ecclesia jure usum calicis prohibuit laicis et clericis non principaliter conficientibus, juxta illud I *Cor.* 4 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* et illud I *Cor.* 11 : *Cætera autem cum venero disponam.* Veneratio enim sacramentorum et utilitas fidelium postulant, ut Ecclesia possit omnia in eorum dispensatione, salva substantia : Quod aperte declarat Trident., sess. 21, cap. 2 : « Declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret. »

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

761. *Obj.* 1° *Joan.* 6, Dominus copulative dixit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo communio sub utraque specie est præcepti divini.

Resp. 1° *Nego conseq.* Nam sanguis et caro Christi sumuntur vere sub alterutra specie ; ergo, ut impleatur præceptum, satis est unam speciem sumere.

Resp. 2° *Nego anteced.* Ex more loquendi Hebræorum, particula *et* est sæpe disjunctiva, sicut in his *Exod.* 21 : *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur;* non enim est necesse ut utrumque occidat. Similiter, *Act.* 3 : *Argentum et aurum non est mihi;* et, I *Cor.* 11 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit:* porro, ut judicium sibi manducet et bibat, non est necesse ut sumat utramque speciem ; sumptio enim indigna unius speciei satis est, ut damnationem sibi acquirat ; quod optime significat ibidem Apostolus : *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

762. *Obj.* 2° Dominus, *Matth.* 26, porrigendo calicem consecratum dixit : *Bibite ex eo omnes.* Atqui illud præceptum

respicit omnes fideles, alioqui nec omnes respiceret præceptum manducandi corpus, quod significavit dicens : *Accipite et manducate : Hoc est enim corpus meum.* Ergo.

Resp. 1° *Nego conseq.* Illa enim potatio est omnino spiritualis, et reapse fit, sive una, sive alia sumatur species.

Resp. 2° *Nego min.* Illa enim verba dicta fuerunt solis Apostolis, quos solos tunc Christus alloquebatur ut sacerdotes. Unde laici non tenentur sumere panem ex verbis institutionis, sed ex verbis promissionis Eucharistiæ.

763. *Obj.* 3° Christus dicendo (*Lucæ* 22) : *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit sacerdotibus, ut idem facerent quod ipse modo fecerat. Atqui ipse communionem sub utraque specie porrexerat. Ergo.

Resp. Dist. maj. Jussit ut ipsi sacrificium Missæ offerrent, *concedo ;* ut facerent omnia quæcumque ipse fecit, *nego.* Christus enim tunc Apostolos fecit sacerdotes, et communionem præbuit omnibus astantibus ; ergo et sacerdotes deberent ordinare omnes qui Missæ intersunt, illisque omnibus Eucharistiam distribuere.

764. *Obj.* 4° Qui sub utraque specie communicat, uberiorem recipit gratiam. Porro nefas est populum defraudare gratia a Christo concessa. Ergo.

Resp. Transeat major. Nego min. Leges enim ad Eucharistiæ ritum spectantes habent pro fundamento, non tantum fidelium commoda, sed etiam reverentiam tanto Sacramento debitam ; alias Ecclesia non potuisset prohibere suscipere pluries eadem die Eucharistiam, eam infantibus in articulo mortis concedere, etc. Dico *transeat major*, quia sententia negans illam uberiorem gratiam probabilior est.

PARAGRAPHUS II

AN COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE UBERIOREM CONFERAT GRATIAM

765. I. Prænotanda. *Primo*, certum est, « sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi ; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui unam speciem solam accipiunt. » Trident., sess. 21, cap. 3.

Secundo, certum est, communionem sub utraque specie natam esse ad sensus pietatis actusque fovendos ; idcirco, ex opere operantis, hujusmodi communionem per se uberiorem fructum sortiri. Quo probabilius sensu Clemens VI, Regi Francorum communicandi sub utraque specie facultatem impertiendo, dixit, se hoc privilegium concedere « ad majus gratiæ augmentum. »

766. II. Duplex sententia. At vero multum controvertitur an, præter gratias ex opere operantis concessas et gratias ad salutem necessarias, communio sub utraque specie producat, ex opere operato, quasdam secundarias gratias vel majus augmentum gratiæ, quod ad producendum impar est communio sub una specie tantum ?

Affirmant Alensis, Vasquez, De Lugo, et alii quos citat Vasquez, *De Euchar.*, disp. 215, cap. 2. Negant vero communiter Thomistæ, plerique recentiores cum Salmeronio, Bellarmino, Canisio, Suarezio, et aliis quos citat et sequitur Gonet, *De Euchar.*, disp. 8, a. 4. Et hanc sententiam De Lugo ipse vocat communem, Benedictus XIV utramque innuit, II *De sacrif. Missæ*, cap. 22, n. 22, neutram expresse profitens, licet in negantem videatur propendere.

PROPOSITIO

Probabilius est quod, ex opere operato, et ratione Sacramenti, communicans sub utraque specie non plus gratiæ percipit, quam communicans sub una tantum.

767. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6. Ex hoc potissimum capite colliguntur recensenturque fructus Eucharistiæ sacramenti, quia hoc sacramentum non aliam habet vim quam sibi a Christo inditam. Porro Christus eamdem vim eosdemque effectus Eucharistiæ adscribit, sive sub una, sive sub utraque specie sumatur ; unde totum sermonem concludit dicens : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ergo.

Quod confirmari potest per figuram ipsius Manna, quam ipse Dominus adduxit ;Manna enim fuit perfecta figura hujus sacramenti. Porro nullus potus ipsi Manna permixtus erat, sed ipsum habebat omne delectamentum aptumque erat ad sitim extinguendam. Ergo. Unde Paschasius, *De Corpore Domini,*

cap. 14 : « Si ergo in figura unicum alimentum omnia præstabat, quanto magis ipsum Christi corpus sanguine plenum, unica specie sumptum, omnia perficiet. »

768. 2° *Conc. Tridentino.* In cap. 3 sess. 21, docet, illos qui unam speciem sumunt, nulla gratia necessaria ad salutem defraudari, quia Christus, fons uberrimus gratiæ, est totus sub utraque specie. Ergo a pari possumus concludere, illos neque defraudari ulla alia gratia quæ datur per sumptionem utriusque speciei ; quia utrinque est idem fons et identica gratiæ causa.

769. *Confirmatur* 1°. Concilium docet, illos nulla gratia necessaria ad salutem defraudari. Porro gratia de qua loquitur, non est gratia simpliciter necessaria, nam salus obtineri potest per Pœnitentiam vel contritionem absque Eucharistiæ sumptione. Agitur ergo de necessitate *secundum quid*, seu relativa, nempe de necessitate ad *melius esse*, non vero ad *esse* simpliciter. Atqui hoc sensu intellecta, omnis gratia dici potest necessaria ad salutem, quum omni gratiæ peculiaris gloriæ gradus felicitatisque incrementum correspondeat in Patria. Ergo communicans sub una specie, si non æque uberiorem gratiam adipiscatur, sicut communicans sub utraque, videtur aliqua gratia necessaria ad salutem defraudari.

770. *Confirmatur* 2°. Concilium docet simpliciter, Eucharistiæ fructus esse *primo*, vitam spiritualem ejusque augmentum, et consequenter dulcedinem gaudiumque spirituale ; *secundo*, liberationem a venialibus et præservationem a mortalibus peccatis, consequenterque mitigationem concupiscentiæ ; *tertio*, pignus futuræ gloriæ, consequenterque causam gloriosæ corporum resurrectionis. Porro, in cap. 3 sess. 21, docet verum sacramentum sumi sub qualibet specie. Ergo Eucharistia sub una specie sumpta omnes præfatos producit effectus. Sed præter illos, nec traditio, neque Concilia innuunt alios ; neque videntur posse excogitari. Ergo.

771. 3° *SS. Patribus.* Si peculiares sibi nancisceretur fructus sumptio utriusque speciei, prorsus eorum meminissent SS. Patres. Porro nihil hujusmodi occurrit, et quotiescumque Eucharistiæ effectus recensent describuntque, nullo pacto distinguunt inter sumptionem unius et utriusque speciei. Imo interdum expresse eosdem effectus Eucharistiæ adscribunt, sive sub

una, sive sub duplici specie sumatur ; ita D. Bonaventura, in IV, dist. 11, 2 p., a. 1, q. 2 ; et D. Thomas, 3 p. q. 80, a. 12, ad 3 : « Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi. Nec inde sequitur aliquod detrimentum, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit, et sub utraque specie totus Christus continetur. » Sed explicitius in Opusc. 58 *De Sacramento altaris*, cap. 29 : « Hæc quatuor, corpus, sanguis, anima et Deitas jam ultra non possunt separari ; unde sicut sumit sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi ; et ei est tamen utilis et tam dulcis ut sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de calice. *Canticorum* 1 : *Botrus cypri dilectus meus mihi :* Duo sumo in botro, uvam, scilicet corpus Domini in cibum, et ex uva sugo dulcem sanguinem in potum. »

Unde Bellarminus, IV *De sacram. Euch.* 23 : « Est nostra sententia atque assertio communis, et probabilissima, adeo ut simpliciter asseri, et ex pulpito in concione ad populum proponi possit. »

772. 4° *Ratione. Primo, ex re contenta.* De fide est, totum Christum esse sub utraque specie. Atqui corpus et sanguis prout ibi sunt vi concomitantiæ, non minorem habent virtutem, quam prout ibi sunt vi verborum ; alias enim nec anima, neque divinitas Christi efficaciam haberent in hoc sacramento, aut saltem minorem haberent quam si illi essent ex vi verborum. Porro sanguis Christi est sub specie panis per concomitantiam, et sub specie vini, ex vi verborum ; et vice versa. Ergo utrobique sanguis et corpus æqualem habent virtutem, et utrobique est vinum germinans virgines, sicut panis omne delectamentum in se habens.

773. *Ex falso adversariorum supposito.* Adversarii ultro concedunt, majorem efficaciam non provenire ex re contenta, quæ eadem est utrinque, neque ex speciebus, quæ, prout abstrahunt a re contenta, nullam vim per se habent ; sed contendunt, illam esse repetendam a perfectiori significatione. Porro nec ex illo fonte potest repeti. Ergo. *Prob. minor.* Modus significationis in communione sub utraque specie est utique perfectior quam sub una ; at vero sacramenta efficiunt id quod significant, non autem efficiunt *prout* significant ; nam significatio ipsa

tantum est conditio ad agendum. Quod facile patet exemplis: in Baptismate, simplex ablutio facta in capite, licet minus explicite ac perfecte significet ablutionem mentis, quam trina immersio olim consueta, tamen eosdem prorsus et æque uberiores effectus producit: in Matrimonio, idem est vinculum sub omni respectu, eademque gratia, sive expresse ac perfecte per verba, sive per signa imperfectiora exprimatur: item in omnibus sacramentis, omnes effectus æque materiæ et formæ attribuuntur; et tamen forma perfectius quam materia significat sacramenti effectus.

774. *Nota.* Probabilius totum effectum producit sumptio primæ speciei, perinde ac si sumerentur successive ab eodem plures hostiæ consecratæ; quia hæc omnia fiunt per modum unius. Non ideo tamen inefficax est sumptio vini, quum pertineat ad Sacrificii integritatem. Deinde ne Sacramenti quidem ratione inefficax est, quia nata est eumdem effectum producere, quem reapse produceret, si jam non esset productus, sicut contingeret in illo qui postquam indigne sumpsisset speciem panis, illico contritus fieret ac speciem vini sumeret. Demum, si post speciei panis sumptionem augeatur devotio et fervor, sumptio vini novum gratiæ incrementum producit.

PARAGRAPHUS III

UTRUM SAPIENTER ECCLESIA LATINA COMMUNIONEM SUB UTRAQUE SPECIE PROHIBUERIT

775. Prænotanda. 1° Certum est, ab initio christianæ religionis non infrequenter utriusque speciei usum fuisse, sicut declarat Trident., sess. 21, cap. 2: imo tempore D. Thomæ, qui obiit anno 1274, adhuc communis erat in quibusdam ecclesiis, etiam apud Occidentales; id enim manifeste supponit, 3 p. q. 80, a. 2: « Ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur. » Sed, declinante illo sæculo, usus communionis sub una specie jam invaluerat in Galliis, Germania et Anglia, ut constat conciliis tunc habitis. Sequenti autem sæculo, universalis evasit in tota Ecclesia Latina, atque illum confirmavit conc. Constantiense in sess. 13, habita an. 1415.

2° « In Ecclesia Orientali, tametsi per Quadragesimam, Sab-

batis et Dominicis exceptis, Eucharistia sub specie tantum panis præbeatur, et infirmis in limine mortis itidem sub specie panis ministretur, grandior enim feria V in Cœna Domini panis consecratur, cujus quartam manducat partem sacerdos, tres autem reliquæ partes in particulas quas *meridas* seu *margaritas* vocant, dividuntur, eæque in sanguinem intinctæ statimque igni admotæ exsiccantur, ut per integrum annum conserventur incorruptæ, et cum opus est, moribundis exhibeantur, communi vino emollitæ.... Attamen cum publica in templis fit communio, Sacramentum sub utraque specie præbetur tum viris, tum feminis ad hunc modum, scilicet unicuique sacra porrigitur particula sanguine intincta in cochleari posita, cujus exile et prælongum manubrium est; quam consuetudinem etsi Humbertus Sylvæ Candidæ cardinalis improbavit, libro *Adversus Græcorum calumnias*, egregie defendit cardinalis Bona, II *Rerum liturgicarum*, cap. 28. n. 3. » Benedict. XIV, lib. II *De sacrif. Missæ*, cap. 22, n. 25.

PROPOSITIO

Multis et iis quidem gravissimis rationibus adducta Ecclesia usum calicis prohibuit laicis et clericis non conficientibus principaliter.

776. Prob. *Primo, ex periculo effusionis sanguinis.* Maxime cavendum erat, ne sanguis Domini in terram funderetur. Porro diuturna experientia compertum habuit Ecclesia, illud periculum vix abesse, præsertim quando communio in magno populi concursu erat danda ingenti numero fidelium : qua de causa in multis ecclesiis et regionibus, jam ante Ecclesiæ decreta, introductus fuerat usus communionis sub specie panis tantum.

777. *Secundo, ex uniformitate communionis.* Eucharistia propter ægrotantes vix servari posset sub specie vini, quod mox evanesceret, vel corrumperetur, quia nonnisi in parva quantitate servari deberet; ideo est quasi necessitas communionem sub specie panis tantum porrigere ægrotantibus. Deinde abstemii non possunt communicare sub specie vini, quum pertinaciter abhorreant a vino; abstemii autem non raro contingunt, maxime inter mulieres, et maxime iterum inter

gentes in quibus non colitur vitis, propter aeris nimiam aut frigoris aut caloris acerbitatem; non enim ipsa prosperat ac vinum generat, nisi inter trigesimum secundum et quinquagesimum latitudinis gradum. Unde a tota retro antiquitate Eucharistia ægrotantibus et abstemiis fuit distributa sub specie panis duntaxat [1]. Porro uniformitas in ritu communionis facta est gravis causa, præsertim ex quo aliqui hæretici docuerint, non totum Christum esse sub singulis speciebus et ex quo Ecclesia valde dilatata obtulit immaculatam Hostiam in regionibus in quibus usus vini est fere inauditus. Ergo.

778. *Tertio, ex penuria vini.* Ecclesia Christi est catholica, non tantum ratione temporum, sed etiam locorum; ab ortu enim solis usque ad occasum, et a meridie usque ad septentrionem debet offerri in omni loco Oblatio munda. Ex quo igitur Ecclesia multos habuit filios in dissitissimis provinciis, nonnisi magnis impensis ac difficultatibus vinum transvehi potuisset necessarium ad singulas communiones omnium fidelium.

779. *Quarto, ex hæresi extirpanda.* Tandem, « quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum hæresis qui negabant, sub utraque specie totum Christum esse, sed corpus exsangue sub panis, sanguinem autem sub vini specie contineri asserebant. Ut igitur fidei catholicæ veritas magis ante omnium oculos poneretur, sapientissimo consilio, alterius speciei, hoc est, panis communio inducta est. » *Catechism. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 66 [2].

[1] S. Hieronymus, Epist. 22 *ad Eustochiam*, meminit virginum quæ Romæ, ob insuperabilem vini horrorem, sub specie panis tantum communicabant, et vehementer increpat redarguitque lascivas quasdam mulieres, quæ adversus usum illum obloquentes, sacras illas virgines miseras et manichæas appellabant,

[2] D. Thomas, Opusc. 48, alias 51, *De Sacramento altaris*, cap. 29, quintam tradit rationem quare populus non accipit sanguinem sub specie vini, sicut sacerdos : « Ad habendum vas congruum hujus sanguinis contentivum : sicut enim vinum vas specialius et diligentius præparatum, in quo servetur, exigit quam panis; sic sub specie vini sanguis Christi sumendus solum sacerdotibus conceditur, tanquam vasis Domini ad hoc specialiter consecratis, et sacra religione constrictis, et virtutum pulchritudine excellentius præordinatis. Hinc triplici vasi electo comparantur in Scripturis, scilicet altari consecrato, crateræ ligatæ, aureo scypho. De primo, *Deut.* 12 : *Carnibus hostiarum ipse vesceris; sanguinem fundes in altari*, id est, committes sacerdoti, qui debet esse vas specialiter consecratum et sanctum, et altare dignum ad susci-

780. *Nota.* In concilio Tridentino agitata fuit gemina hæc quæstio : « An rationes quibus sancta catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes, sub una tantum panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus : et an, si honestis et christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui, vel nationi, vel regno, calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus sit, et quænam sint illæ? » Trident., sess. 21, post can. 4.

Illam duplicem quæstionem jam propositam, sub fine sessionis 13, non solvit Tridentinum, propter diversissimas opiniones quæ hinc et hinc prodierunt; ideo illam in aliud tempus, oblata sibi quam primum occasione, examinandam atque definiendam reservavit in sessione 21. In decreto autem finali sessionis 22, posita iterum gemina quæstione, ita statuit : « Nunc, eorum pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit, integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert; qui pro sua singulari prudentia id efficiat quod utile Reipublicæ Christianæ, et salutare petentibus usum calicis, fore judicaverit. »

Concilium Basileense usum calicis concesserat Bohemis, ea spe et conditione, ut ab errore opinandi necessitatem utriusque speciei recederent, nec ullum deinceps compellerent ad sic communicandum. Quæ tamen concessio non felicem nacta est exitum; unde non legitur quod fuerit de novo concessa alicui

piendum sanguinem Domini. Glossa *Exod.* 30 : Altare holocausti significat vitam justorum qui carnem suam quotidie crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis,atque in hostiam Deo viventem offerunt. Ad *Rom.* 12 : Altare holocaustorum est fides pura, doctrina recta, et conversatio bona Christi ministrorum. *Psalm.* 83 : *Altaria tua, Domine virtutum*, etc., quasi dicat : O quam sancta, quam ornata, quam dilecta debent esse sanguinis Christi vasa ! De secundo, *Exod.* 24 : Tulit Moyses dimidiam partem sanguinis victimarum, et misit in crateras. Cratera est vas vinarium multis circulis circumligatum, significans religiosorum sacerdotum vitam virtutibus custoditam, ad Christi sanguinem suscipiendum aptam. *Eccl.* 6 : *Injice pedem tuum in compedes Sapientiæ, et collum tuum in torques illius. Decor enim vitæ est in illo, et vincula illius alligatura salutaris.*.... De tertio, *Eccli.* 50 : *Sacerdos quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*, id est, omni genere virtutum, dicit Glossa : Tale itaque vas exigitur speciale et electum ad suscipiendum sub specie vini sanguinem Christi. »

nationi, vel etiam regi; nam Clemens VI, qui hujusmodi facultatem Regi Francorum indulsit, sedit in cathedra Petri 1342-1352. Postea Pius IV, « vehementer postulantibus Ferdinando imperatore et Alberto Bavariæ duce, tandem concedere inductus fuit, nimirum ut aliqui possent episcopi diœceses habentes in Germania, sub certis conditionibus, ipsum permittere. At cum inde plus mali in Ecclesiam quam boni redundasset, S. Pontifex Pius V necessarium duxit, in sui pontificatus exordio, hanc concessionem revocare. » Pius VI, Epist. Apost. *Quod aliquantum,* 10 martii 1791.

ARTICULUS III

DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS

PARAGRAPHUS I

DE DISPOSITIONIBUS ANIMÆ

SECTIO I

DE DISPOSITIONIBUS NEGATIVIS

PUNCTUM I. — *Immunitas a peccato mortali.*

781. ERROR. Lutherus prædicavit, solam fidem esse dispositionem requisitam ad digne communicandum, peccata vero nullatenus illi officere; imo usque eo desipuit, ut dictitaverit, peccatorem fœdioribus peccatis constupratum esse digniorem accedendi, quia hoc sacramentum non est solum animæ cibus, sed etiam medicamentum; ergo gravioribus onerati peccatis magis illo indigent, juxta illud *Matth.* 9, 12: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Sed « non quælibet medicina competit secundum quemlibet statum infirmitatis; nam medicina quæ datur jam liberatis a febre ad confortationem, noceret, si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam Baptismus et Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati; hoc autem sacramentum est medicina confortativa, quæ non debet dari nisi liberatis a peccato. » 3 p. q. 80, a. 4, ad 2.

PROPOSITIO

Qui accedit ad Eucharistiam sine dispositione ad gratiam et cum peccati mortalis conscientia, lethaliter peccat.

782. Prob. 1° *Scriptura. Matth.* 22. *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo..... Intravit autem Rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*[1]. *Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Hæc Domini parabola significat primario gloriam cœlestem et felicitatem æternam, quæ proponitur ad modum convivii nuptialis. Sed secundario etiam significat sacrum Eucharistiæ convivium, quod est veluti inchoatio convivii æterni, in quo Agnus immaculatus Angelis et Beatis se dat in præmium. Porro vestis nuptialis, scilicet munda, pretiosa ac splendida, non est fides, ut vult Lutherus; omnes enim in illo Ecclesiæ convivio habebant fidem, imo nonnisi per fidem in illud ingredi poterant. Ergo illa vestis est charitas, morumque probitas ac sanctitas; vita enim pura et sancta est instar vestis mundæ et cycladis splendidæ, ex virtutibus et bonis operibus contextæ, quæ mire hominem exornat. Ita Origen., *Tract.* 20 *in Matth.*; S. Chrysost., *Hom.* 41 *in Matth.*; S. Hieron., *in illum locum*; S. August., XXVIII *Cont. Faustum* 19; S. Greg. Magn., *Hom.* 38 *in Evangelia*, et cæteri Patres. Quod autem peccet lethaliter sic accedens, patet ex gravi pœna ei inflicta, scilicet damnatione æterna.

Quam præparationem adumbravit etiam Dominus, *Lucæ* 22, 12, dum jussit discipulis ut præpararent cœnaculum magnum stratum, ad Pascha celebrandum; nam illud cœnaculum in quo Christus facit Pascha cum discipulis suis, est figura cordis fidelis, quod *magnum* esse debet, id est, charitate dilatatum, et *stratum*, nempe margaritis virtutum exornatum. Unde Ori-

[1] Mos erat apud Orientales Reges, priusquam ad mensam suam convivas admitterent, illis præbere splendidas vestes, ne turpi habitu in suo conspectu apparerent.

genes in illud testimonium dicit : « Sit domus hæc a patrefamilias, id est, intellectu, præparata Filio Dei; et sit mundata, nullo modo habens malitiæ sordes. » Et S. Ambros. : « In superioribus autem magnum habet stratum, ut magnum meritum ejus advertas, in quo Dominus cum discipulis sublimium virtutum ejus delectatione requiesceret. »

I *Cor.* 11 : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ibi non agitur de probatione fidei, sed conscientiæ peccatorum; fidem enim prorsus habebant Corinthii quos redarguit Apostolus; unde a versic. 20 usque ad 33, reprendit illos, quia nonnulli ditiores ecclesiam profanabant, in ea sumptuosam sumentes cœnam; et sic fideles scandalizabant, et contemptis pauperibus, quos esurientes relinquebant, ipsi crapulæ et ebrietati vacabant.

783. 2° *SS. Patribus.* S. Clemens I, VIII *Const. Apost.* 27 : « Si quis sanctus est, accedat; si non est, curet ut fiat per Dei misericordiam. » Similis admonitio, inquiunt Suarez et De Lugo, invenitur in fere omnibus liturgiis pristinis, in quibus, ante communionem, fideles præmonebantur ab aliquo de clero, alta voce dicente : *Sancta sanctis !* S. Chrysot., in cap. 1 epist. *ad Ephesios.* : « Cogita quantam adhibebant diligentiam ac reverentiam, qui ad veteris sacrificii victimas participandas se accingebant; quanto conatu ac studio omnia agebant, ut omni ex parte puri ac mundi accederent. Tu vero qui hostiam attingis, quam vel ipsi tremebundi ac stupentes angeli venerantur, nihil aliud curas, nihil aliud observas quam stata temporum festorumque recurrentium intervalla ? Intuere vasa ipsa lota et tersa quanto nitore fulgeant ! Atqui his longe nitidiores oportet esse animas nostras, longe sanctiores et splendidiores. Illa enim nonnisi nostra causa tanto studio adornantur. » Ita omnes Patres, quorum luculentissima quædam testimonia perlegere est apud Suarezium, in 3, disp. 66, sect. 1, n. 3.

784. 3° *Conc. Tridentino,* sess. 13, can. 11 : « *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum : anathema sit.* »

785. 4° *Ratione. Primo, ex rei contentæ dignitate.* Ratio

a priori significatur a D. Paulo, quum dicit : *Non dijudicans corpus Domini :* magna enim injuria Christo irrogatur ab illo qui panem illum cœlestem ac divinissimum non discernit a pane communi. Quam rationem optime declarat Tridentinum, sess. 13, cap. 1 : « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim quum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* »

Secundo, ex fine hujus sacramenti. Eucharistiæ sacramentum non fuit per se institutum ut vitam spiritualem generet in homine, sed ut illam foveat augeatque. Porro mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, et inordinate facit qui illis præbet alimentum. Ergo nec Eucharistia prodest illis qui spiritualiter mortui sunt, seu qui non vivificantur gratia et charitate ; et a fortiori magnam inordinationem facit qui illam ita sumit.

786. *Dices :* Non est majoris dignitatis Christus sub specie Sacramenti quam sub specie propria. Porro peccatores tangentes corpus Christi sub specie propria non peccabant ; quin etiam veniam peccatorum consequebantur, sicut legitur, *Lucæ* 7, de muliere peccatrice, et *Matth.*, 14, 36, dicitur : *Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* Ergo.

Resp. Nego consequentiam. Non enim ratione dignitatis Christi, committitur peccatum, sed ratione modi quo se dat hominibus. In sacramento enim Eucharistiæ significatur Christus ut res contenta, et corpus Christi mysticum seu societas sanctorum, quæ non continetur in sacramento, sed ab illo producitur. Quicumque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat, se esse Christo unitum, et membris ejus incorporatum ; quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est quod quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit ; et ideo incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti violator, et propter hoc mortaliter peccat. Christus autem in

propria specie apparens non exhibebat se tangendum ab hominibus in signum spiritualis unionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento. Et ideo peccatores eum in propria specie tangentes non incurrebant crimen falsitatis circa divina, sicut peccatores sumentes hoc sacramentum. Et præterea Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati ; et ideo convenienter se peccatoribus tangendum exhibebat; sed remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit a muliere, quæ defectum fidei circa ipsum patiebatur, secundum illud *Joan.* 20, 17 : *Noli me tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Et ideo peccatores qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur a contactu hujus sacramenti.

Inst. Sequeretur, peccatores nec posse Sacramentum aspicere; nam visus est sensus perfectior gustu et tactu. Atqui tamen peccator potest absque peccato aspicere Sacramentum, siquidem Ecclesia exponit ut et ipse illud adoret. Ergo.

Resp. Nego major. Nam visus percipit quidem signum corporis Christi seu species sacramentales, non autem ipsum corpus Christi, sicut dictum est supra (272). « Sed ille qui manducat, non solum sumit species sacramentales, sed etiam ipsum Christum, qui est sub eis. Et ideo a visione corporis nullus prohibetur qui sit sacramentum Christi consecutus, scilicet Baptismum. Non baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem hujus sacramenti, ut patet per Dionysium in libr. *Eccles. hierarch.*, cap. 7, ante med. Sed ad manducationem non sunt admittendi, nisi soli illi qui non solum sacramentaliter, sed etiam realiter sunt Christo conjuncti. » 3 p. q. 80, a. 4, ad 4.

Quæritur an aliquis occurrat casus in quo liceat Eucharistiam accipere cum peccati mortalis conscientia ?

787. Affirmant Vasquez, De Lugo et alii, adducentes varios hujusmodi casus. Unde sacerdos celebrans qui non posset recedere sine scandalo, nec tamen posset conteri perfecte, dum recordatur subito, se esse alicujus lethalis peccati reum, sine novo peccato absolvet Sacrificium atque Eucharistiam sumet. Item, ad reverentiam Sacramenti, si invaderetur subito ecclesia ab hæreticis, vel infidelibus, posset fidelis conscius peccati mortalis,

etsi ei non suppeditaret tempus ad perfecte conterendum, sacras hostias sumere. Attamen pro sacerdote celebranti probabilior mihi videtur sententia opposita, quam jam fulsi in tractatu *de Sacramentis* (233); pro fideli autem dici potest, vix illum hujusmodi reverentiæ actum elicere, nisi charitatem habeat; et si forte non habeat, et nihilominus illam pientissimam religionis actionem faciat, verisimiliter benignissimus Salvator gratiam uberiorem infundet, per quam perfecte conteratur.

PUNCTUM II. — *Gravitas peccati illius qui indigne sumit.*

788. *Primo*, indigna communio est sacrilegium, utpote opposita virtuti religionis; Eucharistia enim est res sacrosancta sicut et ipse Christus, cui ex virtute religionis peculiaris cultus et reverentia debetur. Attamen hoc sacrilegium, ex genere suo, non est tam grave peccatum quam hæresis, desperatio et odium Dei; illa enim peccata sunt contra virtutes theologales, quæ immediatius Deum attingunt, ideoque peccatum contra illas est major inordinatio.

789. *Secundo*, indigna communio est peccatum gravius, quam peccata contra virtutes morales; nam privat majori honestate et magis immediate Deum resque divinas attingit. Quod tamen volo dictum, inspecto genere peccati; nam sub genere graviori potest contineri aliqua species moralis minus gravis, quam alia sub inferiori genere contenta; v. g. peccata contra justitiam, ex genere suo, graviora sunt peccatis contra temperantiam; et tamen peccatum contra naturam majus est furto. Ratio est, quia, licet objectum virtutis contrariæ secundum se sit nobilius, tamen modus attingendi illud potest esse inferior ac levior.

790. Unde communiter theologi, post D. Thomam, docent, homicidium esse majus peccatum quam indignam communionem; nam homicidium infert proximo magnum et irreparabile nocumentum; indigna autem communio, quamvis sit Christo valde injuriosa, re tamen ipsa non infert ei nocumentum, neque eum attingit intrinsece. Nec obest quod Patres aliquando crimen indigne communicantis comparent nefandissimo sceleri Judæ, quia, ut advertit D. Thomas, non secundum æqualitatem, sed secundum quamdam proportionem et imitationem locuti sunt; sicut Judas osculo tradidit Christum indignis hominibus ac ini-

micis ejus, ita communicans indigne veluti quodam osculo Christum tradit homini indigno ac ejus inimico, utpote servo diaboli per peccatum : et sicut crucifixores sanguinem Christi fuderunt in suam perniciem, dicentes : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros;* ita indigne communicans sanguinem Christi fundit ac conculcat in suam ipsius damnationem. « Peccatum occidentium Christum fuit multo gravius. Primo quidem quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria ; hoc autem peccatum est contra corpus Christi in specie Sacramenti. Secundo, quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum. »

Idcirco sacrilegium communionis indignæ ponderandum est ex variis circumstantiis, ratione quarum gravius interdum, et levius aliquando invenitur, præ aliis peccatis, quæ sublimioribus, vel inferioribus opponuntur virtutibus. Qui enim communicaret in odium Christi, eo scilicet fine ut illum contemneret atque Sacramentum conculcaret, nefandissimum scelus perpetraret.

Quæritur 1° an gravius sit sacrilegium accedere ad Eucharistiam cum gravioribus peccatis, quam cum levioribus, per se loquendo ?

791. *Resp.* Affirmative cum D. Thoma (3 p. q. 80, a. 5, ad 2), et plerisque theologis. *Primo* quidem gravius peccat qui accedit indignior : porro, etc. *Secundo,* qui in pejori statu versatur, majus impedimentum ponit effectui hujus sacramenti, majoremque fictionem simulat, quum simpliciter magis sit a Christo separatus. — Dixi *per se loquendo,* nam ratione scandali, vel alterius circumstantiæ, accidere potest e converso, ut gravius peccet, accedendo ad hoc sacramentum, qui minora habet peccata. Vide Suarez, in 3, disp. 66, sect. 2.

792. Attamen non est necesse, ut indigne communicans aperiat in confessione qualitatem et numerum peccatorum præcedentium ; sed ad sacrilegii commissi integram confessionem satis est, si peccator dicat, se communicasse indigne ; omnia enim peccata opponuntur communioni sub eadem ratione specifica falsificandi signum sacramentale, et impediendi totum effectum Sacramenti. Sacerdos vero debet aperire circumstantiam celebrationis, quia triplex sacrilegium commisit, nempe

conficiendo, dispensando sibi et sumendo; si aliis etiam dispensaverit, tenetur etiam illud aperire, quia est quartum sacrilegium.

Quæritur 2° an sit, et quale sit peccatum accedere ad Eucharistiam cum peccatis venialibus?

793. *Resp.* 1° Certum est, communionem illam non esse sacrilegam; nam Sacramenti essentia consistit in gratiæ significatione, quæ non falsificatur per indispositionem ad majorem gratiam, sed per indispositionem ad gratiam simpliciter. Unde conc. Trident., sess. 13, cap. 7, ponderans verba D. Pauli, I *Cor.* 11: *Probet autem seipsum*, etc., ad effectum hujus sacramenti solum requirit pœnitentiam et confessionem peccati mortalis. Ita communiter theologi cum D. Thoma, 3 p. q. 79, a. 8.

794. *Resp.* 2° Peccata venialia antea commissa, quæ idcirco sunt in habitu tantum, ex se non impediunt effectum sacramenti Eucharistiæ. Potest enim contingere, ut aliquis multorum venialium reus accedat nihilominus devote, et plenarie hujus sacramenti consequatur effectus; quia ad hoc fuit a Deo institutum, ut a quotidianis culpis liberemur. Quod tamen supponit, accedentem habere attritionem peccatorum venialium; si enim affectu ipsis adhuc inhæreret, certe non delerentur. Qui ergo ita accedit, peccatne venialiter?

795. Affirmat De Lugo (*De Eucharis.*, disp. 14, sect. 2, n. 31); « nam sicut est obligatio sub veniali non accedendi absque aliqua præparatione, dispositione et devotione; sic a fortiori videtur esse obligatio sub veniali procurandi aliquam puritatem, et auferendi sordes etiam leves, quæ nimium maculatam reddunt animam; ad quod significandum Christus videtur lavisse discipulorum pedes, antequam Eucharistiam illis daret. » Et licet obicem non ponat principali effectui, ponit tamen aliquibus secundariis, puta remissioni venialium, dulcedini et gaudio spirituali, fervori charitatis, etc. Quod vix fieri potest, quin peccetur venialiter. Attamen hoc intelligi debet moraliter et respective; quemadmodum enim non eadem, neque tanta ad convivium requiritur mundities in rustico, quam in nobili viro; ita quoad Eucharistiam nec æqualis puritas ac immunitas a venialibus requi-

ritur in rustico vel laico rebus sæcularibus implicato, sicut requiritur in religioso et sacerdote.

Hanc sententiam tenuisse videtur S. August., *De Eccles. dogm.* cap. 53 : « Si adhuc habet voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari, et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis... Sed hoc de illo dico, quem capitalia et mortalia peccata non gravant. » Illam etiam expresse tenet S. Anselmus, in I *Cor.* 11 : « Indigne accedit qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit, et non est confessus. » Illam propugnat Suarez, in 3, disp. 66, sect. 1, n. 8, ubi tamen sapienter excipit casum quo communicans non recordaretur peccati actualis, cujus dolore neutiquam afficitur, vel recordaretur quidem, sed pro fragilitate non posset voluntatem ab illo avertere, dummodo alioqui procuret cum timore et reverentia accedere.

796. Negant vero Scotus, Vasquez et alii cum quibus stare videtur S. Alphonsus, lib. VI, n. 270. « Ratio est, inquit, tum quia hæc potius esset deficientia perfectæ reverentiæ, quam positiva irreverentia ; tum quia ipsa voluntas recipiendi Eucharistiam et ejus effectum est quædam virtualis venialium detestatio, qua culpæ removentur, ita ut ipsæ minime Sacramenti fructum impediant. » Sed hæc ultima ratio est præter quæstionem, supponitur enim, accedentem non habere detestationem, sed potius affectum peccatorum venialium. Prior vero petitio principii mihi videtur ; nam præcise ostendere oportet, hujusmodi defectum esse deficientiam *perfectæ* reverentiæ, non autem *debitæ* reverentiæ. Unde sententia affirmans mihi videtur probabilior, et confirmabitur ex infra dicendis de devotione requisita ad communionem ; etenim vix potest fieri, ut quis habeat devotionem requisitam, quin virtualiter detestetur peccata venialia. Si autem illam devotionem non habeat, peccat saltem venialiter.

797. *Resp.* 3° Si quis committeret venialia in actione ipsa qua accedit ad Eucharistiam ; illa peccata vel intrinsece afficiunt actionem ipsam, vel mere concomitanter se habent ad illam. Si prius, prorsus sunt irreverentia erga Sacramentum, atque saltem levis profanatio ; ut si quis communicaret ob inanem glo-

riam, vel alium finem venialem. Ita omnes theologi. Si posterius, negant Vasquez, Sa, et alii ; v. g. si aliquis voluntaria distractione, aut verba aliqua otiosa proferendo, accederet. Verius tamen affirmant Suarez, S. Alphonsus et communiter theologi. Ratio est, quia talis communicans positivam irrogat injuriam Sacramento. Et hoc non obscure innuit Tridentinum, sess. 13, cap. 7 : « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat. »

PUNCTUM III. — *Præceptum confitendi mortalia ante communionem.*

798. Quia totam catholicam doctrinam illius præcepti compendiose tradiderit conc. Tridentinum, sess. 13, cap. 7, et can. 11, juvat in primis illius verba referre. Itaque cap. 7, postquam docuerit, requiri reverentiam et sanctitatem ad Eucharistiæ sumptionem, propter tanti sacramenti sanctitatem et divinitatem, subjunxit : « Præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : *Probet seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris : quod si necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. » Et can. 11 : « Ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice

disputando, defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. » Unde sequentia potissime perpendenda sunt :

I. — Natura hujus præcepti.

799. Dari præceptum, patet, ex dictis, clarius ipso sole ; sed controvertitur an detur etiam præceptum divinum. Probabilior est sententia affirmans, quam fulcit De Lugo, *De Euch.*, disp. 14, sect. 4. Nam Apostolus dicit : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Deinde recenset quæ accepit et tradidit, atque inter illa invenitur probatio, quam concil. Tridentinum interpretatur de sacramentali confessione pro omni qui conscius est peccati mortalis. Quocirca Concilium docet, illud præceptum fuisse a consuetudine *declaratum*, non vero introductum. Quod non obscure significat S. Leo Magnus, *Epist.* 91 : « Christus Jesus præpositis Ecclesiæ hanc tradidit potestatem, ut et pœnitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. »

Quæritur an qui modo rite confessus, oblitus fuerit alicujus peccati mortalis, teneatur ante communionem illud confiteri ?

800. Affirmant communiter theologi, inter quos Suarez, De Lugo, Salmanticenses, La Croix, Billuart, qui tamen oppositam sententiam uti probabilem habet. Probatio enim quam imponit Dominus et Ecclesia, prærequirit confessionem omnium mortalium, quorum habetur conscientia. Atqui, etc. Et confirmatur praxi fidelium, qui in hoc casu, redeunt ad confessarium, ut confiteantur peccatum inculpabiliter omissum, priusquam accedant ad sacram mensam.

801. Recentiores, inter quos Pontas, Collet, S. Alphonsus, sat communiter negant; et hæc sententia mihi videtur probabilior. Concilium enim Tridentinum dicit, eum adstringi præcepto confessionis, qui conscius est sibi peccati mortalis. Porro qui jam absolutionem sacramentalem alicujus peccati accepit, non magis est illius peccati conscius quam cæterorum quæ confessus est ; unde Catechismus Romanus, Concilii fidissimus interpres, vocem *conscium* intelligit de stimulo : « Definitum est

enim a sancta Tridentina synodo, nemini licere, quem peccati mortalis conscientia stimulat, etc. (n. 57). » Sed peccati jam indirecte remissi per confessionem sacramentalem, amplius non est stimulus. Sane scopus legis est, ut fidelis conscius peccati mortalis tutius ac purius abluatur; quod fit per absolutionem, non autem videtur quod præcipuus scopus legis sit ipsamet confessio peccati. Aliunde aliquatenus jam confessus est peccatum, scilicet formaliter, licet non materialiter. Praxis fidelium est quidem optima ac laudanda; et ideo nemo debet ab illa averti; sed non ideo haberi potest ut regula obligationis.

II. — Necessitas urgens, et defectus confessarii.

802. Urgens autem necessitas reputatur a sapientioribus ea quæ oritur ex lege naturali vel divina. Unde si quis non posset communionem prætermittere sine scandalo vel nota infamiæ, versaretur in necessitate urgente; cujusmodi est sacerdos qui ex officio tenetur diebus dominicis et festivis celebrare; vel etiam si Missam promisisset pro determinata die, nec posset sine suspicione illam differre in alteram diem; vel etiam si jam inchoatum esset Sacrificium, et non posset deseri sine scandalo. Ante enim consecrationem, si recordetur, locum in quo celebrat, esse interdictum, vel se esse suspensum, aut excommunicatum, aut conscium peccati mortalis, atque possit recedere sine scandalo, debet Missam inceptam deserere: ita enim fert expresse Rubrica Missalis, *De defectibus*, tit. VIII. Si autem non potest recedere, advertunt doctores, ipsum teneri confiteri ante consecrationem alicui ex ministris sacerdoti, dum solemniter celebrat, si tamen id fieri possit secreto et absque periculo infamiæ; quod sat arduum videtur: post vero consecrationem, nullo pacto licet interrumpere Sacrificium, et ideo si tunc solummodo peccati conscius fieret, deberet conteri perfecte. Idem dicendum est de fideli qui jam in scamno genuflexus esset, vel accederet ad sacram mensam, si non posset recedere sine scandalo vel infamiæ nota. Ex præcepto divino autem teneretur sacerdos perficere atque consummare Sacrificium inchoatum, si celebrans morbo vel morte post consecrationem correptus esset. Sed non esset urgens necessitas devotio, lucranda indulgentia, nec etiam paupertas sacerdotis qui stipendio missarum indiget ad victitandum.

803. Deest copia confessarii, si nullus sit præsens approbatus ad confessiones audiendas in loco peccatoris; vel si iste versetur in impossibilitate aut physica, aut morali adeundi confessarium approbatum, et tamen urgeat necessitas. Si confessarius utique præsto sit, sed si ignarus idiomatis, adeo ut confessio fieri nequeat sine interprete, si surdus factus sit, si ex confessione esset pertimescendum grave damnum, inimicitia, etc. Sed non deest copia confessarii, si adsit approbatus cui confessio facienda non habet alia incommoda, quam repugnantiam, superbiæ fractionem, verecundiam, sicut posset accidere inter parochum et suum vicarium, prælatum et subditum. Casum vero in quo haberet peccatum reservatum cujus absolvendi potestas non esset in confessario præsente, magis tempestive solvemus in tractatu de Pœnitentia.

III. — Clausula quam primum.

804. *Primo*, obligatio confitendi quamprimum spectat tantum sacerdotes celebrantes, non autem laicos vel sacerdotes communicantes more laicorum. Patet ex verbis Concilii : « Si sacerdos absque prævia confessione celebraverit. » Ratio hujus discriminis fundatur in eo quod sacerdos communiter versatur in necessitate morali celebrandi fere singulis diebus ; dum laicus rarissime versatur in necessitate communicandi, et, communione facta, nonnisi post diuturnum tempus redire potest ista necessitas. Vide S. Alphonsum, lib. VI, n. 268.

805. *Secundo,* clausula *quam primum* proprie dictum includit præceptum, non vero merum consilium, sicut aliqui effutiverant; unde Alexander VII damnavit sequentem propositionem : « Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi *quam primum* est consilium, non præceptum. »

806. *Tertio,* illa clausula *quam primum* non potest intelligi de prima vice qua confitebitur, nec de tempore quo consuevit confiteri; sicut patet omni qui verba sensu obvio sumit, et non detorquet in fallaces interpretationes. Unde Alexander VII damnavit etiam sequentem : « Illa particula *quam primum* intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur. » Attamen non physice, sed moraliter intelligenda sunt : sic enim præcepta sumuntur, nisi aliter expresse notetur. Quocirca debet confiteri

post unum vel alterum diem, nisi impedimenta legitima sint; *quam primum* in hujusmodi negotiis, more recepto, non extenditur extra triduum. « Communiter tamen dicunt De Lugo, ... Viva, — Diana, ... Garcia..., quod aliquando per accidens, ex tali præcepto, sacerdos ille teneretur confiteri eadem die, et forte eadem hora, puta si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec posset confiteri. » S. Alphons., lib. VI, n. 266. Et confirmatur Rubrica *De defectibus Missæ*, tit. VIII : « Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur : debet tamen cum primum poterit, confiteri. »

807. *Quarto*, si post Missam tantum sacerdos recordetur peccati mortalis, teneturne *quam primum* confiteri? Communiter negant theologi, quia tunc non celebravit conscius peccati mortalis; quod tamen fert lex Tridentina. Si autem illius peccati meminerit post consecrationem et ante communionem, dubitatur an teneatur etiam *quam primum* confiteri. Affirmant Suarez, Bonacina et alii, quia reapse celebravit conscius peccati mortalis. Negant autem Vasquez, De Lugo et alii, quia Concilium loquitur de eo qui celebrationi potest præmittere confessionem : porro qui post consecrationem tantum fit conscius peccati mortalis, nequit præmittere confessionem. Deinde Rubrica Missalis, ubi *De defectibus*, utrumque casum contemplatur ,et de eo qui recordatur ante celebrationem, dicit, quod « debet cum primum poterit, confiteri ; » particulam *cum primum* non adhibet pro illo qui recordatur tantum in ipsa celebratione : « Si in ipsa celebratione Missæ sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi. » Hæc sententia non caret probabilitate; sed prima mihi videtur esse magis ad mentem Concilii, quia confessio prævia videtur præcepta magis propter communionem, quam propter consecrationem, ut patet perpendenti accurate verba Concilii. Unde communiter theologi asserunt, sacerdotem illo præcepto astringi, non in ratione conficientis, sed in ratione sumentis Eucharistiam. Nec obstat quod Rubrica particulam *quam primum* non iteraverit; nam, quia illam nuper posuerat cum præcepto confitendi, et in præsenti meminit tantum propositi adimplendi illud præ-

ceptum, non erat necesse iterum aperire modum quo adimplendum sit præceptum.

Quæritur an præceptum confitendi quam primum obliget sacerdotem qui habens copiam confessarii celebrat sine prævia confessione, vel celebrat sine urgente necessitate ?

808. Sylvius, Billuart et alii affirmant ut probabilius; nam, quamvis Concilium loquatur tantum de sacerdote qui conscius peccati mortalis, ex necessitate, non præmissa confessione, celebrat; a fortiori eodem præcepto tenetur qui absque necessitate et habita copia confessarii, non præmissa confessione, sacrilege celebrat; si enim requirat Concilium ab eo qui, necessitate compellente celebrat, ne eamdem necessitatem incurrat, quanto magis ab eo qui sine ulla necessitate sacrilege celebrat, ne inde consuetudinem sacrilege celebrandi contrahat.

Negant vero Suarez, Vasquez, De Lugo, S. Alphonsus, et communissime theologi. Verior videtur hæc sententia; nam Concilii lex est positiva atque odiosa, utpote onus imponens; ideo sumenda est stricte. Porro in ipsa non comprehenditur sacerdos de quo agitur, nec argumentum a pari, vel a fortiori, est efficax in hac materia. « Deinde reddi potest ratio diversitatis, nam hoc præceptum, inter alias causas, videtur impositum ad tollendam occasionem fingendi necessitatem celebrandi sine prævia confessione, vel differendi nimium confessionem. Cum enim sit sacerdoti imposita obligatio confitendi statim post celebrationem, si antea non potuit, ac bona fide omisit, multo magis erit sollicitus quilibet timoratus sacerdos de præmittenda confessione, antequam celebret; hæc autem ratio non procedit in iis qui, sine titulo necessitatis, in peccato celebrant, et ideo non oportuit de novo obligationem vel laqueum eis imponere, quia ipso divino jure satis obligantur ad præmittendam confessionem, antequam celebrent. » Suarez, in 3, disp. 66, sect 7, n. 4. Quippe contemnunt præceptum divinum, a fortiori ecclesiasticum contemnerent. Recte tamen advertit S. Alphonsus post De Lugo, quod si talis sacerdos ex necessitate, omissa contritione, celebraret, utique teneretur ad confitendum quam primum, quia præceptum Tridentini minime distinguit inter sacerdotem habentem vel non habentem contritionem, sed loquitur de quo-

cumque sacerdote ex necessitate celebrante et non habente copiam confessarii. S. Alphons., lib. VI, n. 266, q. 5.

SECTIO II

DE DISPOSITIONIBUS POSITIVIS

Positivæ animæ dispositiones ad communionem comprehenduntur sub nomine *devotionis,* circa quam in præsenti tria præsertim inquiri solent, nempe quibusnam actibus constet, an peccet qui sine ipsa accedit, atque utrum nullum Eucharistiæ fructum percipiat.

PUNCTUM. I — *Actus quibus coalescit devotio.*

809. Non est hujus loci describere omnes et singulos actus quibus fidelis debet se præparare ad reverenter devoteque suscipiendum Dominum suum in Eucharistia; illi enim inveniuntur in libris pietatis, maxime in Missali, tum in orationibus quæ sacerdotis communionem antecedunt ; tum in præparatione ad Missam pro opportunitate sacerdotis. Satis sit igitur innuere tres præcipuos actus pietatis quibus maxime convenit se præparare, nempe *fidem, charitatem* et *humilitatem.*

810. 1° *Fides.* In primis fideles debent discernere mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, cœlestem hunc panem a communi. Atqui hoc fit cum certo credimus, præsens esse verum corpus et sanguinem Domini, quem *in cœlo Angeli adorant* (*Psalm.* 96, 8) ; ad cujus nutum *columnæ cœli contremiscunt et pavent* (*Job.* 26, 11) ; cujus *gloria plenum est cœlum et terra* (Isai. 6, 3). Hoc nimirum est *Judicare corpus Domini*, quod Apostolus admonuit (I *Cor.* 11, 29) ; cujus tamen mysterii magnitudinem venerari potius oportet, quam in disputationibus ejus veritatem curiosius perquirere.

811. 2° *Caritas.* Eucharistia est sacramentum dilectionis et unitatis, quo fideles perfecte copulantur Christo capiti, et inter se consociantur, viventes omnes vita illius qui dixit : *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Unde si ad participationem sacrificii, in veteri Lege, necesse erat deponere inimicitiam omnem atque reconciliari fratri suo, juxta illud *Matth.* 5, 23 et 24 : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri*

tuo, et tunc veniens offeres munus tuum ; a fortiori hæc prævia conditio necessaria est ut quis ad sacram Domini mensam accedat. Caritas enim præcipue est vestis nuptialis, sine qua intrans in convivium nuptiarum Agni ejicietur in tenebras exteriores. De illa et altera dispositione ita S. Bonaventura in *Breviloq.* p. 6, cap. 9 : « Quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu ; non in ventre, sed in mente : et mens Christum non attingit, nisi per cognitionem et amorem, per fidem et charitatem ; ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, et charitas inflammat ad devotionem : ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, et per devotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius trajiciatur in ipsum mysticum corpus. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote et inconsiderate accedit, judicium sibi manducat et bibit ; quia tanto sacramento contumeliam facit. »

812. 3° *Humilitas.* Præterea taciti cum animis nostris cogitemus quam indigni simus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud Centurionis, de quo ipse Salvator testatus est (*Matth.* 8, 10), *se non invenisse tantam fidem in Israel*, ex animo dicendum est : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* Ut igitur sese humiliet communicaturus atque illius peccatorum reliquiæ magis ac magis mundentur, dicitur *Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Ecce Agnus Dei.*

PUNCTUM II. — *Peccatum illius qui absque ulla devotione accedit.*

813. PRÆNOTANDA. Indevotio tripliciter contingere potest, scilicet vel ex naturæ debilitate et diaboli nequitia, quin ipsi consentiat voluntas, sed potius reluctetur ; vel ex debilitate quidem naturæ, aut malitia diaboli, vel tepiditate, sed cum aliquo voluntatis assensu, quæ ejusmodi indevotionem excutere neutiquam conatur ; vel ex ipsamet malitia vel pravitate voluntatis, quæ de industria quærit distractiones. In primo casu, accedens non peccat, ut patet, atque percipit Sacramenti fructus, saltem principales ; nam interdum dulcedine et gaudio spirituali defraudatur. In tertio casu videtur mortaliter peccare, et ideo nullum

fructum percipit, sed potius judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini ; tunc enim formaliter contemnit divinissimum ac tremendum Sacramentum ; quod esse non potest absque mortali peccato. Et hoc in sensu prorsus accipienda sunt ultima verba S. Bonaventuræ superius adducti (811). In secundo casu, aliqui plus æquo laxitati indulgentes contenderunt, nullum esse peccatum, ne veniale quidem ; quia susceptio Eucharistiæ non est oratio, neque colloquium cum Deo habitum, sed manducatio ; porro, inquiunt, nulla cibo injuria fit, etsi distracte sumatur. Contra quos :

PROPOSITIO

Qui voluntarie accedit ad sacram mensam sine devotione et cum distractionibus, peccat venialiter.

814. Prob. 1° *Conc. Tridentino.* Sess. 13, cap. 7 : « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte ; certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat. » Porro indecentia respectu tanti sacramenti est, ad minus, veniale peccatum.

815. 2° *Catechismo Romano.* 2 p. cap. 4, n. 56 : « Ut pateat, eam præparationem maxime necessariam esse, Salvatoris nostri exemplum proponendum est. Nam antequam Apostolis pretiosi corporis et sanguinis sui sacramenta daret, quamvis jam mundi essent, pedes eorum lavit (*Joan.* 13, 5 et seq.), ut declararet, omnem diligentiam adhibendam esse, ne quid nobis ad summam animi integritatem et innocentiam desit, cum sacra mysteria percepturi sumus. »

816. 3° *Ratione. Primo, ex Sacramenti dignitate.* Qui principem terræ, absque ulla præparatione, et voluntariis distractionibus, susciperet in domum suam, prorsus irreverentiam erga illum committeret ; a fortiori qui Regem regum et Dominum dominantium, Agnum immaculatum, absque reverentia, et mentis divagatione, in cor suum exciperet. Ergo.

817. *Secundo, ex incommodis.* Qui communicat indevote, ponit obicem uberiori gratiæ sanctificanti, gratiis secundariis, et gratiis actualibus ; et præterea, si hujusmodi consuetudo

inveterasceret, valde sese exponeret periculo non dijudicandi corpus Domini. Atqui illa agendi ratio non potest esse absque veniali peccato. Ergo.

818. *Tertio, ex falso fundamento adversariorum.* SS. Patres unanimi ore conclamant, non licere panem eucharisticum sumere tanquam panem communem. Deinde panis communis sumi potest distracte, quia attentio et reverentia non est dispositio prærequisita ad illius sumptionem; modo appetitus paratus sit, plane sufficit: si autem nausearet cor super illum, atque ipse gravaret stomachum, propter nocivos humores quibus oneraretur, introductio panis in illum stomachum aliquam inordinationem indueret. Porro appetitus ad Eucharistiam est fervor charitatis et vehemens desiderium sumendi illam; quod præsupponit fidem et reverentiam. Ergo.

Quanto igitur verius ac scitius ita pientissimus aurei operis *De Imitatione Christi* auctor! « Ecce Noe vir justus in Arcæ fabrica centum annis laboravit, ut cum paucis salvaretur: et ego quomodo me potero una hora præparare, ut mundi fabricatorem cum reverentia sumam? Moyses famulus tuus magnus et specialis amicus tuus Arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam et mundissimo vestivit auro, ut tabulas Legis in ea reponeret: et ego putrida creatura audebo te, conditorem Legis, ac vitæ datorem, tam facile suscipere? Salomon, sapientissimus Regum Israel, templum magnificum septem annis in laudem nominis tui ædificavit; et octo diebus festum Dedicationis ejus celebravit; mille hostias pacificas obtulit; et Arcam fœderis in clangore buccinæ et jubilo in locum sibi præparatum solemniter collocavit. Et ego infelix et pauperrimus hominum quomodo te in domum meam introducam qui vix mediam expendere devote novi horam? et utinam vel semel digne fere mediam! » Lib. IV, c. 1, n. 3 et 4. Sed perlegendum est totum caput.

PUNCTUM III. — *An qui cum indevotione venialiter culpabili communicat, nullum Sacramenti fructum percipiat?*

819. DUPLEX SENTENTIA. Contensonius (lib. XI, p. 2, dissert. 4, cap. 1, speculatione 3) contendit, eum qui ita accedit, nullum Sacramenti fructum percipere, etsi communionem indignam non facit; quia inter dignam et indignam communionem dari potest media, scilicet communio nulla. Et pro sua sententia citat

S. Bonaventuram, Alensem, Cajetanum, Paludanum, Sylvestrum, imo S. Thomam, qui, in IV, dist. 2, q. 2, a. 1, q. 3, ita habet : « Cum hoc sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, et peccata venialia virtutum actus tollant, absque peccato mortali potest effectus hujus sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum venialis peccati, ex hoc quod imparatus accedat. »

Confirmat suam sententiam doctrina Patrum et Sanctorum, qui a frequenti communione arcent eum qui indevote et tepide ad sacram mensam accederet. Deinde Eucharistiæ sacramentum per modum cibi institutum est : porro cibus nec nutrit, nec auget, neque comedentem reparat sine ullo vitali illius actu ; ergo nihil proderit panis vitæ et intellectus, panis vivus, lac rationale sine ulla vitæ spiritualis operatione. Tandem huc facit etiam optime concilium Tridentinum, quod, sess. 6, cap. 7, docet, « justitiam in nobis recipere, unumquemque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem ; » in adultis igitur sicut nec infunditur gratia sine dispositione et cooperatione ipsorum, ita neque augetur ; intenditur enim forma et habitus iisdem dispositionibus quibus acquiritur. Porro qui indevote ac tepide accedit, cum affectu ad venialia, nec dispositionem, neque cooperationem præstat. Ergo. S. Alphonsus dicit, illam sententiam non esse improbabilem, sed oppositam esse communiorem (lib. VI, n. 279, q. 2). Negantem enim tenent Soto, Vasquez, Suarez, De Lugo, Gonet, Sylvius, Tournely, etc. ; qui tamen bene advertunt, tunc nonnisi principalem fructum, scilicet augmentum gratiæ sanctificantis percipi. Cum quibus :

PROPOSITIO

Devotio non est necessaria ut sumens Eucharistiam percipiat ejus fructum principalem.

820. Prob. 1° *Concil. Tridentino.* Sess. 7, can. 6 : « Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non continere gratiam,

quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre...: anathema sit. » Porro ex doctrina Patrum et Doctorum obex gratiæ est vel peccatum mortale, vel voluntas non libere consentiens sumptioni, non autem peccati venialis affectus, nec indevotio, neque tepiditas. Ergo.

Confirmatur. Concilium, sess. 13, cap. 7, ut quis faciat dignam communionem, requirit duntaxat immunitatem a peccato mortali. Porro communio digna esse non potest, si voluntarie ponatur obex omni ejus effectui ; tunc enim falsificatur Sacramentum, et ita sumens opponitur ejus significationi ; quippe sacramentum est essentialiter signum efficax gratiæ. Ergo. Nec fauste adducitur medium inter dignam et indignam communionem, scilicet nulla ; ista, si detur, locum occurrit quando accedens habet peccatum mortale, cujus nec conscientiam, neque attritionem habet, et ideo inculpabiliter ponit obicem : quod non contingit in casu de quo agitur, siquidem communicans indevote ac tepide venialiter peccat, atque ideo culpabiliter poneret gratiæ obicem, et ideo homo teneretur sub mortali se ad devotionem excitare, atque prius tepiditatem affectumque ad venialia exuere.

821. 2° *D. Thoma*. « Effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus ; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis. » Et ad 1 : « Ille qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritualiter, sed non actualiter, et ideo habitualem effectum hujus sacramenti percipit, non autem actualem. »

Ibi manifeste Angelicus Doctor loquitur de proprie dictis peccatis venialibus ; et ideo immerito Contensonius illum locum exponit de distractionibus naturalibus quæ sine culpa accedunt. Neque in præsenti sibi opponitur propter ea quæ dixit in IV, dist. 2, q. 2, a. 1, q. 3 [1] ; nam ibi adducit devotionem actualem uti conditionem, ut quis *plene* effectum Sacramenti consequatur ;

[1] De Lugo et S. Alphonsus existimant, S. Thomam mutavisse suam sententiam, atque retractavisse in Summa quæ dixerat in IV : sed, ut patet, non est necessitas hujusmodi interpretationem adducendi.

ideo quæ subdit et enumerat, intelligi debent de plenitudine effectus. Unde quando dicit infra : Aliquis augmentum gratiæ non consequitur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrit, illorum verborum sensus sumendus est ex scopo et mente auctoris, quæ in principio ipse declaravit ; agit enim de consecutione plenitudinis effectus, non vero de consecutione simpliciter. Quocirca sensus illorum verborum ita exacte redditur : Qui non habet actualem devotionem, non tantum non alios effectus, sed ne ipsum quidem augmentum gratiæ habitualis *plene* consequitur. Est ergo utrobique sibi idem D. Thomas ; sed forsan clarius elocutus est in Summa Theologica.

822. 3° *Ratione. Primo, ex efficacia Sacramenti.* Novæ Legis sacramenta semper ex se, id est, ex *opere operato*, producunt gratiam in anima suscipientis ; unde, si gratia non infundatur, hoc provenit vel ex reluctante suscipientis voluntate, vel ex aliquo impedimento in anima existente. Porro neutrum existit in præsenti casu ; nam accedens habet voluntatem suscipiendi, ut patet, et peccata venialia, tepor ac indevotio esse possunt cum gratia in eodem subjecto, et ideo illam non cohibent quando infunditur, sed remittunt tantum : qua de causa S. Thomas dixit, accedentem indevote ne augmentum quidem gratiæ *plene* consequi ; et Tridentinum, sess. 6, cap. 7, docet, duas esse rationes, ac veluti regulas juxta quas mensuratur gratia infusa a Spiritu Sancto, scilicet primum voluntatem suiipsius qua singulis partitur prout vult ; deinde dispositionem et cooperationem suscipientis. Igitur, si hæc dispositio et cooperatio sit imperfectissima, sicut accidit in tepido indevotoque, quantitas gratiæ, sub hac ratione seu mensura, valde minuitur.

823. *Secundo, ex fine sacramenti Eucharistiæ.* Eucharistiæ sacramentum institutum est ad modum spiritualis alimoniæ. Porro alimonia naturalis, etsi non sumatur cum appetitione, atque stomachus vexetur nocivis humoribus, nihilominus nutrit sæpe sæpius, ac aliquando sanat viresque instaurat. Ergo a fortiori cibus spiritualis, maxime eucharisticus potest nutrire ac confortare, licet non sumatur cum appetitione, id est, devotione ; quia, in alimento corporali, nutritio fit per actionem viventis circa alimentum ; in refectione autem eucharistica, nutritio fit per actionem cibi circa alitum ; et ideo non est tam necessaria actio ex parte sumentis.

824. *Tertio, ex falsis adversariorum fundamentis.* In primis Patres a *frequenti* tantum communione arcent qui indevote accedunt cum affectu ad venialia; non autem simpliciter illos arcent a communione. Quod tamen prorsus præstitissent, si ratum habuissent, communionem indevotam esse communionem nullam. Arcent a frequenti communione, propter alias sapientissimas rationes quas infra recitabimus. Falsitas secundi fundamenti patet ex dictis (823). Deinde non tantum gratis, sed etiam falso asseritur, easdem requiri in subjecto dispositiones ad vitam accipiendam, quam ad illam augendam; in ordine enim naturali, ut principium vitæ vegetativæ recipiatur in materia, non prærequirit illam organisatam, quod tamen supponit augmentum vitæ; item nullus adultus potest justificari sine pœnitentia et proposito non peccandi de cætero, augmentum vero justificationis istam conditionem non per se prærequirit. Aliunde qui cum affectu ad venialia et indevote accedit, potest habere omnes dispositiones requisitas ad justificationem, nam integra confessio facta cum attritione consistere potest cum tepore, affectu ad venialia et indevotione; alias omnes qui ita reciperent absolutionem, non absolverentur a peccatis mortalibus, quod est contra doctrinam catholicam. Ergo stando ipsis adversariorum principiis, communicans indevote potest suscipere augmentum gratiæ, quia habet dispositiones quæ requiruntur ad suscipiendam primam gratiam.

825. *Dices:* Sequeretur, sacerdotes quotidie celebrantes tepide plus gratiæ et charitatis recipere, quam sanctissimos viros in spiritualibus exercitiis. Porro hoc est falsum et contra experientiam; constat enim istiusmodi sacerdotes non propterea esse ferventiores in operando, neque proficere in virtute, imo potius in spiritualibus exercitiis esse valde languidos, etc. Ergo non suscipiunt augmentum gratiæ et charitatis, siquidem, ut optime dicit D. Thomas, opusc. 61, cap. 30, « amor operatur magna, et reputat parva; operatur multa, et reputat pauca; operatur diu, et reputat breve. »

Resp. Nego min. Gratia aucta in sacerdotibus tepidis quotidie celebrantibus non operatur, ob duas causas: *primo* enim habitus infusi non auferunt difficultatem relictam in actibus vitiosis, qui sunt acquisiti, et ideo non possunt eradicari, nisi per oppositos habitus etiam acquisitos. *Secundo*, habitus gratiæ et

charitatis proxime operantur per auxilia actualia, quæ, ob mentis distractiones et peccata venialia in celebratione commissa, sacerdotibus illis denegantur. Unde non mirum est quod, in exercitiis spiritualibus, sint nihilominus valde tepidi et languidi.

826. Nota. Si tamen frequentius tepide celebrent, merito et cum magno fundamento timere debent, ne sint in statu peccati mortalis, maxime si nunquam fere ferventes ad altare accedant. Si quis vero diu perseveret in gratia evitans omne peccatum mortale, satis in hoc effectu manifestatur frequentis communionis efficacia, quæ, ut docet conc. Tridentinum, præservat a mortalibus peccatis. Vide Suarez, in 3, disp. 63, sect. 3; Gonet, *De Eucharis.*, disp. 8, a. 3, n. 58; De Lugo, *De Eucharis.*, disp. 14, sect. 3, n. 48 et 49, ubi asserit, cœleste semen gratiæ suffocari a sollicitudinibus, negotiis, etc. At quemadmodum semina in densis sylvis sparsa atque recondita illico germinant fructusque mox afferunt, si arbores sylvæ securis detruncet; ita fit pro gratia sacramentali. Cujus rei in exemplum affert ibidem De Lugo heroicam constantiam qua sacerdotes catholici crudelissima perpessi sunt tormenta mortemque appetiere, quando Granatenses Mauri rebelles pugnaverunt contra Regem Catholicum. Iterum mirabilius eadem efficacia eluxit in Galliis, declinante præcedenti sæculo, quum acerrime religio catholica impugnaretur; non pauci enim sacerdotes, qui usque tunc celebraverant tepide, nec habebantur ut valde fortes et constantes in fide, tamen, postquam procella vehementer illos exagitaverit, terrenaque impedimenta gratiæ avulserit, germinavit in ipsis semen eucharisticum, et strenue Christum confessi sunt suamque fidem proprio sanguine purpuraverunt.

PARAGRAPHUS II

DE DISPOSITIONIBUS CORPORIS

SECTIO I

DE DISPOSITIONIBUS NEGATIVIS

Punctum I. — *Maculæ externæ.*

827. Corporalis macula *per se* non impedit communionem; ita declaravit S. Greg. Magnus, in respons. 10 et 11 ad S. Augustinum, primum Anglorum episcopum et apostolum; et ita

communiter theologi, sicut videre est apud Suarez, in 3, disp. 68, sect. 2, et S. Alphons., lib. VI, n. 275. Ratio est, quia hic externus defectus corporis per se non refert ad honestatem morum, nec pertinet ad bonitatem vel malitiam moralem; imo potest esse signaculum ingentis virtutis atque charitatis, sicut olim in martyribus qui propter Christi confessionem acerbissima acceperant vulnera in vultu et sensibus.

Dico *per se,* quia *per accidens,* scilicet si adstantes horrorem experirentur, vel scandalum caperent, tunc illæ maculæ vel defectus essent impedimentum ad sacram communionem. Quod potissime contingere posset pro sacerdote celebrante; unde Clemens III præcepit ut clericus leprosus se abstineret a celebratione Missæ: « De sacerdote qui divino judicio lepræ morbo repercussus in parœciali ecclesia prælationis officio fungitur, dicimus, quod pro scandalo et abominatione populi, ab administrationis officio debet removeri, ita quod juxta facultates ecclesiæ sibi necessaria, quandiu vixerit, ministrentur. » Hæc verba referuntur in cap. *Tua nos*, Decretal. lib. 3, tit. 6.

828. Mulieres menstruatæ et illæ quæ nuper pepererunt, tenentur, juxta Suarez et pauciores alios, saltem sub veniali, differre communionem, si commode id fieri possit. Sed communior et probabilior sententia, quam tenet S. Alphonsus, dicit, abstinere esse quidem congruum atque consulendum, nullatenus autem esse de præcepto; unde si feminæ illæ non sese abstineant, ne venialiter quidem peccant, sicut optime respondit S. Gregorius Magn. ad S. Augustinum, de muliere menstruata: « Si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda; bonarum mentium est, ibi etiam culpas agnoscere, ubi culpa non est. »

Punctum II. — *Mundities et castitas corporis.*

829. I. Pollutio nocturna. *Prima regula.* Si contingat voluntarie atque sit mortaliter culpabilis, vel in se, vel in causa quæ voluntarie fuit posita in vigilia; v. g. colloquium diuturnum cum mulieribus sine rationabili causa, lectio vel aspectus rerum obscenarum, etc... tunc certo prohibet communionem. Et licet pollutus acciperet absolutionem, teneretur sub veniali se abstinere a communicando illa die, nisi excuset rationabilis causa,

et non possit communio absque detrimento differri. Clemens VIII, in instructione super aliquibus Græcorum ritibus, quæ incipit *Presbyteri Græci*, ait: *Presbyter Græcus conjugatus ante sacrum Sacrificium seu sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab uxore.* Ex quo colligitur, si sacerdoti Græco non permittitur Missam celebrare, si nocte proxima cum uxore concubuerit, multo minus licere aliis sacerdotibus, nisi gravis urgeat causa, celebrare Missam, si præcedenti nocte peccatum aliquod grave commiserint, etiamsi per sacramentalem confessionem peccatum illud expiaverint. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.* cap. 11, n. 11. Ibidem, n. 12, præclarissimus Pontifex notat cum Soto, Sylvio et aliis, quod hæc regula applicatur etiam aliis peccatis mortalibus : « Tanta enim est irreverentia, homicidam cruentis manibus, aut blasphemum polluto ore illico ad Eucharistiam accedere : tametsi Veneris sordes peculiarem quamdam indecentiam ad Sacramentum, præ aliis sceleribus, afferant. » Confessio enim purgat maculam mentis, non autem immunditiam corporalem et hebetudinem quæ contingit in mente ex depressione ipsius ad carnem. « Debet autem abstinere, ut dicunt, usque ad viginti quatuor horas ; quia in tali spatio natura deordinata per corporalem immunditiam et mentis hebetationem reordinatur. » D. Thom., in IV, dist. 9, q. 1, a. 4. Ita communiter theologi. Vide S. Alphonsum, lib. VI, n. 272.

Quod a fortiori dicendum est de omni copula illicita, etiam de simplici fornicatione ; nam licet pollutio ex specie sua sit peccatum gravius fornicatione, attamen fornicatio habet plus de externo, et ita tollit plus de externa reverentia. Deinde communiter habet plus voluntarii et deliberationis. Quare, nonnisi propter gravem rationem, permittere licet celebrare aut communicare, eadem die, eum qui copulam illicitam habuit, etsi confessionem communioni præmittat. De Lugo, *De Euch.*, disp. 15, sect. 1, n. 14.

830. *Secunda regula.* Licet plane involuntaria, atque ideo omnimode inculpabilis sit pollutio, si tamen ex ipsa sequatur permaneatque perturbatio et evagatio mentis, qua a spiritualibus avocetur, peccatum veniale est accedere, dum perdurat ; nam sic communicans non reverenter accedit, sicut decet SS. Sacra-

mentum. Ita communiter theologi, et expresse tradit S. Greg. Magnus, in citata epistola. Quod contingit potissimum quando pollutio accidit cum imaginatione, cui consentit in somnio. Si enim accidit sine imaginatione, signum est quod provenit tantum a causa naturali intrinseca, et ipsi nullatenus participat anima. Item si animæ displiceat atque ipsa aliquatenus illam cohibere enitatur, facilius excutitur hebetudo et evagatio mentis. Quod contingit animabus quæ valde diligunt castitatem, et jugiter in corde suo fovent horrorem omnium quæ istam virtutem temerare queunt.

831. *Tertia regula.* Quid vero, si ante susceptionem possit et fœdas cogitationes expellere, et mentem ad cœlestia erigere? Alii sentiunt, pollutum tunc adhuc teneri sub veniali ad non accedendum, nisi suadeat rationabilis causa. Alii tamen melius dicunt, tunc non accedere esse de consilio, non autem de præcepto, etiamsi pollutio provenisset a causa venialiter culpabili. Ad rem optime Suarez: « Per se non magis potest impedire, quam si non fuisset; consideranda ergo est quatenus aliquo modo manet, vel in suis effectibus, vel in memoria hominis; nam, si ea de causa homo se sentit ineptum ad res spirituales et divinas tractandas; vel si magnam mentis distractionem, vel varias cogitationes patitur, consultius erit abstinere, donec præteritæ passionis omnino obliviscatur. Et quia hoc frequentius accidit in vulgaribus hominibus, hoc illis est regulariter consulendum. At vero, si pollutio nullum hujusmodi effectum reliquit, et homo potest eadem reverentia et devotione accedere, non aliter quam si nihil in somnis passus fuisset, non est cur communionem prætermittat, cum nulla rationabilis causa intercidat. Præter hæc autem considerandæ sunt circumstantiæ extrinsecæ temporis, loci, etc.; nam, si occurrat aliqua necessitas, vel specialis utilitas, multum juvabit, ut, propter hujusmodi passionem inculpabilem, non sit omittenda communio, vel Sacrificium, etiamsi interdum oporteat cum minori actuali devotione, aut actuali aptitudine ad Sacramentum accedere, quia hæc quæ involuntaria sunt, sæpe sunt propter majus bonum permittenda. Maxime autem confert causam hujus passionis expendere; nam, si ex dæmonis tentatione oriri intelligatur, multo magis est contemnenda; signum autem hujus inter alia esse potest, si eo præsertim die pollutio soleat accidere, quo habet homo propositum

vel consuetudinem communicandi ; intendit enim dæmon illum perturbare et impedire, et ideo debet eum negligere, et prout potuerit cum reverentia et devotione debita ad hoc tantum sacramentum accedere. Et similiter, si causa creditur esse mere naturalis, minus impediet ; magis autem, si fuerit ex negligentia, vel hominis distractione. » In 3, disp. 68, sect. 2, n. 4. Vide D. Th., 3 p. q. 80, a. 7, S. Alphon., lib. VI, n. 272.

832. Illa triplex regula confirmari potest per Rubricam Missalis, qnæ § 9. *De defectibus*, n. 5, ita habet : « Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione quæ sit peccatum mortale, vel venerit propter nimiam culpam, abstinendum est a communione et celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed venisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare [1] ; nisi ex illa corporis commotione tanta evenit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur. »

833. II. Copula conjugalis. *Prima regula.* Ex se inducit congruentiam, ut non fiat communio die quo habita est ; nam producit aliquam immunditiam corporalem ac mentis distractionem. Quocirca S. Hieronymus optime, in serm. *De esu Agni :* « Si panes Propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis qui de cœlo descendit, non

[1] S. Greg. Magnus, in epistola ad S. Augustinum, facilius permittit simplicem communionem, quam ipsam Missæ celebrationem, ei qui pollutionem ex veniali culpa perpessus est : « Cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimoda hæc illusio non est timenda ; quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri Mysterii, vel Missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibetur Mysterium pro eo quod sacerdos alius in loco deesse ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere Mysterium valent, illusio per crapulam facta a *perceptione* sacri Mysterii prohibere non debet ; sed ab immolatione sacri Mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. »

potest ab his qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari atque contingi? Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus nos debeamus [1]. » Et confirmari potest ex illo D. Pauli I *Cor.* 7, 5 et 6 : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Si enim est congruentia abstinere ab opere carnali ad vacandum orationi, quanto magis ad carnes Agni immaculati cibandas !

834. *Secunda regula.* Si copula fiat, non ex voluptate, sed ex pura intentione, aut solvendi debitum conjugale, aut prolis procreandæ, licet congruum sit abstinere illa die a communione, ut docet D. Thomas, 3 p. q. 80, a. 7, ad 2 ; tamen omnes tenent, nullum esse peccatum ita accedere. Quod expresse declaravit S. Greg. Magnus, in epist. ad S. Augustinum : « Si quis sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum procreandorum gratia utitur, iste profecto de sumendo corporis Domini mysterio suo est relinquendus judicio ; quia a nobis prohiberi non debet [2]. »

Bene tamen hoc advertit De Lugo : « De copula etiam licita fere dicendum videtur sicut de pollutione inculpabili, cum hoc tamen discrimine, quod magis videatur impedire quam pollutio illa quæ ex necessitate naturæ absque pravis cogitationibus contingit. Regulariter itaque melius erit abstinere post copulam ea die, nisi subsit causa aliqua specialis... Facilius ergo permitti potest accedere post pollutionem inculpabilem, quam post copulam, quia, ut diximus, copula plus tollit de reverentia externa, et plus etiam habet de voluntario. » *De Euchar.*, disp. 15, sect. 1, n. 14.

835. *Tertia regula.* Accedere ad sacram mensam, habita copula licita ex voluptate tantum, est peccatum veniale, nisi rationabilis causa excuset. Ita omnes theologi. Ratio in promptu est : copula enim tali modo habita est signum animi parum dispositi ad res divinas tractandas. Aliunde ex hujusmodi actu, præ-

[1] Hæc verba habentur etiam in cap. *Sciatis*, Decret. 2 parte, causa 33, q. 4.
[2] Hæc verba habentur etiam in cap. *Omnis*, *De Consecrat.*, dist. 2.

sertim quando procedit ex voluptate tantum, regulariter oritur magna distractio et hebetudo mentis ad res spirituales. Dico *nisi rationabilis causa excuset;* nam si illa die esset indulgentia lucranda, vel contingeret peculiaris solemnitas, vel non posset omitti communio absque incommodo spirituali, aut etiam terrestri, v. g. aliqua infamia, etc., tunc prorsus liceret accedere.

836. Corollaria. Hinc si pertimescenda sunt convicia, semper reddendum est debitum conjugale. Si frequenter communicet conjux a quo petitur, reddere debet, ne exponatur periculo peccandi contra justitiam, puta si alter stricte exigat, vel contra charitatem, si alter exponatur pollutioni. Si non frequenter, sed in præcipuis tantum festivitatibus communicet, roget conjugem abstinere, in honorem communionis ; modo tamen affulgeat spes, eum sat libenter fore annuendum ; si secus, non tenetur rogare, et potest reddere atque eadem die communicare. Ita S. Alphons., lib. VI, n. 273.

Quæritur an oporteat a copula licita abstinere die qua facta est communio ?

837. Reddere debitum non est peccatum ; petere autem est peccatum veniale, juxta S. Antoninum, Sylvium et alios, apud S. Alphonsum, lib. VI, n. 273. Secundum vero Sanchez et alios, abstinere est quidem congruentiæ et consilii, nullius autem obligationis. Et hæc sententia mihi videtur probabilior ; nam etsi sequatur aliqua evagatio et perturbatio mentis, attamen quia contingit aliquandiu post sumptionem et consumptionem specierum, minus reverentiæ SS. Sacramento debitæ opponitur. Juvat istam claudere quæstionem verbis nostri Salesii : « Dieu trouvait mauvais, en l'ancienne loi, que les créanciers fissent exaction de ce qu'on leur devait, les jours de fêtes ; mais il ne trouva jamais mauvais que les débiteurs payassent et rendissent leurs devoirs à ceux qui les exigeaient. C'est chose indécente, bien que non pas grand péché, de solliciter le payement du devoir nuptial le jour que l'on a communié, mais ce n'est pas chose malséante, mais plutôt méritoire, de le payer. C'est pourquoi, pour la reddition de ce devoir là, aucun ne doit être privé de la communion, si d'ailleurs sa dévotion le provoque à la désirer. Certes, en la primitive Eglise, les chrétiens communiaient tous les jours, quoiqu'ils fussent mariés et

bénis de la génération des enfants. C'est pourquoi j'ai dit que la fréquente communion ne donnait nulle sorte d'incommodité, ni aux pères, ni aux femmes, ni aux maris, pourvu que l'âme qui communie soit prudente et discrète. » *Introd. à la vie dévote*, 2 p. cap. 20. Et in opusculo *Avis et résolutions touchant l'usage de la divine communion :* « Cet exercice là (debitum conjugale) n'est nullement déshonnête devant les yeux de Dieu ; au contraire, il lui est agréable, il est saint, il est méritoire, au moins pour la partie qui rend ce devoir, et n'en recherche pas l'acte, mais seulement y condescend pour obéir à celui à qui Dieu a donné l'autorité de se faire obéir pour ce regard. »

« Il ne faut pas juger des choses selon notre goût, mais selon celui de Dieu ; c'est le grand mot. Si nous sommes saints selon notre volonté, nous ne le serons jamais bien, il faut que nous le soyons selon la volonté de Dieu. Or, la volonté de Dieu est que pour l'amour de lui vous fassiez librement ainsi, et que vous aimiez franchement l'exercice de votre état : je dis que vous l'aimiez et chérissiez, non point pour ce qui est extérieur, et qui peut regarder la sensualité en elle-même ; mais pour l'intérieur, parce que Dieu l'a ordonné, parce que sous cette vile écorce la sainte volonté de Dieu s'accomplit. »

. . . . . .

« En la maison d'un prince, ce n'est pas tant d'être souillon de cuisine, comme d'être gentilhomme de la chambre ; mais en la maison de Dieu les souillards et souillardes sont les plus dignes bien souvent ; parce qu'encore qu'ils se souillent, c'est pour l'amour de Dieu, c'est pour sa volonté et son amour : et cette volonté donne le prix à nos actions, non pas à l'extérieur.

. . . . . .

« Mais la partie ne pèche-t-elle point, si elle sait que l'autre ait communié ? Je vous dis que non, nullement, surtout quand les communions sont fréquentes ; ce que j'ai dit de l'Eglise primitive en fait foi, et la raison y est toute claire. Il y a plus, si la partie communiée recherchait elle-même le jour de la communion, le péché ne serait que véniel et très léger, à cause d'un peu d'irrévérence qui interviendrait ; mais ne recherchant pas, mais correspondant, c'est grand mérite, et la grâce de la communion s'en accroît, tant s'en faut qu'elle s'en amoindrisse. »

PUNCTUM. III. — *Jejunium naturale.*

I. — Præceptum hujus jejunii.

838. *Primo.* « Etsi peramabilis Redemptor noster sui corporis communione participes fecerit Apostolos non jejunos; cum tamen peculiaribus quibusdam gravioribusque de causis id præstiterit, haud ademit ipse Ecclesiæ suæ auctoritatem constituendi[1], prout reipsa constituit, ne cui, viatici aliisque paucis casibus exceptis, videndis apud theologos morales, non jejuno, et quidem a media superiori nocte communionem præcedente, eucharisticum sacramentum ministretur. » Benedict. XIV, constit. *Quadam*, 24 martii 1756.

839. *Secundo*, huic universali legi aut alludunt Patres, aut etiam expresse illam fulciunt. Sic Tertull., II *ad uxorem*, cap. 5 : « Non sciat maritus quid secreto ante omnem cibum gustes. » Et S. August., Epist. 54, alias 118, *ad Januarium*, cap. 6 : « Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur ? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. »

840. *Tertio*, illam legem sancierunt multa concilia, præsertim Carthagin. VII, Toletan. I, Constantinop. III, et Constantiense. Istud enim ita decrevit, sess. 13 : « Generale Concilium declarat, decernit et definit, ... quod, licet Christus post Cœnam instituerit, et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen, hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat quod hujusmodi sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur a non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso. »

841. *Quarto*, tres congruentiæ rationes tradit D. Thomas, 3 p. q. 80, a. 8, o : « Primo quidem ... in honorem hujus sacramenti, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel

[1] Quarum præcipua fuit, quia necesse erat ut pascha typicum prius compleretur, et deinde ad verum Pascha transitus fieret.

potu infectum. Secundo, propter significationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus, qui est res hujus sacramenti, et charitas ejus, debet primo fundari in cordibus nostris, secundum illud *Matth.* 5, 33 : *Quærite primum regnum Dei.* Tertio, propter periculum vomitus et ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur, sicut et Apostolus dicit, I *Cor* 11, 21 : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* »

842. *Nota.* Olim in quibusdam Africæ ecclesiis, communio dispensabatur post cœnam, die anniversario Cœnæ Domini, ut insignior ejus haberetur commemoratio, sicut dicit S. August., in citatæ epistolæ cap. 7. Diu etiam tolerata fuit in occidentalibus ecclesiis praxis, qua, post Baptisma, communio ministrabatur infantibus, quibus matres vel nutrices, etiam ante sumptam sacram Eucharistiam, eorum imbecillitatem commiserando, lac exhibere permittebantur. Sed, ait Benedict. XIV, constitutione *Quadam*, « invectum usum communicandi post comestionem feria quinta Majoris Hebdomadæ proscripserunt subinde Patres synodi III Carthaginensis, quorum decreto congruit omnino canon 29 concilii Trullani, habiti anno 692..... Quod autem spectat ad communionem pueris, statim post Baptismum, ministratam, jam a quadringentis et amplius annis is ritus in Occidentali Ecclesia obsolevit. Nonnulla quidem supersunt adhuc vestigia in Orientali Ecclesia; at et ipsa quoque pedetentim et antea, et nunc quoque temporis studuit ab eo deflectere, quemadmodum latius ostendimus in nostris encyclicis litteris ad Missionnarios per Orientem, § 24, typis editis superiore anno 1755. »

II. — Natura hujus jejunii.

843. I. Quoad tempus. *Primo*, jejunium ad communionem prærequisitum intelligitur de die qua fit communio. Principium autem diei, inquit D. Thomas, « secundum diversos diversimode sumitur; nam quidam a meridie, quidam ab occasu, quidam a media nocte, quidam ab ortu solis diem incipiunt. Ecclesia tamen Romana diem a media nocte incipit. Et ideo, si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eadem die hoc sacramentum sumere; potest vero, si ante mediam noctem. Nec refert utrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præ-

cepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem vel indigestionem; ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem hujus sacramenti. » 3 p. q. 80, a 8, ad 5. Ita omnes theologi, et expresse declarat Benedict. XIV, in constit. *Quadam*, superius (858) citata.

844. Initium temporis sumitur mathematice, adeoque incipit a primo ictu horologii ; et qui aliquid deglutiret postea, jam non esset jejunus. Quando enim duodecim horas sonat horologium, jam incepta est dies sequens, quia horologia tempus quod fluxit innuunt. Ita omnes theologi, qui non magis in hoc tempore, quam in materia parvitatem admittunt. Ut facile videre est, standum est horologiis loci in quo celebratur, quæ regulantur juxta meridianum circulum loci. Qui igitur, v. g. haberet Camberii horologium regulatum juxta meridianum circulum Parisiensem, non posset illi stare, nec cœnare usquedum illud horologium duodecimam noctis horam notaret. In dubio serio autem, an aliquid deglutierit post mediam noctem, sacerdos nequit illa die Missam celebrare, si nulla probabili ratione valeat illud dubium excutere. Ita sentiunt ipsimet probabilistæ, uti videre est apud Gury, *Casus consc.* tom. 2, n. 294. Si vero probabilis aliqua ratio suadeat, illum comedisse post mediam noctem, S. Alphonsus habet tanquam probabilius quod non teneatur abstinere, « quia cum hoc præceptum sit negativum de non accedendo ad Eucharistiam post comestionem, non teneris ab illa abstinere, quandiu non es certus, et tanto magis si nullam habeas rationem probabilem te comedisse; tunc enim adhuc manes in possessione tuæ libertatis. » Lib. VI, n. 382. Si autem vehemens sit præsumptio, quod aliquid sumpserit post mediam noctem, non potest celebrare, sicut colligit Suarez ex cap. *Si constiterit, De accusationibus*. (In 3, disp. 68, sect. 4, n. 6). Imo etiamsi detur probabilitas tantum, dummodo sat gravis sit ad serium inducendum dubium, existimo, tunc non esse licitum accedere, quia nemini licet, nisi urgente gravi necessitate, accedere cum dispositione dubia. Et hæc est aperte Benedicti XIV doctrina; ita enim habet, III *De Missæ sacrificio*, cap. 12, n. 7: « Disputant theologi casuistæ an possint Eucharistiam sumere qui sunt in dubio an fregerint jejunium. Quidam inspiciendum docent cujusmodi illa sit dubitatio , nam si quis certo sciat se comedisse,

sed dubitet an post mediam noctem comederit, non potest Sacramentum sumere, vel Missam celebrare; secus vero, si non dubitet de tempore, sed duntaxat num comederit. Alii aiunt in neutro casu licere. Harum opinionum sua cuique est ratio; neque id inficiari possumus. Sed illud prætermittere nolumus, harum opinionum examini locum esse postquam sumpta sit Eucharistia, non vero ubi suscipienda sit: puta si quis Sacramentum acceperit, aut Missam celebraverit, deinde suam ipsius conscientiam explorando in eam incidat dubitationem, comederit necne, vel utrum comederit media nocte jam exacta: hoc casu est locus examini, quænam ex iis opinionibus vera sit. Ubi vero nec Eucharistiam sumpserit, nec Missam celebraverit, sed in eo sit ut communicet vel celebret, si subeat dubitatio an comederit, vel an media nox prætergressa fuerit quando comedit, tunc in utroque casu a sumendo Sacramento et Missa celebranda debet abstinere, ut optime rem hanc decidit Patavinus clerus, in resolutionibus anni 1708, *De sacram. Eucharist.*, q. 2, n. 13. » Et forsan minus recte dicit S. Alphonsus, tunc adhuc manere in possessione suæ libertatis. Utique præceptum jejunii est negativum; sed præcise ut sic obligat *semper ac pro semper*, et ideo ligavit libertatem statim ac nosti legem, non vero incepit ligare tantum ab illa media nocte. Munus igitur tibi incumbit demonstrare, te non violasse legem, quia ipsa possidet, et *melior est conditio possidentis.*

845. *Secundo*, hac lege non est prohibitum ne post communionem cibus sumatur, quia hæc lex solum requirit jejunium antecedens, non consequens communionem. Præcipitur enim jejunium, tanquam dispositio ad communionem, qua igitur peracta, cessat obligatio; et reliquum tempus relinquitur hominis arbitrio, vel naturali obligationi, ex qua sola colligi potest, non posse esse per se malum statim post communionem aliquid cibi vel potus sumere; cujus signum est, quia in Missa, statim post communionem, sacerdos sumit ablutionem, non propter corporis refectionem, sed propter reverentiam Sacramenti. Merito tamen D. Thomas advertit quod « debet esse aliqua mora inter sumptionem hujus sacramenti et reliquos cibos. Unde et in Missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, et communicantes etiam suas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones, statutum fuit a papa Clemente I,

Epist. 2, a princ., ut habetur *De Consecrat.*, dist. 2, cap. 23 : *Si mane Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri qui eam sumpserunt, et si tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam.* Antiquitus enim rarius Missarum solemnia celebrabantur, et cum majori præparatione. Nunc autem, quia oportet frequentius sacra Mysteria celebrare, non posset de facili observari, et ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum. » 3. p. q. 80, a. 8, ad 6. Unde jam S. Chrysost., *Hom.* 25 in I *Cor.* : « Quid igitur jejunare oportet post ejus acceptionem? Non hoc dico, nec cogo, licet bonum sit : non tamen compello, sed admoneo. »

Nota. Licite tamen datur ablutio aquæ aut vini, etiam sano, ut possit deglutire particulæ fragmenta quæ ori hæserint, ut tradit Bened. XIV, lib. II *De sacrif. Miss.* 22, utque pluribus in locis mos habet. Quamvis enim ablutio prius deglutiatur quam hostia, vel hostiæ fragmenta, hoc non obstat jejunio, quia violatio non censetur *moraliter* communionem præcessisse ; præceptum enim jejunii est, ut ante Eucharistiæ sumptionem nihil sumatur : porro quando simul cum ablutione sumitur Eucharistia, totum illud sumitur unica sumptione ; ergo bene verificatur quod violatio jejunii communionem non præcesserit. Et ideo, in die Parasceves, instituit Ecclesia, ut simul cum vino sumatur particula hostiæ consecratæ die præcedenti ; atque in Rubrica Missalis, tit. X, n. 8, dicitur, si particula hæreat calici, posse vinum infundi, usquedum particula sumatur. Ita S. Alphons., lib. VI, n. 288, cum Suarez, Vasquez, La Croix, et aliis communiter.

846. II. Quoad materiam. *Primo*, duplex distinguitur jejunium, naturale scilicet et ecclesiasticum ; prius includit abstinentiam ab omni cibo et potu : posterius autem cibo et potu non privat, nisi definitis temporibus et in certa qualitate et quantitate, permittitque ut sumi aliquid possit per modum medicinæ. Vide 2-2. q. 147, a. 6. Referunt auctores, quemdam Godofredum, Joannem Parisiensem et Pasqualigum tenuisse, ad communionem, prærequiri duntaxat jejunium ecclesiasticum, quia lex inducens obligationem illius jejunii est mere ecclesiastica. Et insuper etiamsi inducat jejunium naturale, nihilominus hoc jejunium parvitatem materiæ compatitur. Unde quis potest medicinam vel leviorem haustum sumere ante communionem vel Missam celebrandam.

847. Sed illa sententia est certo falsa, et ideo rejicitur ab omnibus theologis. In primis enim manifeste opponitur consuetudini Ecclesiæ. Deinde sat aperte excluditur a jure; nam conc. Toletan. VII, can. 2, prohibet Missæ celebrationem post quemcumque minimum cibum sumptum. In cap. *Ex parte, De celebratione Missarum*, dicitur: « Sacerdos vinum perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare; ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret. » Et Rubrica Missalis, ubi *De defectibus*, tit. 9, n. 1, ita expresse fert: « Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare. » Unde in Nativitate Domini, sacerdos qui, post primam missam, ablutionem sumeret, non posset alias celebrare illa die. Atqui tamen ablutio sumitur in parva quantitate, quæ certe non frangit jejunium ecclesiasticum, atque non propter nutritionem, sed propter reverentiam Sacramenti sumitur. Sumptio autem ipsius Sacramenti, quamvis ex speciebus possit homo nutriri, non computatur inter ea quæ solvunt jejunium naturæ, propter excellentiam Sacramenti, quod non censetur commune corporis alimentum, et ideo illa non judicatur sumptio communis cibi et potus. Quocirca Benedictus XIV, in constit. *Quadam,* § 2, docet, esse falsam sententiam quæ admittit parvitatem materiæ pro jejunio ad Eucharistiæ sumptionem præcepto.

848. Unde unanimi ore etiam docent theologi, mortaliter peccare qui non jejunus sumeret Eucharistiam, extra casus infra recensendos, nisi inadvertentia vel ignorantia eum excuset. Ob hanc, Cajetanus, in *Summa*, excusat quemdam bonum sacerdotem, qui nesciens distinguere inter jejunium ecclesiasticum et jejunium naturale, pro reverentia Sacramenti præaccipiebat nucem muscatam, ut bonum odorem stomachi Eucharistiæ præpararet.

849. *Secundo,* necesse est ut id quod deglutitur in stomachum, veniat ab extrinseco et sumatur per modum cibi, vel potus, sive sumatur ut nutrimentum, sive ut medicina. Ita enim semper theologi legem jejunii intellexerunt, quæ aliunde, utpote odiosa, stricte sumenda est. Hinc:

1° Saliva, sputa, vel etiam sanguis ex gengivis fluens, et cæteri humores qui non intrarunt ab extrinseco in os, neutiquam frangunt jejunium naturale. Frangerent autem si introducerentur ab extrinseco, v. g. si sanguis fluens ex naribus intraret in os et deglutiretur.

850. 2° Quæcumque sumuntur per modum salivæ, sicut pulvis, flocculi per aera volitantes atque per respirationem in os introducti, vel etiam reliquiæ comestionis dentibus adhærentes, et guttulæ aquæ salivæ permixtæ, postquam aliquis os suum abluerit et aquam projecerit; vel etiam si guttula, dum os abluitur, deglutiatur præter intentionem. Ita enim fert Rubrica Missalis, ubi *De defectibus corporis*, n. 3 : « Si reliqui cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem. » Quod tamen non potest intelligi de haustu qui ex inadvertentia deglutiretur, sed de stilla quæ per modum salivæ descenderet. Unde probabilius dicit D. Thomas, reliquias cibi in ore existentes, si ex industria deglutiantur, frangere jejunium naturale : « Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, si *casualiter* transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ : et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest. » 3 p. q. 80, a 8, ad 4[1].

Suarez et non pauci theologi sentiunt, illas reliquias etiam ex industria deglutitas non solvere jejunium, quia sumuntur per modum salivæ et perficiunt comestionem præcedentem. Sed merito ipsis refragantur Vasquez, Sylvius, Collet et multi alii, quia illæ reliquiæ ex industria deglutitæ constituunt novam comestionem, aut saltem reputantur protractio præcedentis cœnæ. Si quis enim cœnaret usque ad mediam noctem, servaretque in ore buccellam quam deglutiret post horologii pulsum, prorsus frangeret jejunium, licet illa buccella fuisset in os introducta ante mediam noctem; sed nec temporis protractio plus minusve diuturna, neque buccellæ quantitas refert. Sapientissime tamen advertunt De Lugo, Benedictus XIV et S.

[1] Ex illo loco depromitur fere quoad verba Rubrica nuperrime citata.

Alphonsus, reliquias a dentibus divulsas, quæ sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem esse expuendas, non vero esse obligationem adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas, etiamsi prævideantur deglutiendæ, si non extrahantur, et cum saliva deglutiantur; alias enim hæc obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia; ad quod certe non præsumitur Ecclesia voluisse obligare. S. Alphons., lib. VI, n. 278.

851. 3° Communissima sententia est quod saccharum et cætera hujusmodi in os immissa ante mediam noctem, frangunt jejunium, si trajiciant in stomachum post mediam noctem, licet id fiat in somno; id enim quod sic deglutitur, non potest haberi tanquam reliquia comestionis, sed est reapse continuata comestio. Comestio utpote actus vitæ vegetalis, optime fit, licet sensus exteriores per somnum ligentur.

852. 4° Probabilius est, aurum, argentum, stamnum, vitrum et omnes res indigestibiles non frangere jejunium, quia non habent rationem cibi aut potus; Ecclesia enim prohibet ne sumatur Eucharistia post cibum aut potum; et hæc lex est odiosa; et ideo stricte sumenda est. Porro res quæ neutiquam possunt alterari in stomacho, non habent rationem cibi aut potus. Ergo. Nec obest D. Thomas, 3 p. q. 80, a. 8, ad 4, ubi dicit : « Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi aut potus; » non obest, inquam, quia voces *aliquid hujusmodi* referuntur ad ea quæ recensuit, scilicet cibum, potum et medicinam. Medicina enim multoties non est nutritiva; imo et ipse cibus, aliunde ex se optimus, interdum non nutrit, propter pessimam stomachi dispositionem, et accidere potest ut evomatur; et nihilominus tunc frangit jejunium. Salmanticenses, Sylvius et omnes qui in contrarium sentiunt, dicunt, legem ecclesiasticam requirere ut nihil sumatur per modum cibi aut potus : porro indigestibilia quæ in os immituntur deglutiunturque, sumuntur per modum cibi vel potus. Deinde reverentia Sacramento debita postulat ut nihil ante ipsum introducatur in stomachum. Sed illæ rationes non mihi videntur efficaces; nam lex ecclesiastica prohibet ne aliquis non jejunus sumat Eucharistiam, et mentionem facit expresse de cibo et potu; qui autem omnino indigestibilem sumpsit rem, v. g., nummum auri, adhuc

jejunus est. Dicitur autem per modum potus vel cibi, quia tum potus, tum cibus ipse sumi potest alio modo, nempe per modum salivæ aut respirationis, et sic sumpti non solvunt jejunium. Quia vero res indigestibiles nonnisi rarissime deglutiantur, et communiter mere per accidens et sine appetitu, et in parva quantitate, vix esse potest indecentia, si communio fiat post ipsarum sumptionem, nec fuit causa cur Ecclesia illas sumere prohibuerit. Attamen advertendum est, nonnisi paucissimas res esse penitus indigestibiles, et non paucas ex his quæ habitæ sunt a theologis tanquam indigestibiles, reapse alterari in stomacho et intestinis.

853. 5° Usus tabaci, sive in fumo, sive in pulvere, sive etiam in masticatione, ut communiter sumitur, non frangit jejunium, quia tabacum non sumitur per modum cibi vel potus; et si aliquid de pulvere descendat ex naribus in stomachum, hoc fit, non per modum cibi, sed per modum attractionis, eodem ferme pacto quo pituita ipsa deglutitur. Dixi *ut communiter sumitur*, quia si quis usque adeo depravatum haberet gustum, ut de industria, aut tabacum ipsum, aut illius jus deglutiret, vel etiamsi ex inadvertentia, sed in tali quantitate, ut jam non censendum esset haustum per modum salivæ, tunc prorsus frangeret jejunium. Quod aliqui sentiunt communiter contingere; siquidem qui tabaci folium dentibus conterit, id ipsum animo intendit, ut scilicet illius succo stomachus a pituita et phlegmate abstergatur. Unde Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. XI, cap. 13, n. 3, et *De Missæ sacrif.*, appendice VI, quæstionem de usu tabaci in masticatione in medio reliquit.

854. *Nota.* 1° Certum est, esse indecentiam in masticatione tabaci ante communionem; unde S. Alphonsus et communiter theologi illam non eximunt a peccato saltem veniali, nisi excuset aliqua rationabilis causa. Imo etiam in fumo et pulvere tabaci videtur esse aliqua indecentia, et insuper usus pulveris secum multa importat incommoda; siquidem odoratum obtundit, et inde, inscio sacerdote, stillat nasus supra corporale, pulvisque illud respergit, et immiscetur particulis hostiæ : quod, ut patet, valde dedecet venerabile Sacramentum. Adde quod sive os, sive nares illius qui utitur tabaco, redolent graveolentiam.

Quocirca in concilio Mexicano, an 1585, quod cardinalis de Aguirre a Sede Apostolica approbatum affirmat, ita cautum legi-

tur : « Ob reverentiam quæ Eucharistiæ percipiendæ exhibenda est, præcipitur, ne ullus sacerdos ante Missæ celebrationem, aut quævis alia persona ante communionem, quidquam tabaci, picietive, aut similium, medicamenti causa, per modum fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat. » Haud absimile edictum, an. 1642, promulgavit cardinalis Borgia, archiepiscopus Hispalensis, quo, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, jussi sunt sacerdotes a tabaci usu abstinere, una ante Missæ celebrationem, altera, post eamdem celebratam, hora. Innocentius X et Innoc. XI excommunicatione percusserunt quotquot tabacum sumere auderent intra Vaticanam Basilicam, atque Urbanus VIII, sub eadem pœna, idem antea fieri vetuerat intra ecclesias diœcesis Hispalensis. Benedictus XIV, ex quo deprompsi modo dicta, subdit : « Hodie tamen, cum a communi consuetudine sit adeo cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum præbeat, aut admirationem causet.... nimium profecto severum se præberet Episcopus, si Mexicanæ aliarumque similium synodorum vestigiis insistens, aut omnibus ante sacræ Eucharistiæ perceptionem, aut solis sacerdotibus ante Missæ celebrationem tabacum interdiceret, adjecta præsertim in transgressores censurarum pœna. Quapropter, cum nos in minoribus constituti, sacræ Congreg. Concilii secretarii munus obiremus, semper episcopis auctores fuimus, ut ejusmodi constitutionem, jam aliquando formatam, a suis synodis subtraherent, ne nimii rigoris notam incurrerent, aditumque aperirent subditorum querelis ad sacram Cong. Concilii deferendis : quod multo magis iisdem consulendum ducimus, postquam san. mem. Benedictus XIII exploratum habens, a tabaci usu omnem nunc abesse inhonestatem, atque indecentiam, illum sumere permisit intra Vaticanam Basilicam. » Quæ a fortiori dicenda sunt de tabaci usu qui fit longe post communionem, nec ullum habet ordinem ad Eucharistiam. Iterumque a fortiori nostra ætate qua in quibusdam locis, maxime apud Orientales, usus tabaci ita communis evasit, ut sacerdotes non magis absque tabaco procedant, quam capucini sine barba. Si quæ tamen adhuc essent diœceses in quibus usus tabaci, ex parte sacerdotum, fideles scandalizaret, vel eos a frequentatione tum Pœnitentiæ, tum Eucharistiæ sacramenti procul arceret, prorsus Episcopus

haberet jus et potestatem illum usum, saltem in publico, ipsis interdicere.

III. — Casus in quibus non obligat lex jejunii.

PRIMUS CASUS : ARTICULUS MORTIS

855. Primus utpote frequentior casus est articulus mortis, de quo nulla est difficultas ; etenim semper a Patribus et Conciliis fuit exemptus a lege jejunii. Et constat universali Ecclesiæ praxi et Rubrica Ritualis, in qua dicitur : « Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis. » Ratio vero esse potest, tum quia in eo articulo obligat præceptum divinum communionis, ut infra dicetur ; tum maxime quia illo tempore fidelis maxime indiget confortari pane cœlesti.

856. Attamen ille communicandi modus est dispensatio in lege, quæ fieri non debet absque rationabili causa. Unde si sacerdos posset commode mane Eucharistiam præbere ægrotanti jejuno, non posset legitime illam protrahere usque ad vesperam. Non ideo tamen necesse est, ut mors certo immineat, sed plane sufficit morale periculum. Sed quamvis fortasse posset infirmus una vel altera hora post mediam noctem jejunus accipere Eucharistiam, si non posset amplius expectare, non ideo necesse esset Sacramentum illa intempestiva hora præbere, quia nec moraliter fieri potest sine magna difficultate, nec regulariter ad reverentiam hujus sacramenti expedit ita fieri, nec ecclesiastica consuetudo, quæ est optima hujus legis interpres, ita esse faciendum declarat. Unde Rituale Romanum expresse prohibet ne Viaticum Eucharistiæ deferatur nocte ad ægros, nisi urgeat mortis periculum.

Observandum est etiam, hujusmodi casum, non solum locum habere in periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, quando nec anticipari potest communio, nec differri supplicium ; tunc enim eadem est ratio necessitatis. In his conveniunt fere omnes theologi, nec esse potest difficultas. Sed solent moveri duo dubia, quæ operæ pretium est excutere. Itaque

Quæritur 1° an et quoties liceat in eadem ægritudine iterum ministrare Viaticum non jejuno ?

857. In primis si ægrotans aliquantulum convaluerit, atque postea iterum incidat in novum periculum, tunc potest toties

iterum atque iterum communicare, quoties talis varietas acciderit, quia illa censetur nova ægritudo et novus necessitatis articulus.

Quid vero si nullo pacto convaleat ægrotans atque periculum mortis diu protrahatur? Aliqui existimarunt, non posse in hoc casu iterari Viaticum non jejuno, quia jam satisfecit præcepto divino communionis in periculo mortis, et non est sufficiens ratio derogandi legi ecclesiasticæ, quæ jejunium præscribit. Sed hæc sententia est omnino falsa et opponitur praxi pientissimorum pastorum, quam bene perspectam approbat Ecclesia. Et aliunde falso innititur supposito; nam ratio communicandi in articulo mortis non est solum præceptum divinum, sed etiam utilitas et interdum necessitas moralis fidelium, qui valde indigent Eucharistiæ subsidio ad ærumnas et dolores in patientia tolerandos, et debellandos dæmones, qui tunc maxime ingenti et acerrima pugna debellant christianum. Unde Rituale Romanum ita fert: « Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod illam (communionem) amplius sumere non poterit. Quod si æger, sumpto Viatico, dies aliquos vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio parochus non deerit. »

858. Sed difficultas est de numero dierum post quos liceat iterare Viaticum non jejuno. Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. VII, cap. 12, n. 5, dicit quod Episcopus debeat abstrahere a præfiniendo temporis spatio quod oporteat intercidere, ut, intra eamdem infirmitatem, possit iterum non jejuno dari Eucharistia, scilicet non decernat, requiri triginta, vel decem, vel octo, vel tres, vel alteram diem, prout varie sentiunt theologi; sed « parochis insinuet, posse, et sanctissimum Viaticum in eadem infirmitate iterum, et tertio administrari, præsertim si ipsimet ægrotantes iterum cœlestem illum panem esuriant; et, si velit, pœnam etiam in parochos decernat, qui, post plurimum temporis, Eucharistiam ad eumdem infirmum eam devote efflagitantem, falsis quibusdam et emendicatis prætextibus, denuo deferre obstinate detrectant: nihil quippe in hac saluberrima constitutione invenietur censura et castigatione dignum. »

Quia vero non tam ex decretis, quam ex consuetudine Ecclesiæ, fas sit constitutis in articulo sumere Eucharistiam absque jejunio, unica regula firma et secura videtur esse con-

suetudo fidelium, quæ certe ita generalis videtur, ut possit iterum præberi Viaticum post septem vel octo dies. Ita Suarez, in 3, disp. 68, sect. 5, n. 3, De Lugo, *De Euchar.*, disp. 15, sect. 3, n. 66, S. Alphonsus, lib. VI, n. 285. Utrum vero dari possit post duos, vel tres, vel etiam quatuor dies, non audet asserere De Lugo, neque Suarez. Tamen asserunt Leyman, Roncaglia, et alii quorum sententiam probabilem dicit, ibidem, S. Alphonsus, si infirmus assuetus sit sæpius ex devotione communicare. Adeo propinquam Viatici iterationem magis admitterem pro casu quo ægrotans in angoribus implicaretur atque vehementissimo dæmonum impetu quateretur ; devotio enim ex se non mihi videtur sat præpotens ratio ad derogandum Ecclesiæ præcepto ; unde, ut mox dicemus, si quis non possit jejunus communicare in Paschate, et non constituatur in periculo mortis, non potest communicare, licet urgeat tunc præceptum Ecclesiæ ; a fortiori non fas erit communicare non jejunus sola devotionis causa. Si autem non peculiares exsurgant tentationes atque difficultates in via salutis, communio facta singulis octavis videtur satis ad ægrotantis sublevamen ac fulcimentum.

Quæritur 2° an sacerdos non jejunus possit celebrare ad communicandum infirmum, alioquin sine Viatico moriturum ?

859. Affirmant Major et alii pauciores. *Primo*, quia charitas. præit omnibus Ecclesiæ præceptis : porro charitas obligat ad subveniendum proximo in tam gravi necessitate. *Secundo*, quia præceptum divinum præeminet præcepto ecclesiastico : porro præceptum communicandi in articulo mortis est divinum ; lex vero jejunii est mere ecclesiastica. *Tertio*, ad communicandum moribundum, potest et debet sacerdos conscius peccati mortalis celebrare sine præmissa confessione, si non habeat copiam confessarii : porro obligatio præmittendi confessionem est probabilius de jure divino. Si ergo cessat illa obligatio juris divini, ubi oportet moribundum communicare, a fortiori cessare debet obligatio juris ecclesiastici.

860. Nihilominus negant Suarez, De Lugo, Gonet, Billuart, et communissime melioris notæ theologi. *Primo*, hæc est communis praxis Ecclesiæ, quæ ita interpretatur illud præceptum ; nam Constantiense concilium expresse eximit a jejunio infirmos communicaturos, non vero sacerdotes pro ipsis celebraturos :

deinde maximam adhibet curam Ecclesia ut serventur hostiæ consecratæ : præterea nullum hucusque proferri potest exemplum praxis oppositæ. *Secundo*, præceptum jejunii non minus grave est quam præcepta conficiendi in azymo, cum vestibus sacris, etc.: porro non licet hæc præcepta infringere ad communicandum infirmum ; ergo neque illud. *Tertio*, Eucharistiæ sacramentum sicut est majoris dignitatis, ita minoris est necessitatis ; ergo major est habenda ratio reverentiæ debitæ Sacramento, quam necessitatis proximi. Nec fauste repones, eamdem rationem valere ut ipse ægrotans non jejunus abstineat a communione ; nam propria necessitas hominis communicaturi est necessitas intrinseca, et quæ frequenter accidit ; et ideo non oportuit, nec decuit ut tunc impediretur homo a susceptione Sacramenti, propter impedimentum humanum, quod vitare non potest ; at vero necessitas ex parte ministri est valde extrinseca et accidentaria, quæ moraliter rarissime potest accidere, supposita providentia quam Ecclesia habet servandi Eucharistiam pro infirmis. Et ideo non fuit expediens ut, propter similem necessitatem, daretur occasio violandi hoc præceptum, et male illud interpretandi.

861. Nec obstant rationes in oppositum adductæ. *Primo*, charitas habet modum, nec obligat ubi observari nequit sine legis violatione : et in præsenti casu necessitas proximi non est maxima, siquidem salutem consequi potest sine Sacramento. *Secundo*, præceptum divinum non obligat, nisi positis quibusdam circumstantiis debitis, quæ non ponuntur in præsenti casu ; Ecclesia enim accepit a Christo omnem potestatem circa sacramentorum dispensationem, salva eorum substantia. *Tertio*, confessio suppleri potest per contritionem, jejunium vero per nihil aliud suppleri potest : deinde nullum scandalum præbet, neque infamiam sibi adsciscit sacerdos, si dicat, se non esse jejunum ; bene autem si dicat, se esse in mortali : tandem necessitas conficiendi absque prævia confessione est moralis et potest facile contingere, dum necessitas celebrandi absque jejunio ad communicandum moribundum rarissime contingit et fere speculativa est ; leges autem morales traduntur juxta ea quæ moraliter accidunt.

Unde Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 12, n. 8 : « Sed quid dicendum de sacerdote qui conscius, se non esse je-

junum, ad Missam accersitur celebrandam, ut infirmo Viaticum possit ministrari? Eine licebit celebrare? Quæstioni propositæ fidenter respondendum negando; neque enim infirmus præcepto urgetur ad Eucharistiam suscipiendam, quando illi Eucharistiæ copia desit. Deesse autem illi Sacramenti copiam in hoc casu omnino possumus dicere quo eam non potest cum debita Sacramento reverentia suscipere, et juxta ritum Ecclesiæ. Quod si quis objiciat, posse sacerdotem gravis peccati reum, sine prævia confessione Missam celebrare, solo elicito contritionis actu, ut possit infirmo præberi Viaticum, respondemus, præcepto se expiandi per sacramentalem confessionem tunc sacerdotem obligari, cum ei copia sit confessarii, et itidem præcepto percipiendi Eucharistiam teneri infirmum, cum eam potest suscipere eo modo quo decet; præceptum vero jejunii indiscriminatim obligat sacerdotem, nisi Pontifex eum dispensaverit ob gravissimam causam vitandi scandalum, quod jure naturæ vitandum sit. »

SECUNDUS CASUS : PERFECTIO SACRIFICII

852. Si aliquis sacerdos celebrans moriatur, vel in gravem morbum incidat, post consecrationem, nec possit Sacrificium perficere, neque suppetat alius sacerdos jejunus, tenetur sacerdos non jejunus perficere Sacrificium ac sumere SS. Sacramentum. Item si loco vini aquam calici infudisset, atque hoc non adverteret nisi post sumptionem aquæ, teneretur iterum consecrare calicem, et etiam panem, si non adesset scandalum, atque perficere Sacrificium inchoatum. Ita omnes theologi, et expresse fert Rubrica Missalis, ubi *De defectibus*, § 4, n. 5, et § 10, n. 3. Item, si, sumpta ablutione, advertat, aliqua fragmenta hostiæ quam consecravit in Missa, vel guttulas vini superesse, tenetur eas sumere, dummodo non adhuc vestimenta sacerdotalia exuerit. Ita etiam communiter theologi. Ratio est quia illæ particulæ sunt veluti partes victimæ mactatæ, et ideo earum sumptio pertinet ad perfectionem ejusdem sacrificii. Si autem illæ particulæ fuissent ab alio sacerdote, vel etiam a seipso, sed in alia missa consecratæ, neutiquam posset illas non jejunus sumere, sed deberet illas in tabernaculo reponere. Idem dicendum est de particula quæ, vel calici, vel ori inhæreret; tunc enim potest quidem sacerdos illam digito attrahere, sed magis decet vinum infundere, quo particula exsolvatur et simul cum vino sumatur;

ita enim sentit Suarez, De Lugo, S. Alphonsus, etc.; nec obstat, sed potius favet Rubrica Missalis, ubi *De defectibus*, § 10, n. 8 : « Si sumendo sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat. » Et hæc sumptio non videtur obstare jejunio, quia præceptum jejunii moraliter sumendum est, et ideo quod sumitur una cum Eucharistia, non censetur moraliter comestio præcedens. Unde in Parasceve, juxta Rubricam, particula hostiæ consecratæ debet sumi cum vino non consecrato.

TERTIUS CASUS : REVERENTIA SACRAMENTI

863. Si occurrat extrinseca necessitas consumendi Sacramentum, propter vitandam aliquam gravem irreverentiam ejus, ut, v. g., quia igne comburendum est, aut quia deveniet in manus hæreticorum vel infidelium, a quibus injuriose tractabitur, aut propter aliam similem causam. Sicut enim dixit S. Bernardus, quod propter charitatem institutum est, non debere contra charitatem militare, ita dicere possumus, quod propter reverentiam Sacramenti introductum est, non debere contra reverentiam Sacramento debitam obligare. Suarez, in 3, disp. 68, sect. 6, n. 7. Ita etiam omnes alii theologi.

EXPENDITUR CASUS CONTROVERSUS

864. Aliqui theologi sentiunt, sacerdotem non jejunum posse celebrare die festo vel dominico, vel etiam in aliis peculiaribus adjunctis, ne scilicet populus offendatur per omissionem Sacrificii. Sed dico, in hoc casu, non licere celebrare sine jejunio, nisi probabiliter reformidetur occasio gravis scandali, quod tamen communiter non contingit. Nec enim praxis Ecclesiæ, neque Concilia, neque Doctores, præter supra expositos casus, alios excludunt a lege jejunii. Si autem adsit ratio gravis scandali vitandi, quod aliter vitari nequit, tunc prorsus celebrare debet, quia salus animarum et obligatio charitatis Dei proximique est major obligatione jejunii : unde exceptio de vitando scandalo in omnibus præceptis locum habet, ubi contrarium non est intrinsece malum. Maxime quia cum hujusmodi scandalo semper est conjuncta gravis aliqua infamia ejus qui scandalum præbet, ob quam vitandam cessare etiam communiter solet obligatio

legis positivæ, quæ non obligat cum tanto onere ac discrimine.

Dixi *quod communiter non contingit*, sicut exacte ponderavit Suarez : « Ex hoc quod homo non sit jejunus, moraliter loquendo, non sequitur scandalum, quia multis de causis accidere potest quod homo non sit jejunus, absque ulla culpa. Quod autem homo non jejunus propter eam causam non communicet, non solum non est culpa, quin potius est virtus : ex hoc ergo, moraliter loquendo, non potest sequi scandalum, vel si sequatur, aut erit mere passivum, aut facile aliis modis vitari potest.» In 3, disp. 68, sect. 5, n. 7.

Nec astipulor Gury qui, tom. 2 *Casuum*, n. 300, dicit, in hoc casu, præter obligationem audiendi Missam, facile accedere aliam rationem gravem, scilicet scandali, obmurmurationis, offensionis populi : ut enim optime modo dixit Suarez, in hisce adjunctis, moraliter loquendo, non sequitur scandalum. Et Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 12. n. 4, agens de casu quo sacerdos qui curam animarum habet, sumpserit ablutionem post primam missam in die Nativitatis Christi, omnino rejicit sententiam quæ tenet, tunc licere illi sacerdoti celebrare alias missas ; rationem vero scandali quam illius sententiæ fautores adducunt, sic explodit : « Nemo enim esse potest qui scandalum patiatur, gnarus, sacerdotem ideo reliquas duas missas non celebrare, quod imprudens in prima missa jejunium fregerit. » A fortiori igitur non licebit sacerdoti noviter ordinato, qui celebraturus est primam missam, celebrare non jejunus, etsi perhonesta sit cognatio quæ sacro interesse jam in promptu est, et suboriantur obmurmurationes.

IV. — Potestas dispensandi a lege illius jejunii.

865. Cujusmodi potestas est penes solum Pontificem Romanum, sicut expresse declarat Benedictus XIV, in constitut. *Quadam*, § 4 : « Ut alicui expressis casibus non comprehenso liceat, etsi non jejuno, sacra participare mysteria, necesse erit, eumdem expressa dispensatione juvari, quæ porro dispensatio a nemine, præter Romanum Pontificem, potest indulgeri. Id solide tuetur Henaus, *De Eucharistia*, disp. 14, sect. 3, n. 44 ; et Suarez, disp. 68, sect. 5, § *Nihilominus*, quæstionem versans, num possit sacerdos etsi non jejunus Missam celebrare ut ægro

in vitæ discrimine constituto sacram Eucharistiam ministret, pervalide oppugnat sententiam asserentium, id ipsi licere ex dispensatione Episcopi : *Non potest Episcopus dispensare, quia est præceptum universale totius Ecclesiæ, et nulla auctoritate vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo, per se autem non potest inferior in lege superioris dispensare.* Firmissimam in hanc regulam consentit cardinalis De Lugo, *De Eucharistia*, disp. 15, sect. 2. n. 55, et hæc sunt ejus verba : *In hoc præcepto jejunii naturalis dispensare potest solus Papa. — De facto autem neque ipse Papa dispensare solet.* Dignumque animadversione est præpositum verbum *solet*, innuens, rariora esse similium dispensationum exempla, veluti scite expendit Tamburinus *In methodo expeditæ communionis*, cap. 2, § 8. »

866. Deinde Pontifex excludit casus quosdam, in quibus revera non facta est dispensatio, sed potius interpretatio legis, quia scilicet urgebat ratio gravis scandali aut alterius incommodi vitandi ; atque declarat, ante ipsum, factam fuisse hujusmodi dispensationem una vice tantum a Julio III, scilicet Carolo V, quando, abdicato imperio, se recepit in monasterium ut eremiticam vitam iniret. Fretus exemplo Julii III, ipse Benedictus XIV illam dispensationem concessit Jacobo III, Magnæ Britanniæ Regi, qui etiam pientissimus erat princeps, nec sine magnis incommodis poterat communicare jejunus.

867. Quocirca minime probanda videtur sententia illorum qui putant, « in casibus omnino particularibus, in quibus sæpe non patet facilis recursus ad Summum Pontificem, Episcopum posse dispensare cum infirmo qui morbo diuturno detinetur, et diu secus communione privandus esset. » Gury, tom. 2 *Casuum*, n. 295. Subdit : « In praxi, tuta conscientia ad Episcopum recurri potest, quia, si existimet se non posse in hoc dispensare ex propria auctoritate, forte ex S. Sedis delegatione dispensationem tribuere valebit. » Sed neque mihi probatur illa solutio ; nam Summi Pontifices non concedunt Episcopis potestatem dispensandi, qua et ipsi fere nunquam utuntur.

SECTIO II

DE DISPOSITIONIBUS POSITIVIS

868. I. Nihil statuit jus divinum. Dispositiones positivæ ad

reverenter communicandum consistere non possunt nisi in habitu externo, decenti compositione corporis et exteriori actione gestuque. Et circa hoc nihil fuit a jure divino positivo statutum ; tale enim jus nec scriptum, neque traditum est; quinimo, ut dixit S. August., *Epist.* 118, cap. 6, in his quæ ad modum dispensandi sacramenta pertinent et sunt extra illorum substantiam, Christus Dominus nihil statuit, sed eam potestatem Ecclesiæ commisit.

869. II. Jus ecclesiasticum. Imo neque jus ecclesiasticum circa hoc statuit aliquid ; neque ritus peculiaris fuit a consuetudine introductus et sancitus. Solum, quoad sacerdotes, quando extra Sacrificium communicant more laicorum, conc. Bracharense III præscripsit ut stolam super utrumque humerum impositam habeant, sub pœna excommunicationis ferendæ. At illius decreti verba, si attente expendantur, videntur restringi ad sacerdotem communicantem in Missa, solemni ritu, sicut fit in Cœna Domini. Unde licet mos invaluerit, et Rituale Romanum statuat generaliter, ut sacerdos non conficiens, et tamen communicans more laicorum, habeat stolam super humeros impositam, hoc præceptum non obligat sub gravi ; imo, absque veniali peccato, prætermitti potest ille ritus, si rationabilis causa id suadeat, puta infirmitas, major numerus communicantium, etc. Et in hoc casu intelligenda sunt verba concilii Bracharensis, quæ inscripta sunt in cap. *Ecclesiastica*, dist. 23.

870. III. Jus naturale. Ideo standum est juri naturali et generalibus regulis ad cultum externum spectantibus, quæ in præsenti potissime vigere debent, propter divinissimam sanctitatem hujus sacramenti, cui debetur, non solum interna, sed etiam externa adoratio. Deinde ipsamet susceptio Sacramenti est actio sacra et religiosa ; ergo ipsa ratio virtutis religionis postulat ut decenti modo fiat. Quia vero cultus externus non est definitus ex natura rei, ideo in hac parte servanda est ecclesiastica consuetudo, quæ pro locorum ac temporum diversitate varia ac multiplex est.

871. *Corollarium.* Hinc minister ac dispensator sapiens mysteriorum Dei potest, imo debet, prout prudentia ei suggesserit, a sacra mensa arcere omnes qui irreverenter et inhoneste accedunt, eisque Eucharistiam denegare. Quod specialiter præcepit Innocentius XI pro mulieribus quæ, depicta facie, aperto sinu,

atque ad luxuriam composito vultu, accedunt ad sacram mensam. Ipsarum accedendi modum descripsit S. Carolus Borromæus : « Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis ; non fuco aut pigmentis vultu illito ; non pectore nudo, aut tenui velo obducto ; sed ita vestitæ, ut ne præter faciem quidquam nudum cernatur, velo denso bene super faciem dimisso. Omnes autem, genibus flexis, non pectore brachiisque scabello innixi. » *Acta Ecclesiæ Mediolan.*

872. *Nota.* « Congruum etiam est accedere ad Eucharistiam, depositis armis. Cæterum communicare gladiatum nulla lege est vetitum per se loquendo ; nam per accidens potest esse veniale, ratione scandali... Milites vero S. Joannis Hierosolymitani omnino decet cum gladio accedere, quia hoc signo ipsi profitentur zelum pro tuenda fide. » S. Alphons., lib. VI, n. 235.

ARTICULUS IV

DE OBLIGATIONE COMMUNICANDI

PARAGRAPHUS I

DE PRÆCEPTO DIVINO SUMENDI SS. EUCHARISTIAM

Tria potissimum inquiruntur, scilicet an sit præceptum divinum ad communionem obligans, quasnam personas, et quandonam obliget ?

SECTIO I

EXISTENTIA PRÆCEPTI DIVINI

873. Duplex sententia. Alensis, S. Bonaventura, Ferrariensis, et alii non pauci negant, esse præceptum divinum sumendi Eucharistiam ; quia nec traditio, neque Scriptura illud perhibent. Neque ratio efficaciter suadet, quia Eucharistia non est simpliciter necessaria ad salutem. Ergo sicut alia sacramenta quæ augent gratiam, non sunt necessaria ex divino præcepto, ita potuit Eucharistiæ sacramentum esse non necessarium, sed institui ad majorem abundantiam, et pro illis qui ad perfectiorem sanctitatem aspirarent. At communis est sententia opposita, quam expresse docet D. Thomas, 3 p. q. 80, a. 11, et post ipsum, Suarez, Vasquez, De Lugo, Gonet, Billuart, etc.

PROPOSITIO

Datur præceptum divinum communicandi.

874. Prob. 1° *Scriptura. Joan.* 6, 54 : *Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Illa verba obvio sensu intellecta dicuntur de manducatione sacramentali corporis et sanguinis Christi. Porro præceptum grave includunt a Domino impositum. Ergo. *Prob. major.* Etsi enim intelligi possint de manducatione spirituali per fidem, attamen in obvio et genuino sensu significant manducationem sacramentalem, sicut late ostensum est supra (42, 43, 44 et 45), et declaravit conc. Tridentinum, sess. 13, cap. 2. *Prob. minor.* Propositio Domini est conditionalis atque includit gravem sanctionem, scilicet privationem vitæ supernaturalis, cujus consectarium est æterna damnatio ; sed ista propositio non potest esse vera, quin comestio sacramentalis corporis et sanguinis Domini sit aliquo modo necessaria ad salutem : si autem infert aliquam necessitatem, ad minus necessitatem præcepti ; ergo. *Confirmatur.* Ex hoc *Joan.* 3, 5 : *Amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, colligunt theologi præceptum Baptismi : porro uterque textus ex eodem Evangelio depromitur atque est plane identicus ; ergo. Deinde ex hoc *Lucæ*, 13, 3: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, colligunt etiam divinum pœnitentiæ præceptum : quorsum igitur ex plane similibus verbis haud poterit colligi præceptum divinum communionis ?

875. *Lucæ* 22, et I *Cor.* 11 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ista verba, licet prima fronte non videantur thesim fulcire, attamen semper traditio interpretata est de obligatione sumendi Eucharistiam, quia Christus mandavit fieri in Ecclesia id quod modo factum fuerat in ultima Cœna. Porro in ipsa, non tantum facta fuit oblatio corporis et sanguinis Christi, sed etiam sumpta est Eucharistia ab Apostolis non sacrificantibus. Ergo Christus jussit sumere Eucharistiam in Ecclesia ; etenim pronomen *hoc* designat totam actionem substantialiter sumptam, ideoque communionem ; quippe verba *hoc facite* dicta sunt omnibus qui passionem Christi commemorari debent ; ergo et sacerdoti-

bus et laicis, diversa tamen ratione, scilicet prout ad munus singulorum spectat. Quapropter conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 1, docet, Christum, illis verbis, constituisse Apostolos novi Testamenti sacerdotes ; et nihilominus, in sess. 13, cap. 2, illa interpretatur de communione fidelium. Vide Suarez, in 3, disp. 69, sect. 1, n. 7, De Lugo, *De Euchar.*, disp. 16, sect. 1, n. 9.

876. 2° *Conc. Tridentino.* Sess. 13, cap. 2 : « Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum veniat ; sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* »

Adversarii contendunt, illa Domini verba esse conditionata et includere præceptum de modo manducandi, non vero de manducatione ipsa, ita ut debeant sic verti : « *Si manducatis, præcipio ut memoriam mei colatis et sumatis tanquam*, etc. Sed in primis verisimile non est quod Christus fecerit præceptum de modo manducandi, et nullum ediderit de manducatione ipsa : et ideo sicut pessime ex illis : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua*, etc., inferretur, esse quidem præceptum divinum de modo diligendi Deum, non vero de dilectione ipsa ; ita pessime in præsenti arguunt adversarii. Deinde obvius sensus verborum Concilii illam interpretationem non patitur ; imo supponit præceptum tanquam rem de qua non potest esse difficultas ; nam Concilium potius significat rationes propter quas Christus *voluit* ac præcepit suum Sacramentum, scilicet ob memoriam sui et alimoniam spiritualem animorum. Unde alii sese recipiunt ad aliud effugium, contenduntque, illud Domini præceptum restringi ad solos sacerdotes conficientes et sumentes. Sed illa expositio non tantum gratis fingitur, sed etiam aperte opponitur verbis Concilii, quod sine ulla restrictione loquitur. Deinde in tota sessione 13 agit de Eucharistia tanquam Sacramento tantum ; de Eucharistia enim ut Sacrificio agit sess. 21 et 22. Demum Eucharistia non minus est spiritualis cibus fidelium quam sacerdotum : porro Christus sumi voluit sacramentum hoc, tanquam, etc.

877. 3° *Ratione. Primo, ex fine Eucharistiæ.* Sicut jure naturali tenetur homo cibum naturalem sumere, quia sine eo non

potest diu vitam conservare ; ita, quia ex supernaturali providentia, est moraliter impossibile diu perseverare in vita spirituali, sine divini Sacramenti subsidio, conveniens fuit ut Christus sub præcepto ad illud sumendum nos obligaret. Dico *ex supernaturali providentia*, quia potissimum ac præcipuum locum in ordine supernaturali gratiæ obtinet Eucharistia, atque prorsus Deus decrevit, tales vel tales gratias non fore concedendas, nisi per Eucharistiæ sumptionem, quibus potest quidem supplere, pro his qui versantur in impossibilitate sese reficere cœlesti pane, non vero pro his qui opportunissimas habent occasiones illum sumere, et tamen illum contemnunt, fontem vitæ derelinquunt, ut fodiant sibi cisternas dissipatas. Aliunde nonne apparent *rari nantes in gurgite vasto* hi qui semel in anno communicantes sese præservant a peccatis mortalibus? Quid fieret igitur, si penitus postponeretur antidotum quo liberamur ab illis ?

Confirmatur. Adamus, in statu innocentiæ, sub peculiari præcepto divino debuisset interdum de ligno vitæ, quod figura fuit Eucharistiæ, comedere, ut florentem corporis vitam servaret ; quanto magis congruum fuit ut homo lapsus, ad spiritualem vitam animæ conservandam, aliquo præcepto astringeretur comedere de vitali Eucharistiæ ligno ! Et quidem eo convenientius fuit illud præceptum, quo negligentior est homo ad vitam animæ, quam ad vitam corporis servandam.

878. *Secundo, ex ordine Sacramentorum ad invicem.* Eucharistia, ut dictum est (3), est simul principium et finis omnium Sacramentorum, quæ omnia ordinantur ad ipsam, tanquam ad consummationem vitæ spiritualis ; ideoque cætera sacramenta se habent ad Eucharistiam tanquam media ad finem. Porro Christus tulit præceptum de Baptismo et Pœnitentia. Ergo etiam verisimiliter de Eucharistia. Deinde eo ipso quod Christus tulit præceptum de aliquibus aliis sacramentis, remote saltem tulit præceptum de Eucharistia; nam medium nonnisi propter finem præcipitur.

COROLLARIUM.

879. Hinc probabilius infert D. Thomas, communionem spiritualem, id est, susceptionem in voto hujus sacramenti esse de necessitate medii : « Manifestum est autem quod omnes te-

nentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari, ut supra dictum est (q. 73, a. 3). Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, ut supra dictum est (ibid). Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis, *Lucæ* 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* » 3 p. q. 80, a. 11, o. Sed « hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis, sicut Baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento Baptismi; quantum vero ad adultos, utrumque est necessitatis. » Id. ibid. ad 2.

880. Aliunde qui suscipiunt sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, debent habere voluntatem implendi omnia Christi præcepta, adulti quidem, ex voluntate propria, parvuli autem, ex voluntate implicita Ecclesiæ, quæ pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi Baptismum. Atqui præceptum Christi est suscipere Eucharistiam. Ergo. Unde qui aliud sacramentum suscipiens excluderet formaliter sumptionem Eucharistiæ, sacrilegium perpetraret; siquidem inordinate ageret, utpote medium a fine deflectens. Quod maxime verificatur de illo qui utique sacramentum Pœnitentiæ reciperet in articulo mortis, sed positive nollet recipere Eucharistiam; nam, uti mox ostendemus, præceptum divinum communicandi urget specialiter in articulo mortis.

Communius et verius Soto, Salmantic., S. Alphonsus, cum D. Thoma, 3 p. q. 80, a. 11, ad 2, affirmant contra Durandum, Suarez, Vasquez, etc., Eucharistiam in re, vel saltem in voto, esse medium necessarium adultis ad vitam spiritualem conservandam; nam sicut vita corporis diu non potest conservari sine cibo materiali, ita vita animæ sine hoc cibo spirituali, saltem in voto, et quidem explicito in eo qui necessitatem hujus sacramenti advertit. Hinc tenent Salmanticenses, non excusari a peccato, etiam qui semel in anno Eucharistiam sumunt, si norint, communionem tam raram sibi non sufficere ad perseverandum, habita ratione propriæ infirmitatis. S. Alphons., lib. VIII, n. 192 et 193.

SECTIO II

QUOSNAM OBLIGET PRÆCEPTUM DIVINUM COMMUNICANDI?

881. PRÆNOTANDA. De parvulis et amentibus qui nunquam habuerunt usum rationis, dictum est supra (726-732); et præterea conc. Tridentinum, sess. 21, cap. 4, et can. 4, definivit, illos non obligari præcepto communionis. De his qui ante amentiam habuere usum rationis, pariter dictum est supra (733-741); neque aliquid peculiare quoad illos superest dicendum. Sed tota difficultas movetur de non baptizatis, sive sint fideles, ut catechumeni, sive permaneant infideles; et quæritur an specialiter peccent contra illud præceptum, si noverint illud atque sciant, Ecclesiam Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, et tamen non satagant se capaces sumendi Eucharistiam reddere? Negat Soto, in IV, dist. 18, q. 1, a. 3, concl. 1, et ipsum sequitur Gonet, *De Euchar.*, disp. 9, a. 1, n. 7. Affirmant vero Vasquez, disp. 211, cap. 4, Suarez, in 3, disp. 69, sect. 2, De Lugo, qui, disp. 16, sect. 2, dicit, sententiam affirmantem esse communem.

PROPOSITIO.

Probabilius infideles obstringuntur præcepto divino communionis.

882. PROB. 1° *Scriptura. Joan.* 6, 54: *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis*, etc. Ex supra dictis (874), illa Domini verba proprie dictum includunt præceptum. Porro illud præceptum fertur universaliter absque exceptione. Ergo. Minor constat tum ex ipsis verbis quibus usus est Christus, quæ, proportione servata, non magis admittunt exceptionem quam verba quibus Dominus præceptum Baptismi et Pœnitentiæ imposuit; tum ex persona audientium, qui plerique nondum baptizati fuerant; tum denique ex amplitudine potestatis Christi, quæ non coarctatur intra baptizatos, sicut Ecclesiæ potestas; nam Christus etiam quatenus homo habuit potestatem universalissimam, quæ scilicet extenditur super omnes homines et angelos, sicut late ostensum est in tractatu de Incarnatione, maxime ubi de titulis Christi.

Juvat tamen innuere discrimen quod existit inter Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentum. Confessio non potest fieri de pec-

catis commissis ante Baptismum, quia non sunt materia hujus sacramenti; ergo tunc non est obligatio confitendi, alioquin esset obligatio peccandi post Baptismum; quod impiissimum est. At vero præceptum Eucharistiæ est absolutum, et proinde obligat ad adhibenda media necessaria, quorum potissimum est susceptio Baptismi. Unde sicut qui lethale commisit peccatum, nihilominus tenetur in Paschate, et in articulo mortis, sumere Eucharistiam, cum tamen obligatione tollendi impedimentum, aut confessione, aut saltem contritione; ita infidelis qui plane noverit præceptum Domini de Eucharistia sumenda, per illud obligatur, atque ideo tenetur recipere Baptismum, ut possit illud adimplere.

883. 2º *Ratione. Primo, ex ordine Sacramentorum.* Nemo potest teneri ad media adhibenda, quin teneatur ad finem prosequendum. Porro omnes infideles divino præcepto tenentur ad suscipiendum Baptisma, quod est medium respectu Eucharistiæ; ipsa enim, uti jam sæpius inculcatum est, est simul principium et finis cæterorum sacramentorum omnium. Ergo.

884. *Secundo, ex eversione fundamentorum sententiæ adversæ.* Dicunt *primo*, jus divinum supernaturale tantummodo obligare universum orbem ad suscipiendam Evangelii fidem, obligationes vero peculiarium præceptorum non exurgere, nisi ex ipsa fidei professione, quæ fit in Baptismo: quemadmodum si quis faciat votum simplex religionis, licet teneatur ad religionem, non tamen ad ejus cæremonias et officia, donec illam profiteatur. Sed in primis illa argumentatio est petitio principii, et gratis asseritur, orbem universum nonnisi uno universalissimo Domini præcepto astringi. Deinde fides non est propter seipsam, sed propter aliud; unde quis non potest obligari ad fidem, quin eo ipso obligetur ad illud aliud. Præterea, ante susceptum Baptisma, omnes tenentur jam ad explicite credenda SS. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis mysteria, si ipsis innotescant; ergo falso asseritur, infideles teneri tantum recipere Baptisma. Similitudo desumpta ex voto religionis penitus claudicat: reapse ille qui emisit votum ingrediendi religionem, non eo ipso astringitur votis paupertatis, castitatis et obedientiæ, quia nondum emissa sunt; neque ligatur religionis præceptis, quia nondum est subditus prælati præcipientis; ideoque ligatur solum voto

jam emisso ingrediendi religionem. At in nostro casu, jam præexistit præceptum latum a Domino, qui prorsus omnes homines obligandi potestatem habet.

Dicunt *secundo*, si hoc præceptum obligaret non baptizatos, SS. Martinum, Ambrosium aliosque plures qui diu Baptismum distulerunt, contra præceptum Domini peccasse mortaliter: quod de tam sanctis viris asserere nefas est. Sed in primis retorqueri potest argumentum; adversarii enim dicunt, præceptum divinum suscipiendi Baptismum obligare omnes homines, et quidem cum dispendio salutis. Deinde illi sancti viri non fuerunt sancti quia distulerunt suum Baptisma, nec unquam ab Ecclesia messuerunt laudem propter hujusmodi dilationem; et si forte non peccaverunt, dicendum est, eos bona fide fuisse.

Dicunt *tertio*, nullum præceptum obligare eos qui illius sunt incapaces. Porro non baptizati sunt incapaces Eucharistiæ. Sed *distinguo majorem:* Si sint inculpate incapaces, et non valeant incapacitatem tollere, *concedo;* secus, *nego*. Ratio distinctionis patet ex dictis (882).

SECTIO II

QUANDONAM OBLIGET PRÆCEPTUM DIVINUM COMMUNIONIS?

885. Prænotanda. 1° Non agitur de obligatione per accidens, qua aliquis in peculiaribus adjunctis constitutus tenetur ad communionem, si videlicet sit ipsi moraliter impossibile aliter resistere molestæ tentationi, atque peccatum mortale vitare. « Hoc tamen dicit Suarez rarissime evenire posse, cum ad hoc sufficere possint alia remedia, orationes, pœnitentiæ, etc. Eo casu autem, quo communio esset necessaria, homo illam omittendo non peccaret contra illius præceptum, sed contra virtutem, adversus quam tentationem patitur. » S. Alphons., lib. VI, n. 295.

886. 2° Sed agitur de obligatione per se, quæ nimirum a præcepto ipso formaliter procedit. Cajetanus, Ledesma, Paludanus et alii pauciores dicunt, illud præceptum obligare tantum semel in vita, quia præceptum affirmativum observatur sufficienter per unum actum, nisi oppositum exprimatur in lege. Sed communis sententia tenet, dari ex præcepto divino obligationem sumendi Eucharistiam pluries in vita, et specialiter in articulo mortis. Vide Vasquez, disp. 214, cap. 2 et 3; Suarez, in 3, disp. 69, sect. 3; De Lugo, disp. 16, sect. 2, n. 27.

887. 3° Sub nomine articuli mortis, intelligitur, non tantum status ægrotantis qui versatur in illo, sed etiam omnis alius status in quo homo, quantumvis sanus, vere subit periculum mortis. Unde qui bellum acerrimum agressurus est, aut mare valde tumultuosum et scopulosissimum per diuturnum tempus est navigaturus; qui amputationem brachii vel cruris passurus est; mulier ante primum puerperium, vel quæ nonnisi difficiles jam experta est partus, si mox paritura sit, etc.; hi omnes censentur esse in periculo mortis.

PROPOSITIO I.

Probabilius est, præceptum divinum sumendi Eucharistiam obligare pluries in vita.

888. PROB. 1° *Ex natura et fine hujus sacramenti.* Eucharistiæ sacramentum institutum est per modum cibi ad nutriendam spiritualiter animam; ex qua institutione intulimus supra (877) necessitatem sumendi, vi præcepti divini. Atqui eadem ratio demonstrat obligationem sumendi pluries in vita; etenim necessitas cibi non est unius, sed repetitæ comestionis, quia sumitur ut instaurentur ac resarciantur vires corporis, quæ jugiter minuuntur. Ergo sicut ex natura et fine hujus sacramenti colligitur obligatio communicandi, ita etiam valde probabiliter infertur obligatio pluries communicandi.

889. 2° *Ex praxi Ecclesiæ.* Ecclesia semper et ubique magno studio et sollicitudine enixa est fideles ad sacram mensam adducere: imo et pœnis illos coegit, si quando negligentiores fuissent. Atqui non ita egisset, si non esset præceptum et necessitas pluries sumendi Eucharistiam. Ergo.

890. 3° *Ex natura præcepti positivi.* De ratione præcepti positivi est, quod pluries in vita obliget, nisi oppositum expresse dicatur; licet enim *non semper ac pro semper* obliget, attamen generatim ei non satisfacit aliquis, si ei obtemperet una vice; v. g. non satis est actum fidei et charitatis semel in vita elicere; porro præceptum divinum communicandi est positivum, et nedum expresse dicatur, illud impleri per actum unum, potius oppositum patet, tum ex igneis Christi incitamentis ad Eucharistiæ susceptionem, tum ex natura hujus sacramenti.

PROPOSITIO II.

Præceptum divinum sumendi Eucharistiam obligat specialiter in articulo mortis.

891. PROB. 1° *Conciliis.* Concil. Nicænum, can. 12, alias 13: « De his vero qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula observabitur etiam nunc: ita ut si forte quis recedit ex corpore, necessario vitæ suæ Viatico non defraudetur. » Et habetur in cap. *De his*, causa 26, quæst. 6. Concilium loquitur de lege antiqua, quam nec a summis Pontificibus, neque a Conciliis latam legimus; deinde dicit, ex illa lege consequi necessitatem ministrandi Viaticum, quod non diceret, si illa necessitas non proveniret ex lege divina, sed tantum ex lege ecclesiastica; nam Ecclesia, quando loquitur de obligatione proveniente ex suis legibus, illam non appellat necessitatem.

Suarez, in 3, disp. 69, sect. 3, n. 2, citat insuper conc. Toletanum XI, cap. 18, Agathense, cap. 11, Ancyran., cap. 22, Arausic., cap. 13, Arelatense 11, cap. 12, Aurelian., cap. 24, Carthag. IV, cap. 77 et 78. Deinde subdit: « Quæ consuetudo ita est recepta, ut sine magno scandalo violari non possit, quod est signum gravis obligationis; meritoque suæ salutis negligentissimus, et de statu animæ suæ, vel etiam de fide suspectus habeatur qui voluntarie in mortis articulo Viaticum negligeret; est ergo res gravis et sub obligationem cadens. Ex hujus autem consuetudinis antiquitate ulterius colligere licet, eam, ut minimum, esse traditionem apostolicam, quia ejus initium ignoratur. Ac denique ex ejus immutabilitate conjectamus, in Christi mandato esse fundatam. »

892. 2° *Ratione. Primo, ex fine hujus sacramenti.* Certum est, præceptum divinum communionis urgere aliquando in vita, et ideo quando maxime indiget homo refici pane cœlesti. Porro hoc contingit in articulo mortis, ex quo pendet ultimo æternitas, et in quo imminet ultima ac vehementissima lucta cum nequissimo, callidissimo ac robustissimo hoste. Ergo.

893. *Secundo, ex immunitate a lege jejunii.* Ecclesia fidelem in articulo mortis eximit a lege jejunii naturalis, ut possit Viaticum sumere; atque ab hac lege non dispensat in cæteris casibus, nisi interveniat aliquod præceptum divinum adimplen-

dum, aut naturale, aut positivum. Ergo verisimiliter colligitur, dispensationem fieri in articulo mortis, etiam propter aliquod divinum præceptum.

TRIA COROLLARIA NOTATU DIGNISSIMA.

894. *Primo*, potest tamen Ecclesia, cui a Christo concredita est sacramentorum dispensatio, obligationem suscipiendi protrahere, prout suadet reverentia Sacramenti et utilitas suscipientium; ita enim se gerit quando communionem denegat ad vitandum scandalum, aut eam procrastinat pueris, ut maturius et devotius accedant. Attamen si essent in articulo mortis, prorsus nefas esset eis communionem denegare; illa enim circumstantia est determinata a jure divino. « Unde, licet, quoad communionem annuam, Ecclesia non censeatur inclusisse pueros omnes, sed cum latitudine, arbitrio confessarii, quoad articulum tamen mortis non habemus fundamentum ad eam latitudinem concedendam. » De Lugo, *De Euchar.*, disp, 13, sect. 4, n. 37.

Quocirca Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. VII, cap. 12, n. 3, dicit cum melioris notæ theologis, dandam esse communionem his pueris qui capaces sunt absolutionis et Extremæ Unctionis, qui scilicet habent usum rationis ad peccandum lethaliter, dummodo Eucharistiam a mensa communi valeant discernere. Atque ibidem cum iisdem sentit, tunc esse obligationem, tam ex parte petentis, quam dispensantium. In dubio autem de capacitate pueri, pars benignior et favens ægrotanti tenenda est, ut patet; quia sacramenta propter homines, et maxime in articulo mortis, qui est circumstantia adeo momentosa, ut cohonestet irreverentiam erga Sacramentum, si qua fortasse detur. Sed illi pueri Viatico refecti, si ad sanitatem restituantur, neutiquam eximuntur ab obligatione interesse catechesi, et se præparare ad primam communionem sicut et cæteri pueri: subjacent enim Ecclesiæ legibus, et tenentur fidei rudimenta addiscere.

895. *Secundo*, sacerdos neutiquam habet jus defraudandi aliquem a Viatico, nec ullam in hoc Ecclesia ipsi concessit facultatem; unde quantumviscumque magna facinora aliquis ante articulum mortis, vel etiam fere in toto decursu vitæ perpetraverit, nisi in his constituatur adjunctis quæ Ecclesia determinavit, non potest ei denegari communio. Rituale Romanum illa sic recenset: « Cavendum autem in primis est ne ad indignos

cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarii, concubinarii, notarie criminosi, nominatim excommunicati aut denuntiati, nisi sese prius sacra confessione purgaverint, et publicæ offensioni, prout de jure, satisfecerint. » Unde ipsis meretricibus concedenda est Eucharistia, si pœniteant et absolutionem accipiant, dum tamen habeant dispositiones ad veram pœnitentiam, prout describuntur in tractatu de Pœnitentia, et sint in loco convenienti, v. g. si decumbant in aliquo catholico hospitali. Si enim adhuc essent in prostibulo, non liceret ad eas, quantumvis aliunde rite dispositas, Viaticum deferre, quia obesset tum loci indecentia, tum etiam ratio scandali. Extra autem casus a lege ecclesiastica præfixos, nullo pacto fas est sacerdoti denegare Viaticum. Alte in animo defixum habeat divinum communionis præceptum, quod valde urget in articulo mortis, memineritque, se esse, non dominum, sed solum dispensatorem mysteriorum Dei. Nec fauste reponitur, Viaticum non esse necessarium ad salutem; nam in primis fieri potest ut ægrotans illo potentissimo auxilio defraudatus pereat in supremo agone; deinde Eucharistiæ sumptio indirecte peccata mortalia remittit et æternum pondus gloriæ ac felicitatis operatur in cœlis; et tandem urget voluntas Christi et Ecclesiæ, cui sacerdos, ante omnia, obtemperare tenetur.

896. *Tertio*, probabilius et securius, dicunt Suarez, Sylvius et alii (quibus favet Benedictus XIV, lib. XIII *De Synodo*, cap. 19, n. 8 et seq.), teneri parochum, tempore pestis, Viaticum ministrare infirmis cum ordinario periculo contagionis; etiamsi in particularibus casibus excusari possit, puta si periculum multum augeatur, et proximi necessitas nimium diminuatur; aut si parochus solus sit, et non possit alius in ejus defectum substitui, aut si inde non posset audire confessiones aliorum periculosissime ægrotantium. « Hæc conclusio, inquit Suarez (in 3, disp. 44, sect. 3, n. 17), est magis pia, et judicio meo valde necessaria ad bonum regimen animarum, ne facile tanto bono in illa necessitate priventur. Eamque confirmat usus Ecclesiæ; nam omnes parochi timorati hoc observant, etiamsi intelligant, ægros esse dispositos per sacramentum confessionis. Episcopi etiam illos compellunt ad Eucharistiam ministrandam : quod non esset justum, si ipsi ex vi officii non tenerentur. Populo item magnum esset scandalum, si Parochus subditos suos sine Viatico mori sineret. Signum

ergo est ejusdem obligationis. » Aliunde parochus tenetur administrare tunc Pœnitentiam; porro vix augetur periculum, si illico administret etiam Viaticum. Imo parochus tempore pestis tenetur residere in parochia : porro qui jam tenetur cum pestiferis vivere, non multo graviori periculo se exponit, si Viaticum ministret.

SECTIO IV

EXCUTIUNTUR QUATUOR DUBIA.

Quæritur 1° quoties teneantur accedere fideles, ut præcepto Christi satisfaciant?

897. In primis certum est, eum qui semel in anno communicat, præceptum divinum adimplere, sicut patet ipsa agendi ratione Ecclesiæ, quæ, etsi iterum atque iterum incitat ad frequentiorem Eucharistiæ usum, attamen non damnat ut malum protrahere communionem ad annum. At vero qui eam ultra procrastinaret, peccaretne contra jus divinum? Suarez et quidam alii existimant, hoc præceptum obligare singulis triennis, vel saltem quaternis. Alii forsan rectius dicunt, Christum nihil in hoc statuisse, atque rem Ecclesiæ dispensationi totam reliquisse. « Cum enim Eucharistiæ sacramentum ita fuerit institutum, ut fideles in ejus usu debeant omnino a propriis pastoribus dependere, *quibus sic congruit ut sumant et dent cæteris*, frustra videretur præceptum dirigi ad subditos, cum ipsi non possint sibi Eucharistiam accipere; sed debent ad pastores dirigi, ut ipsi cogerent subditos ad hoc sacramentum suscipiendum, quando necessarium judicaretur. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 16, sect. 2, n. 28. Ecclesiæ enim atque illius pastorum est judicare quando Eucharistiæ sacramentum est, *ex se*, omnibus, et, *per accidens*, quibusdam necessarium. Et hæc sententia satis quadrat cum doctrina conc. Tridentini ; nam sess. 14, cap. 5, agens de canone conc. Lateranensis *Omnis utriusque*, qui simul communionis et confessionis obligationem declarat, docet, ibi non imponi præceptum, sed tantum definiri tempus quo est adimplendum : « Neque enim per Lateranense concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. »

Quæritur 2° an ille qui devotionis causa, paucis antea diebus, jam communicavit, teneatur, superveniente mortis periculo, Viaticum sumere?

898. Tanquam probabilius affirmant Vasquez, S. Alphonsus et alii, præsertim ex coetaneis. « Ratio est, quia hoc divinum mandatum, ex interpretatione Ecclesiæ, præcise obligat, instante periculo mortis,ut contra hostes hoc divino præsidio muniamur; ergo non impletur per communionem ex devotione susceptam; sicut enim non potest satisfieri debito priusquam contrahatur, ita nec satisfieri præcepto antequam ejus urgeat obligatio. Nec obstat dicere, quod qui paulo ante communicavit, jam sufficienter se munierit, unde jam satisfecit fini præcepti; nam si hoc valeret, qui pridie Palmarum communicasset, non teneretur ad communionem paschalem; sed hoc nemo dicet. » S. Alphonsus, lib. VI, n. 285, dub. 2.

899. Negant vero Suarez, De Lugo et alii communius, quorum sententia mihi videtur probabilior. Nam *primo*, multæ leges posterius supervenientes implentur per opus præscriptum antea peractum, quia includunt implicitam hanc conditionem: *Si non sit jam factum illud opus.* Sic debuit intelligi præceptum annuæ confessionis in concilio Lateranensi IV editum; Concilium enim fuit celebratum mense novembri an 1215. Unde qui illo anno semel aut sæpius confessus erat, non est credibile quod obligatus fuerit ad iterum confitendum, ante anni finem. Porro res ita se habet in præsenti, quia substantia præcepti in eo est, ut nullus moriatur sine Eucharistia proxime suscepta. Illa autem propinquitas æstimanda est more humano; atque ideo, si aliquis communicasset octo, vel etiam, juxta Suarez (in 3, disp. 69, sect. 3, n. 3), decem diebus, antequam mortis periculum subierit, jam non teneretur iterum communicare, licet melius atque optime faceret, si ad communicandum se disponeret. « Quæ enim proxime facta sunt, dicuntur facta mortis tempore: sic enim Cœna et institutio sacramenti Eucharistiæ dicitur facta a Christo, mortis tempore et in fine vitæ, licet vulnera aut comprehensio nondum venissent. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 16, sect. 2, n. 36.

Secundo, ut quis sit in articulo mortis, non est necesse quod ipse hoc sciat, nec quod jam a morbo aut vulnere lethali invada-

tur, sicut patet pro illo qui a judice damnatur capite, quin adhuc ipsi sententia innotuerit; ergo satis est quod more humano sit morti proximus. Porro ita se habet ille qui infra octo dies moriturus est. Ergo. Neque necesse est ut sumpserit Eucharistiam cum explicita intentione implendi præceptum, quia unusquisque in suis actibus censetur habere intentionem implicitam adimplendi omnem obligationem quam potest et debet implere, licet fortasse eam ignoret; sicut qui Missæ interfuerit, nullatenus cogitans de præcepto implendo, nihilominus postea, dum de illo cogitat, non tenetur, etiamsi possit, iterum Sacro interesse.

Tertio, si res non sumenda sit humano more, ita ut sub mortis articuli nomine computandum sit tempus solum ab instante quo homines sciunt, talem hominem, sive propter morbum, sive propter jam latam capitalem sententiam, mortis periculum subiturum esse; ergo si quis casu cadat ex arbore vel rupe, et immineat mors, tenetur adhuc sumere Eucharistiam, licet mane jam communicasset. Porro hoc videtur nimis rigidum; imo Suarez dicit, esse contra Ecclesiæ praxim. Ergo.

Quarto, rationes ab adversariis adductæ non mihi videntur convincentes; nam primum argumentum non urget, nisi prius constet, sub nomine articuli mortis computandum esse tempus, solum ab instante quo homines sciunt, mortem imminere. Neque cogit secundum, quia in uno casu agitur de præcepto ecclesiastico, ad cujus impletionem aptum tempus intra limites definitos Ecclesia circumscripsit; dum in alio agitur de præcepto divino, quod quidem implendum est in articulo mortis; sed intra quosnam limites coarctetur ille mortis articulus, nulla lex divina aut ecclesiastica prædefinivit: idcirco res humano more dijudicanda est.

Quæritur 3° an qui mane communicavit ex devotione, teneatur, vel saltem possit, urgente mortis periculo, Viaticum sumere?

900. Quod facilius accidere potest sacerdotibus quotidie celebrantibus, et etiam laicis qui singulis diebus ad sacram mensam accedunt; vel etiam, si quis, cum jam ægrotaret, mane, non animo sumendi Viaticum, sed ex devotione communicaret, postea vero eodem die, morbo ingravescente, et morte instante, vellet accipere Viaticum.

901. 1° *Triplex sententia.* Prima sententia affirmat, esse obligationem sumendi, quia per communionem mane factam non potuit adimplere præceptum quod nondum urgebat. Ita Hurtadus, Pellizzarius, Discatillo, Quintanaduenas, aliique relati a Diana, part. 10, tract. 11, resol. 40.

Secunda sententia dicit, non esse obligationem, sed facultatem iterum sumendi. Ita Roncaglia, Gobat, Marinus, quos citat Benedictus XIV, *De Synodo* VII, cap. 11, n. 2; atque subdit: « Huic sententiæ adstipulatur praxis quorumdam religiosorum, a quibus, uti referunt Diana... et cardinalis De Lugo..., in prædicto eventu sanctissimum Viaticum porrigi consuevit sacerdotibus qui ea ipsa die celebrarunt. »

Tertia sententia negat, posse iterum sumi Eucharistiam. Ita Suarez, De Lugo, et alii quam plures. Ratio est, quia ex una parte, jam satisfactum est præcepto, ut patet ex dictis ad quæsitum secundum (889); ex altera vero parte, Ecclesia prohibuit pluries eadem die communicare, nisi ad subtrahendum SS. Sacramentum a profanatione, vel ad perficiendum Sacrificium, vel die natali Domini, vel ad duas parœcias die Dominico, vel festo, in casu necessitatis, ministrandas. Extra illos casus, communiter docent theologi, non licere bis in eadem die communicare; ne ut ægroto quidem Viaticum deferatur, licet sacerdoti bis celebrare. Ideo, licet nondum fuisset præcepto divino satisfactum, non obligaret in hoc casu, propter vetitum Ecclesiæ, cui Christus omnimodam potestatem commisit circa Sacramentorum dispensationem.

902. 2° *Ponderantur sententiæ.* Secunda sententia nullo probabili fundamento videtur inniti; si enim non sit præceptum sumendi Viaticum, non apparet unde habeatur illa licentia pluries communicandi eadem die contra prohibitionem universalem, cum nec ex consuetudine, neque ex aliqua lege possit probari. Prima sententia, etsi admodum probabilis, non mihi arridet, propter rationes quibus supra (899) ostensum est, satisfactum fuisse præcepto divino per communionem factam paulo antequam mortis periculum innotesceret. Insuper, si fundamentum hujus sententiæ esset firmum, sacerdos qui, illico absoluta missa, corriperetur morbo, vel lethale vulnus acciperet recedens ab altari, teneretur sub gravi iterum sumere; ratio enim semper eadem est, sive exiguissima, sive magna intersit morula.

Atqui hoc nefas est, neque absque scandalo potest in praxim adduci. Ergo. Quocirca tertia opinio mihi videtur probabilior, imo et certa, si non agatur de illo qui lethale vulnus acceperit, sed de illo qui jam leviter ægrotavisset mane, aut subito apoplexia vel alio morbo gravi correptus sit ; hic enim jam certo in mortis articulo erat constitutus mane, quando communicavit ; jam tunc in causa et intrinsecus existebat morbus, licet nondum extrinsecus apparuerit.

903. 3° *Libertas in praxi.* Quoad praxim, ita habet Benedictus XIV, in loco citato : « In tanta opinionum varietate, Doctorumque discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti quæ sibi magis arriserit, quin fiat reus violati statuti Synodalis (si Episcopus in contrarium statuerit), quod certe non potuit casum istum respicere, neque fas erit Episcopo aut in parochum animadvertere, aut quidquam de ejusmodi controversia in sua Synodo decernere, ne videatur sibi arrogare partes judicis inter gravissimos hac super re inter se contendentes theologos. »

COROLLARIUM

Hinc constat a fortiori, non obligare præceptum divinum ad iterum sumendam Eucharistiam, si sumpto semel Viatico, postea ægrotus mortaliter peccaverit ; nam per absolutionem redit gratia amissa per peccatum. Unde sic se habet universalis praxis Ecclesiæ. Præterea sæpe esset periculum infamiæ, vel fractionis sigilli confessionis, si pastor aliter se gereret.

Quæritur 4° an, et quoties liceat communionem iterum ministrare ægrotanti non jejuno, qui jam Viatico munitus est ?

904. *Resp. Affirmative ad primum.* Et est communis sententia. Vide S. Alphons., lib. VI, tract. 3, n. 285. « Ratio est, quia non sola obligatio divini præcepti est in causa, ut Ecclesia in eo articulo non obliget ad jejunium, sed etiam ipsa necessitas, quæ in illo tempore et periculo maxima est... Non est autem hoc extendendum extra tempus periculi mortis, tum quia nulla alia esse potest tanta tamque urgens necessitas ; tum etiam, quia, secluso hoc periculo, vix esse potest moralis casus in quo cogatur

homo diu privari hoc sacramento, eo quod non possit jejunus accedere. » Suarez, in 3, disp. 68, sect. 5, n. 3.

Benedictus XIV, lib. VII *De Synodo* 12, n. 5, dicit, Episcopum debere abstrahere a præfiniendo temporis spatio quod intercedere oporteat, ut, intra eamdem infirmitatem, possit iterum non jejuno dari Eucharistia ; scilicet non decernat, requiri triginta, vel decem, vel octo, vel tres, vel alteram diem, prout varie sentiunt theologi ; sed « parochis insinuet, posse, et sanctissimum Viaticum in eadem infirmitate iterum, et tertio administrari, præsertim si ipsimet ægrotantes iterum cœlestem illum panem esuriant ; et, si velit, pœnam etiam in parochos decernat, qui, postquam plurimum temporis, Eucharistiam ad eumdem infirmum eam devote efflagitantem, falsis quibusdam et emendicatis prætextibus, denuo deferre obstinate detrectant ; nihil quippe in hac saluberrima constitutione invenietur censura et castigatione dignum. »

Quia vero non tam ex decretis, quam ex consuetudine Ecclesiæ, fas est constitutis in articulo mortis sumere Eucharistiam absque jejunio, unica regula firma et secura videtur esse consuetudo fidelium, quæ certe ita generalis videtur, ut possit iterum præberi Viaticum post octo dies. Utrum vero dari possit post tres vel quatuor, non audet asserere ipsemet De Lugo, qui prædictam regulam tradidit, disp. 15, sect. 3, n. 66.

Nota. Sacerdos, dum Viaticum defert, tenetur adamussim servare regulas in Rituali delineatas, sed insuper sequentia in animo alte defixa habeat. In primis non debet, extra casum necessitatis, Viaticum deferre, nisi ægrotus jam absolutus fuerit, et habeatur certitudo moralis de rita dispositione tum animi, tum corporis et habitaculi in quo jacet infirmus. Deinde operæ pretium est, ut qui ægrotantis confessionem audivit, ei quoque Viaticum deferat ; ipse enim aptior est ad anxietates animi pellendas. Si ægrotans non valeat deglutire sacram hostiam, propter gutturis reserationem et ariditatem, licet illam ipsi porrigere in cochleari cum vino ; sed non licet ipsi dare Eucharistiam sub vini specie. Vide S. Alphons., lib. VI, n. 244 et seq. Licitum est etiam dare ægro minimam particulam simul cum ablutione, si ob siccitatem nequeat illam deglutire ; imo P. Zaccharia, refert, hanc fuisse consuetudinem monachorum Cluniacensium. Id. n. 288.

PARAGRAPHUS II

DE PRÆCEPTO ECCLESIASTICO COMMUNICANDI

SECTIO I

EXISTENTIA HUJUS PRECÆPTI

905. I. Antiqua Ecclesiæ disciplina. *Primo*, quum nascentis Ecclesiæ fidelium cor unum et anima una essent, communicabant quotiescumque Sacro intererant. Paulisper refrigescente charitate, S. Anacletus præcepit ut ministri qui Sacrificio interessent, communicarent: quod ab Apostolis constitutum esse affirmabat. Sed probabilius est, nullum fuisse antiquitus editum decretum quo omnes fideles obligati essent ad communicandum; non enim, ut patet, erat causa ad hujusmodi decretum ferendum, quum devotio fidelium obligationem præcepti præveniret. Decretum Anacleti nonnisi clericos ministrantes Sacrificio obligabat, et quidem probabilius sub levi.

Secundo, aliqui existimarunt, fideles fuisse postea obstrictos ad communicandum singulis Dominicis; sed illius obligationis nullum sive Conciliorum, sive Pontificum superest decretum; solum in decretis Pii I, et concilii Nannetensis cap. 9, legimus, præcipi sacerdoti, ut singulis Dominicis panem benedictum habeat, quem his fidelibus distribuet, qui communicare non potuerint.

S. Fabianus Papa, qui electus est an. 238, tulit decretum obligans ad communionem ter in anno, nempe in die natali Domini, Paschatis et Pentecostes, ut habetur in cap. *Etsi*, *De Consecrat.* dist. 2: cui, juxta plures, Soter Pontifex Maximus, ob memoriam passionis, et institutionis hujus sacramenti, addidit diem Cœnæ Domini, sicut habetur in cap. *In Cœna*, eadem distinctione. Decretum S. Fabiani a multis conciliis, præsertim ab Agathensi I, confirmatum est.

906. II Recentior ac hodierna disciplina. Illa omnia decreta revocavit Innocentius III, in conc. Lateranensi IV, an. 1215. Crescente nimium fidelium numero, et charitate frigescente, visum est Ecclesiæ sufficere unam communionem singulis annis præcipere, ne fragilibus hominibus laqueos injicere videretur, quia, non obstantibus superioribus præceptis, introduci cœpit consuetudo differendi communionem per annum integrum, ut

sumitur ex S. Chrysost., *Hom.* 61 *ad populum*, ubi eam consuetudinem reprehendit; et ex S. August., serm. 28 *De verbis Domini;* et S. Ambros., V *De Sacrament.* 4, dicentibus : « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum in Oriente Græci facere consueverant? » Itaque Pontifex sequens tulit decretum : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. » Uti videre est, illud præceptum obligat sub gravi, quum gravi pœna sanciatur; et aliunde ita fert praxis Ecclesiæ et doctrina omnium theologorum. Imo conc. Tridentinum, sess. 13, can. 9, anathemate percellit eos qui hanc obligationem negant : « Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ : anathema sit. »

907. III. Protestantium blasphemia. Contra hoc præceptum acriter invehuntur et debacchantur hæretici. Lutherus enim in serm. *De confessione et sacramento Eucharistiæ*, aliisque suis in libris, dicere non erubuit, errare illos graviterque peccare qui cogunt homines, sub peccato mortali, in Paschate uti Sacramento. Calvinus vero, IV *Institut.* 17, § 46, hæc impudentissime scripsit : « Hæc consuetudo quæ semel quotannis communicare jubet, certissimum est diaboli inventum, cujuscumque tandem ministerio invectum fuerit. » Sed in his refellendis non immoror, quia, ut cum S. Hieronimo (*Epist. ad Ctesiphontem*) loquar : « Sententias istas prodidisse, superasse est. Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet convinci quod prima statim professione blasphemum est. » Gonet, *De Euchar.*, disp. 9, a. 1, n. 11.

SECTIO II

QUOSNAM OBLIGET HOC PRÆCEPTUM?

908. I. SOLOS BAPTIZATOS. Certum est, hoc præcepto obligari solos baptizatos. Hoc constat primo ex verbis ipsius legis; nomine enim fidelium intelliguntur qui fidem Christi et Ecclesiæ professi sunt per Baptismum. Deinde soli baptizati possunt ad confessionem obligari quando illa indigent: porro eosdem tantum obligat præceptum communionis, quum feratur pro eodem subjecto. Demum Ecclesia non habet potestatem nisi super baptizatos, juxta illud I *Cor.* 5, 12 et 13: *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit.*

909. II. NON IMPROBABILITER HÆRETICOS ET SCHISMATICOS. Supra (897) dictum est, probabiliorem esse sententiam quæ tenet, Christum penes Ecclesiæ potestatem reliquisse ut determinaret tempus quo obligat præceptum divinum communionis; et ideo, juxta hanc sententiam, hæretici et schismatici non essent immunes præcepto communionis paschalis. Omnes enim astringuntur præceptis divinis. Porro præceptum communionis paschalis est divinum in se, quum Ecclesia non jus novum constituerit, sed duntaxat, pro potestate sibi divinitus tradita, definierit tantum tempus quo obliget præceptum divinum. Si autem illud præceptum esset mere ecclesiasticum, potius autumarem per ipsum non ligari hæreticos et schismaticos qui nunquam de gremio Ecclesiæ catholicæ fuerunt; quia benignissima Mater Ecclesia non voluit eos sua lege obstringi; quum inde nullum ei accrescere possit emolumentum, sed tantum occasio peccatorum materialium consurgat. Hanc quæstionem fusius expendimus in tractatu de Pœnitentia, n. 353-355.

910. III ANNI DISCRETIONIS MORALITER SUMENDI. Concilium dixit consulto *ad annos discretionis*, non vero ad *annum* discretionis, quia præceptum sumendum est moraliter, nec ictu oculi obligat illa die, vel mense, vel forte etiam anno quo ratio hominis efflorescit. Quamvis utrumque confessionis et communionis congeminet præceptum Ecclesia, attamen prius homo astringitur præcepto confessionis, quam præcepto communionis paschalis; verba enim legis sunt accommodate intelligenda, juxta genus materiæ. Porro est magnum discrimen inter utrumque sacramentum; si-

quidem Pœnitentia magis est necessaria, et, ex hac parte, est anticipanda; Eucharistia vero est longe dignior, et ideo ad illius usum maturior ætas expectanda est, ut possit suscipiens conveniente devotione accedere, et graviori judicio inter hunc et alios communes cibos discernere. Quod implicite insinuavit Concilium, dum confessionem absolute præcepit, communionem vero cum quodam ordine ad prudens judicium confessoris.

911. IV. Ætas qua facienda est prima communio. Omnes conveniunt, non posse generaliter definiri hanc obligationem per numerum annorum, quia non omnes eodem ætatis anno perfectum usum rationis adipiscuntur. Unde Catechismus Romanus, 2 p. cap. 4, n. 63 : « Qua vero ætate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata ; ad illos enim pertinet explorare et a pueris percunctari an hujus admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint, et gustum habeant. » Attamen juxta regulam generalem consuetudine firmatam, prima communio non debet fieri ante nonum annum, neque ultra decimum quartum protrahi. Benedictus XIV, constit. *Etsi minime*, 7 febr. 1742, ita habet § 9 : « Ad sacram Eucharistiam et Confirmationem admitti plures postulant (pueri) : pauci enim enixam hanc voluntatem ac fere impatiens studium non præ se ferunt. Moneat igitur Episcopus parochos, eisque districte præcipiat, ne quis eorum sacrum Eucharistiæ sacramentum administret, et *schedulam*, ut aiunt, Confirmationis iis tradat qui graviora fidei et doctrinæ capita et sacramenti virtutem et vim ignorant ; vel quia parum in hoc tirocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire quæ ad hujusmodi sacramenta pie riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt. »

SECTIO III

QUANDONAM OBLIGET HOC PRÆCEPTUM ?

912. I. Obligat tempore Paschæ. Ex ipsis verbis decreti et consuetudine universali Ecclesiæ, ut quis satisfaciat præcepto, debet communicare, ad minus, in Pascha. Unde ille qui sive devotionis causa, sive ad Viaticum sumendum, communicasset vigilia Palmarum, vel paucis antea diebus, non satisfecisset præcepto. Quapropter Rituale Romanum de munere parochi quoad communionem paschalem, ita habet : « Ægrotis quoque paro-

chialibus, etiamsi communionem extra præscriptos Paschatis dies sumpserint, in paschalibus diebus illam deferet ac ministrabit. »

« Ratio autem hujus determinationis fuit, et ut tempus esset magis determinatum et certum, et quia eo tempore videntur esse fideles magis dispositi et devoti ad hoc sacramentum recipiendum, et quia eo tempore institutum et celebratum fuit hoc mysterium nostraque redemptio consummata. » Suarez, in 3, disp. 70, sect. 2, n. 2.

913. II. Quid sit tempus paschale. Quiquid id est de vi nominis Paschæ, certum est, ex consuetudine Ecclesiæ, et constitutione Eugenii IV *Fide digna* (an. 1440), tempus Paschæ, ad satisfaciendum præcepto communionis, complecti totum tempus a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive. Imo in aliquibus locis extenditur a principio Quadragesimæ usque ad decimam quartam diem post Pascha. In hoc Ecclesia multum impertivit Episcopi dispensationi, adeo ut ipse, vel anticipare, vel protrahere valeat tempus paschale, prout fidelium utilitas et pastorum commodum videtur expostulare. Apud nos tempus paschale, ad implendum præceptum communionis, extenditur a dominica Passionis usque ad secundam dominicam post Pascha inclusive. Ut anticipetur vel protrahatur illud tempus, requiritur, singulis annis, peculiaris facultas, pro singulis parœciis, ne jus commune evertatur.

914. Pro singulis autem pœnitentibus, Lateranense IV concessit ipsimet confessario et parocho facultatem differendi communionem paschalem ad aliud tempus, ob aliqualem rationabilem causam. Tempus autem præfixum a proprio sacerdote si prosiliat culpabiliter fidelis, certe peccat mortaliter, quia tum verbis Concilii, tum Ecclesiæ praxi, tum consensu unanimi doctorum constat, circumstantiam temporis obligare sub gravi.

SECTIO IV

IN QUONAM LOCO FACIENDA SIT COMMUNIO PASCHALIS ?

915. I. Regula generalis. « Quod pertinet ad communionem paschalem, quæ ab unoquoque catholico Paschatis tempore recipienda est, ex præscripto tum decreti concilii Lateranensis, in cap. *Omnis utriusque sexus*, *De pœnitentiis et remissionibus*,

tum concilii Tridentini, sess. 13, cap. 8, can. 9, nemo est qui ignoret, præceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii episcopi vel parochi licentia, secundum varias diœcesum consuetudines. » Benedict. XIV, constit. *Magno cum animi*, § 21, die 2 junii 1751.

916. Unde qui sine parochi, vel episcopi, vel vicarii generalis licentia expressa, aut rationabiliter præsumpta, communicaret, tempore Paschatis, extra parochialem ecclesiam, non adimpleret Ecclesiæ præceptum. Quod aliunde declaravit Benedict. XIV, in eadem constit. § 22, dicens, excepto die ipso Paschæ, « posse quidem regulares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra Eucharistia reficere ; hac tamen conditione ut communione referti scirent, non ideo se a præcepto illo exemptos esse, ut paschalem in propria parochiali ecclesia communionem recipere deberent. »

917. Litigant autem theologi an omnis fidelis diœcesis illud præceptum adimpleat communicando in ecclesia cathedrali. In primis, quidquid Bonacina, et alii in contrarium dicant, certum est, non satisfacere præcepto, nisi vigeat consuetudo quæ haberi possit tanquam consensus parochi vel episcopi ; nam, nec ex jure, neque ex consuetudine, ecclesia cathedralis habetur ut communis ecclesia parochialis. Quid vero, si ipse Episcopus aut vicarius generalis distribuat communionem in cathedrali ecclesia? Si ex consuetudine, vel ex circumstantiis præsumitur rationabiliter consensus ac licentia Epicospi, non est difficultas, ut patet ; secus, tanquam probabilius teneo, præceptum non adimpleri, quia nemo habet duas parochiales ecclesias ; ecclesia autem parochialis in qua oportet communionem paschalem facere, est ecclesia fidelis, non vero ecclesia sacerdotis qui Eucharistiam dispensat. Unde Benedict. XIV declaravit, illud præceptum non impleri, nisi « in propria parochiali ecclesia » ; ecclesia cathedralis, etiam quando in ipsa Episcopus vel vicarius generalis sacramenta ministrat, non potest dici *propria* parochialis ecclesia omnium diœcesanorum. Attamen Ferraris, verbo *Canonicatus*, art. 8, n. 2, et quidam alii contendunt, ecclesiam cathedralem, dum in ipsa Episcopus sacramenta ministrat, esse parochialem, quia ipse est parochus communis, cujus parochia est tota diœcesis.

918. II. Exceptiones vi consuetudinis introductæ. 1° Sacerdos

celebrans ubicumque adimplet præceptum Lateranense; si autem non celebrat intra paschale tempus, tenetur, sicut fideles, communicare in propria sua parochiali ecclesia.

919. 2° « Non eximuntur ab obligatione paschalis communionis in parochia famuli monasteriorum, nisi vivant intra ipsam clausuram, et sub obedientia prælatorum regularium. Et huic conformia esse refert Benedict. XIV plura decreta S. C., et signanter illud editum 22 nov. 1721, ubi dictum fuit, teneri recipere communionem in parochia famulos monialium degentes in domibus sitis in atriis monasteriorum, muro circumvallatis, quæ sunt contigua monasteriis, cum janua quæ clauditur. Sed, hoc non obstante, refert Croix, l. VI, part. I, n. 625, Societati Jesu expressum privilegium concessum fuisse, ut famuli domestici, intra septa religiosa habitantes, possint satisfacere communioni paschali communicando in templis Societatis. Sed, notat ibi P. Zacharia, pluries decrevisse S. C., hoc privilegium non extendi ad alias religiones. » S. Alphons., lib. VI, n. 240.

920. 3° Ex consuetudine communiter in Galliis vigente, juventus congregata, sive in seminariis, sive in collegiis, sive in aliis domibus, ut erudiatur atque educetur, pueri et seniores in hospitiis viventes, sorores Charitatis, S. Josephi, uno verbo, omnes cœtus qui in aliquo degunt collegio, sub peculiari regula, necnon magistri et magistræ illorum cœtuum, præceptum communionis paschalis possunt in suis sacellis adimplere. Sed hæc concessio non facta est pro famulis externis et illis qui non pertinent ad communitatem.

921. 4° Eximuntur peregrini et vagi qui parochiam non habent, et etiam hi omnes qui a sua parochia absunt, nec possunt sine aliquo incommodo ad illam regredi, ut communicent in ipsa tempore paschali. Tunc possunt eligere ecclesiam quamlibet, prout judicaverint: ideo non tenentur communicare in parochia in qua transeunter commorantur. Sed possunt in quacumque alia, aut ejusdem loci, aut alterius, adimplere præceptum; non sunt enim de parochia in qua transeunter commorantur, et inde non sunt adstricti lege loci, quæ, utpote odiosa, stricte sumenda est. Sic peregrinus qui Camberii hospitaretur in parochia sancti Petri, valide ac licite posset adimplere præceptum in parochia sancti Francisci. Ita Sanchez, Salmanticenses, S. Alphonsus, etc., contra Tournely et alios.

SECTIO V

PER QUAMNAM COMMUNIONEM IMPLEATUR PRÆCEPTUM ?

922. I. Sententia olim communis et falsa. Suarez, in 3, disp. 70, sect. 3, De Lugo, *De Euchar.*, disp. 16, sect. 4, n. 82 et seq., et alii plures quos ibidem citant, dixerunt, posse adimpleri præceptum per communionem sacrilegam, quia præcepta Ecclesiæ non obligant ad finem, sed ad substantiam præcepti ; unde qui communicat indigne, satisfacit præcepto, sicut ille qui, ob pravum finem, Sacro interest die Dominica, nihilominus Ecclesiæ præcepto satisfacit. Atque hanc sententiam ut communem propugnarunt.

923. II. Doctrina catholica. At vero, si hodie viverent illi præclarissimi atque Ecclesiæ Catholicæ addictissimi auctores, prorsus in contrarium sentirent, nam Innocentius XI damnavit sequentem propositionem : « Præcepto communionis annuæ satisfacit per sacrilegam communionem. » Unde sapientius alii, etsi pauciores, qui jam ante Innocentium XI scripserant, oppositam fulciverant doctrinam ; inter quos Durandus, Capreolus, Dionysius Cisterciensis, Gonet, Sylvius, etc.

924. *Primo* enim Ecclesia præcipit manducationem quam ipse Christus præcepit. Porro Christus dignam præcepit manducationem, ut patet *Joan.* 6, et I *Cor.* 11 ; et ex se evidens est. — *Secundo*, jure naturali tenemur ad sumendum materialem cibum, non quemlibet, sed qui aptus est ad vitam corporalem servandam ; unde huic præcepto nemo satisfacit per veneni sumptionem, sed potius ipsi adversatur. Ergo a fortiori, etc. — *Tertio*, eadem videtur esse ratio de præcepto communionis quam de præcepto confessionis. Porro Alexander VII oppositam sententiam, quoad confessionem, damnavit uti temerariam et scandalosam.

925. Falso innititur fundamento sententia adversa ; etenim, licet Ecclesia non possit actus internos præcipere primario et directe, potest saltem secundario et indirecte, inquantum actus interior necessarius est, ut actus exterior sit bonus ; sic in cap. *Dolentes, De celebrat. Missarum*, Ecclesia jubet ut confessio quotannis fiat *fideliter*, et officium divinum *studiose* ac *devote* a clericis celebretur. Deinde fieri potest ut legislator finem intendat tanquam ad substantiam præcepti pertinentem, sicut osten-

ditur in tractatu de legibus ; unde ruinosum est illud fundamentum. Tandem communio digna, non præcise ad finem præcepti, sed potius ad modum quo impleri debeat, pertinet. Porro nihil prohibet quominus Ecclesia præscribat modum adimplendi ; et de facto sat expresse significat, hunc modum comprehendi in præcepto, concilium Lateranense, dum dicit : *Suscipiens reverenter*. Unde S. Aug., *Tract.* 26 in *Joan.* : « Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit. Et cum accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. »

SECTIO VI

EXCUTIUNTUR DUO DUBIA

Quæritur 1° an qui prævidet, se impediendum fore ne in Paschate communicet, teneatur tempus præscriptum prævenire?

926. I^a^ Sententia. Negant multi cum Suarez, quia nemo obligatur ad anticipandum actum qui præcipitur, nisi per talem actum possit satisfacere obligationi præcepti ; lex enim non obligat, nisi ut impleatur. Atqui per communionem anticipatam non impletur obligatio hujus præcepti ; siquidem qui in eo casu anticipasset communionem, si postea tempore paschali jam ablatum esset impedimentum, teneretur iterum communicare. Ergo.

Nec jure objici potest quod de consilio sui confessoris vel pastoris valeat anticipare, sicut procrastinare potest communionem paschalem ; nam in decreto Lateranensi datur confessori vel pastori facultas postponendi obligationem, quia jam supponit præsens impedimentum de quo certo constare potest ; sed non est simile respectu anticipationis ; unde illius nullam mentionem fecit Concilium.

927. II^a^ Sententia. Alii etiam multi cum De Lugo, Gonet, etc., affirmant, si prævideat quod, nec tempore paschali, nec reliqua anni parte, communicare possit. Ratio est, quia in Lateranensi decreto duo virtualiter traduntur præcepta, nimirum primo, ut fiat communio in anno, secundo, ut fiat *ad minus* in Pascha, quia illud tempus est convenientissimum. Ideo jubetur communicare in anno, et jubetur communicare in Pascha ; quocirca, si fiat communio in Pascha, utrumque adimpletur, sicut si festum de præcepto et Dominica coinci-

dant, utrique satisfacit qui una vice interest Missæ. Et ob hanc rationem Concilium dixit *ad minus in Pascha*. Quapropter, vi posterioris præcepti, utique nemo tenetur anticipare, quum respiciat tempus determinatum ; bene autem tenetur vi prioris, quia ad illud implendum conceditur totus annus. Unde sicut, vi posterioris præcepti, qui prævidet, se non fore valiturum communicare ultimis diebus temporis paschalis, tenetur communicare primis ; ita, vi prioris præcepti, qui prævidet, se non fore valiturum communicare in ultima anni parte, tenetur communicare in prima. Deinde probabile est, jus divinum, quod Ecclesia interpretata est, obligare ad communicandum semel in anno ; et quum illud jus abstrahat a determinando tempore, ideo unusquisque tenetur ad communicandum quando potest, si prævideat, se postea non posse amplius.

928. III^a^ Sententia. Sed, ut recte advertit S. Alphonsus, lib. VI, n. 298, hæc quæstio valde pendet a modo juxta quem computandus est annus obligationis annuæ communionis. De Lugo et Gonet consequenter ratiocinantur, si ille annus, ut volunt, incipiat a januario et in decembre mense claudatur. At vero annus ecclesiasticus, in ordine ad præceptum communionis annuæ, computatur communiter a Pascha ad Pascham ; ita enim fert consuetudo undique recepta. Unde qui adimplevit præceptum intra tempus quod exorsum est ab ultimi Paschatis prima die, non obligabitur iterum eodem præcepto, nisi ineunte novo Paschate : quo inito, si prævideat, se non posse in futurum adimplere præceptum, tenetur adimplere quam primum, ut communiter docent theologi, et ipsemet Suarez.

Quæritur 2° an qui tempore paschali communionem omisit culpabiliter, aut versatus fuit in impossibilitate communicandi, teneatur communicare, transacto tempore paschali?

929. I^a^ Sententia. Negant Sotus, Sylvester, Medina, S. Antoninus et alii graves auctores, qui hoc præceptum assimilant præcepto jejunii, vel audiendi Missam, quod, effluxo tempore præscripto, non amplius obligat, licet peccaverit qui culpabiliter illud prætermisit. Præceptum communionis esse tempori paschali affixum, patet ex ipsismet Lateranensis et Tridentini concilii verbis : *Ad minus in Pascha : Saltem in Paschate*. Voces *singulis annis* adduntur ut significetur, non sufficere commu-

nionem factam in uno, vel altero Paschate, sed requiri ut fiat singulis paschis. Præceptum enim illud est positivum et recenseatur inter leges quas legisperiti appellant odiosas; idcirco strictissime intelligendum est. Deinde concilium Lateranense reponit discrimen inter confessionis et communionis præcepta; in illo enim dicitur, confessionem faciendam esse semel in anno, in hoc autem, communionem esse faciendam in Paschate. Quod sapientissime factum est, quum enim confessio magis est necessaria, et multi homines sæpe in mortalia labuntur peccata, opportunius fuit non determinare tempus annuæ confessionis, qua summopere possunt homines quotidie indigere; dum communio non est necessaria statim ac peccatum fuit deletum per absolutionem. Tandem hic faciunt etiam incommoda; alias enim qui non suppleret, si posset, « multa mortalia committeret faciendo contra unum præceptum, et sic Ecclesia laqueos injiceret animabus. » S. Antoninus, 2 part., titul. 9, cap. 9, § 3. Unde si quis confiteatur, se culpabiliter omisisse paschalem communionem, bene inquiri solet ab ipso quoties omiserit, non vero quoties potuerit adimplere præceptum quod prætermisit. Sane plerique eorum qui paschalem communionem omittunt, possent fere singulis anni diebus communicare, et ideo tot mortalia peccata committerent, quot defluunt hujusmodi dies : porro hoc videtur nimis durum; ergo.

Quoad præceptum divinum, licet communius teneant theologi quod obligat pluries in vita, negari potest, illud obligare quotannis; idcirco obligatio communicandi singulis annis est mere ecclesiastica; sicut datur quidem præceptum divinum pluries Deo persolvendi cultum publicum, sed obligatio Missam audiendi in Dominica, prout præscripsit Ecclesia, est tantum de jure ecclesiastico. Unde S. Alphonsus, qui lib. VI, n. 297, oppositam amplectitur sententiam, valde commovetur illis rationibus : « Apud auctores secundæ sententiæ neminem reperi qui huic paritati adæquate respondet; unde hanc tertiam sententiam non contemnendam puto, saltem quia ex neutro præcepto, divino ac ecclesiastico, constat hæc obligatio communicandi, transacto tempore paschali. »

930. II[a] Sententia. Armilla, Tabiena et alii pauciores distinguunt inter communionem ex culpa, et communionem ex impotentia omissam. Qui versatur in posteriori casu, tenetur quam-

primum communicare, quia lex ipsa dat confessori facultatem differendi tempus paschale, quando expedire judicarit; tunc non tollitur, sed differtur obligatio. Qui autem versatur in priori casu, non amplius tenetur communicare, propter rationes adductas ad primam sententiam fulciendam. Sed optime illos theologos sic coarguit Suarez: « Per se incredibile est, voluisse legislatorem in hoc præcepto ut non statim extingueretur obligatio, si differretur, quando propter justum impedimentum non potest in Paschate communicari, et tamen non multo magis voluisse, ut, quacumque ratione vel temeritate omitteretur, non extingueretur statim obligatio, sed permaneret, semperque urgeret, donec impleretur. » In 3, disp. 70, sect. 2.

931. III[a] Sententia. Suarez, Vasquez, De Lugo, Gonet, La Croix, Benedict. XIV, et alii plures quos citat et sequitur S. Alphonsus., lib. VI, n. 297, affirmant absolute, urgere præceptum toto anno. Et hæc sententia mihi videtur certa. *Primo*, ratio fundamentalis est, quia illud præceptum communionis faciendæ est virtualiter duplex; imponit enim obligationem communicandi singulis annis, et præterea imponit obligationem communicandi in Paschate; cui duplici obligationi quis satisfacere potest per unam communionem, dummodo tamen hæc communio fiat tempore Paschæ. Si enim Concilia unam et solam imposuissent obligationem communicandi in Paschate, nec imposuissent obligationem communicandi in anno, certe non dixissent *ad minus in Pascha : Saltem in Paschate ;* sed dixissent : *Singulis annis in Pascha.* Concilia ideo præscribunt communicare singulis annis, et communicare in Pascha; fidelis qui communicat in Pascha, duplici obligationi satisfacit, quia tempus paschale inchoat annum; sed duplici obligationi satisfacit per id quod est minimum et strictissimum. Transacto igitur tempore paschali, extinguitur obligatio communionis paschalis, neutiquam vero obligatio communionis annuæ. Ecclesia assignavit tempus paschale, non ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam : unde quandiu obligatio jam contracta nondum impleta est, debet impleri postea; sicut ille qui a judice adigitur sub mulctæ pœna ad solvendum debitum aliquod infra quindecim dies, non ideo eximitur a debito solvendo, si illud non solverit per quindenam, licet mulctam persolvat.

Secundo, discriminis repositi inter præceptum confessionis

annuæ et præceptum communionis paschalis ratio sat patet, præcise ex eo quod magis necessarium est Pœnitentiæ sacramentum. Deinde rationes pro circumstantia temporis non æque pollent pro confessione, sicut pro communione, quæ debet fieri ad Pascham christianam celebrandam. Nec ideo Ecclesia injecit laqueos, sed potius benignissime indulsit; quum fidelis duplici obligationi satisfacere possit per unam communionem tempore paschali factam; potuisset enim, sicut fecerat antea, præscribere communionem faciendam pluries in anno, et quidem determinando circumstantias, ita ut communio facta in Paschate non satis fuisset ad præceptum adæquate adimplendum; sic S. Fabianus uno et eodem præcepto imposuerat obligationem communicandi singulis annis, die Natalis Domini, die Paschatis, et die Pentecostes. A pœnitente vero qui confitetur, se non fecisse communionem paschalem, communiter non inquiritur, utrum communicaverit necne in cæteris anni partibus, quia ex communi agendi ratione, infertur, nec communicasse in cæteris anni partibus; qui enim communicarunt in illis partibus anni, sponte sua hanc circumstantiam aperiunt, ut minuant culpam suam. Si autem per accidens confessor, pro variis circumstantiis, moveretur dubio aliquo, teneretur interrogare.

Tertio, nec occurrunt incommoda quæ objicit S. Antoninus, quia præceptum communionis annuæ, quum sit virtualiter distinctum a præcepto communionis paschalis, ipsum solum obligat adhuc, transacto tempore paschali. Porro obligat ad communicandum semel in anno, non autem tali die, vel tali mense. Ideo ad illud implendum remanet totus annus inchoatus, et dummodo impleatur illo anno, etiamsi ultima illius die, prorsus adimpletur debito tempore; sicut præceptum communionis paschalis impletur per communionem factam ultima die temporis paschalis. Quapropter, omissa communione tempore Paschatis, remanet quidem obligatio communicandi ante expletum annum, sed non statim post Pascha; et consequenter non sunt tot peccata, quot sunt dies quibus peccator potuisset præcepto satisfacere. Hoc enim præceptum est *virtualiter* negativum, quatenus includit prohibitionem non differendi ultra annum susceptionem Sacramenti.

ARTICULUS V.

DE FREQUENTI COMMUNIONE

PARAGRAPHUS I

DE CATHOLICA DOCTRINA CIRCA FREQUENTEM COMMUNIONEM.

932. Exponitur triplex error. 1° Quidam hæretici, de quibus, tacito nomine, loquitur Suarez, in 3, disp. 69, sect. 3, n. 9, docuerunt, christianum teneri ad communicandum, quotiescumque Missæ assistit. *Primo* quidem, quia Christus, in ultima Cœna, omnibus astantibus communionem porrexit: unde S. Chrysost., *Hom.* 61 *ad populum:* « O consuetudinem! o præsumptionem! Sacrificium frustra quotidianum! incassum assistimus altari, nullus qui communicet. Omnis qui mysteriorum participatione non fruitur, impudens et procax est, si adstat. » — *Secundo*, quia ille qui Missam audit, ad Sacrificium concurrit ut offerens; ergo debet etiam concurrere ut participans, alioqui, ex parte sua, non consummat Sacrificium. Ideo hæc obligatio dicitur oriri, non ex præcisa ratione communionis, sed ex ratione Sacrificii. — *Tertio*, favet antiqua consuetudo, qua hoc legimus observatum, sicut ex antiquis liturgiis constat, et in nostra, ante ultimas orationes, est versiculus appellatus *Communio*, qui olim cantari solebat dum populus communicaret. Eademque consuetudo sumitur ex S. Clemente I, lib. II *Const. Apost.*, cap. 37, et VIII, cap. 20, et ex S. Dionys., *De Eccles. hierarchia*, cap. 2: et (quod maxime urget) S. Anacletus Papa, *Epist.* 1, quæ habetur in cap. *Episcopus*, *De Consecrat.*, distinct. 1, significat, hoc fuisse præceptum apostolicum: « Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus; sic enim et Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia. »

933. 2° Petrus Vincentius de Marzilla ordinis S. Benedicti et, sæculo XVII, theologiæ professor apud Compostellanos, docuit, fideles, non quidem teneri, sed tamen posse omnes quotidie communicare, dummodo sint a peccato mortali immunes. Quia vero jus habent ad quotidianam communionem, neutiquam in hoc pendent a confessario vel quovis alio. Quam doctrinam, mortuo Marzilla, amplexus est atque vehementer propugnavit

F. Maurus de Valderas; ei tamen miscuit aliquod temperamentum; nam pro rudibus qui difficile lethalia a venialibus discriminant peccata, confessarii licentiam exigebat. Cujus sententiæ præcipua fundamenta desumuntur ex Patrum verbis ubique quotidianam communionem suadentium, ex usu primariæ Ecclesiæ, ex desiderio vehementi C. Tridentini, ex fructu Sacramenti, quem omnes justi percipiunt ex opere operato, denique ex eo quod S. Paulus, ut quis digne accedat, solum a peccato mortali immunitatem prærequirit.

935. Illam doctrinam in Gallias invexit P. Pichon, in opere. L'*esprit de J.-C. et de l'Eglise sur la fréquente communion* (1745); quam tamen laudabiliter abjecit, postquam a multis Galliarum episcopis damnata fuerit.

935. 3° In errorem plane oppositum corruere Jansenistæ, qui turpiter de bonitate ac charitate Dei sapientes, omnia moliti sunt, ut a sacra mensa fideles averterent, et Jesum Christum, fontem aquæ salientis in vitam æternam, fucato timore et cultu circumvallarent. Adeo enim eximias ad communionem prærequirebant dispositiones, ut ne Beata Virgo quidem potuerit ad eam accedere; nam requirebant condignas dispositiones, quarum Christus ipse solus fuit capax; quippe solus Deus potest condigne Deum recipere. Primarius hujus pestiferæ hæresis fons et auctor fuit prorsus venenosus Serpens antiquus, qui homicida fuit ab initio; sed, ad illam diffundendam, usus est tanquam aptissimo instrumento jansenista Antonio Arnaldo, qui eo fine edidit (1643) librum *De la fréquente communion*, cui rectius præfigeretur titulus: *Contre la fréquente communion*. Virus illius diabolicæ fraudis, non tantum Galliam pervasit, sed veluti zizania fere in omnem Ecclesiæ agrum grassatum est, et ita quasdam mentes infecit, ut moniales Portus Regalis, causa majoris reverentiæ erga SS. Sacramentum, communionem annuam atque paschalem prætermiserint.

PROPOSITIO I.

Nullum est præceptum obligans fideles ad communionem faciendam quoties Missæ intersunt.

936. Prob. 1° *Praxi Ecclesiæ*. Certum est, Ecclesiam a multis retro sæculis, nec obligare fideles ad communicandum singulis

missis, nec condemnare eos qui non ita communicant, sed eos habere tanquam immunes a peccato. Porro, si esset præceptum obligans ad communionem in singulis missis faciendam, Ecclesia naufragasset in fide, et amplius non fuisset sancta et immaculata Christi sponsa; siquidem non solum non eradicasset pessimum errorem, sed etiam illum confirmasset.

937. 2° *Conciliis.* Concilia, signanter Lateranense IV, et Tridentinum, una cum Pontificibus Romanis, quorum decreta retulimus supra (905 et 906), aperte supponunt, non esse obligationem hujusmodi, atque, disciplinam temperando, induxissent fideles in errorem, si esset aliquod præceptum, saltem divinum, quod supponunt adversarii.

Sed præterea conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 6, dixit: « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, etc. » Et can. 8: « Si quis dixerit, missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: anathema sit. »

938. 3° *Ruina fundamentorum adversariorum. Primo*, licet Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, non tamen dixit: *Hæc omnia singillatim facite;* neque eodem modo quoad omnes circumstantias tum extrinsecas, tum accidentarias, cæteroquin non liceret Missam celebrare, nisi coram duodecim, et omnibus communicantibus; item oporteret omnes adstantes consecrare in sacerdotes, semper hora nocturna celebrare, etc. Est sane hic dicendi locus: *Littera occidit, spiritus vivificat.*

Secundo, adstantes utique offerunt, non per se, sed ministerio sacerdotis; ideo satis est quod ipse etiam sacerdos Sacrificium consummet, populus autem spiritualiter participet, sicut et offert.

Tertio, si forte universalis fuerit ab Ecclesiæ incunabulis consuetudo communicandi quotidie, atque vim præcepti habuerit (quod valde dubium est), illud præceptum erat prorsus humanum; et inde contraria praxi, præsertim Ecclesiæ auctoritate, aboleri potuit. Prædicta verba S. Chrysostomi quæ objiciuntur, præclarus Doctor more concionatorio protulit, ut facile patet ex contextu et aliis locis, necnon illius agendi ratione erga fideles quos pascebat.

Quarto, probabilius est, decretum S. Anacleti respexisse solos

clericos in ordinibus constitutos, et quidem altari ministrantes, sicut patet textu citato et contextu; nam de illis specialiter loquebatur in epistola prima, et canon Apostolorum quem adduxit, ita fert: « Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicaverit, aut causam dicat, ut, si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut, si non dixerit, communione privetur. » Aliunde iste canon et alii hujusmodi, si forte olim habuerint vim præcepti, abrogati sunt, tum per consuetudinem contrariam, tum per auctoritatem Ecclesiæ, quæ non minus pollet ad legem abrogandam, quam ad illam ferendam.

PROPOSITIO II

Frequens communio ex se optima atque valde utilis est.

939. Prob. 1° *SS. Patribus.* Hæc est adeo unanimis et notissima Patrum doctrina, ut Marzilla ejusque asseclæ confidenter asseruerint pro sua sententia facere Patres. S. Ignatius Martyr, *Epist. ad Ephesios:* « Date operam, ut frequentius congregemini ad Eucharistiam. » — S. Ambros., V *De Sacram.* 4: « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Quotidie accipe, ut quotidie tibi prosit; sic vive, ut quotidie merearis accipere. » Alia testimonia videre est apud Suarez, in 3, disp. 69, sect. 4.

940. 2° *Concilio Tridentino.* Sess. 13, cap. 8, postquam triplicem communicandi modum descripserit, ita habet eloquentia quasi divina, qua nihil urgentius simul et suavius: « Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc veritatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ac pietate et cultu credant et reverentur, ut panem illum supersubstantialem *frequenter* suscipere possint. » Et sess. 22, cap. 6: « Optaret quidem sacrosanta Synodus, ut in *singulis missis* fide-

les adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi Sacrificii fructus uberior proveniret. » — Unde Congregatio Cardinalium declaravit, an. 1587, obstare concilio Tridentino episcopos qui prohibent laicis etiam conjugatis accedere ad sacram mensam, nisi diebus Dominicis, quarta et sexta feria.

941. 3° *Summis Pontificibus.* Innocentius XI, 12 febr. 1679, ita decrevit : « In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacræ communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut parochos, seu confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne, pro devotionis et præparationis modo, rarius, aut crebrius Dominici corporis suavitatem degustet. Itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. — Proderit etiam, præter parochorum et confessariorum diligentiam, opera quoque concionatorum uti, et unum eis constitutum haberi, ut, cum fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderent, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant; generatimque ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem, devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini judicii formidine, discant cœlestem mensam in qua Christus est, revereri, et, si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. »

Benedictus XIV, in constitutione *Certiores*, 13 novemb. 1742, postquam adduxerit praxim Ecclesiæ primariæ et verba concilii Tridentini pro frequenti communione, subdit : « Utinam autem eo ipso christianæ pietatis fervore, quo primorum sæculorum fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homi-

nes inflammati, avide ad publicam sacram mensam advolare, sanctorumque mysteriorum solemnitati non adesse tantum, sed religiose eorumdem participationem exoptare conspicerentur. Nulla certe res est, qua utilius episcopi, parochi, confessarii studium suum omne impendere valeant, quam in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad sacram mensam accessu, et non spirituali tantum, sed sacramentali participatione illa Sacrificii, quod a sacerdote, tanquam publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro ipsis et ipsorum nomine offertur. »

942. 4° *Ecclesiæ pristinæ praxi.* Primis Ecclesiæ sæculis, et quidem ab illius cunabulis, in usu fuit quotidiana communio, quia illo tempore totus pusillus grex Christi erat *cor unum et anima una.* Quod non solum Patrum, Conciliorum et Pontificum Romanorum confessione, sed etiam S. Scriptura constat; nam, *Act.* 2, legitur : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus*, id est, Eucharistiæ, ut omnes exponunt Patres, qui etiam intelligunt, communionem fuisse quotidianam, sicut orationem et doctrinam.

943. 5° *Ratione. Primo, ex natura ipsa sumptionis.* « Communicare digne per se bonum est; abstinere vero solum bonum est per accidens, vel ex defectu dispostionis, vel ut homo ad reverentiam excitetur. Sed bonum per se præferendum, ex genere suo, est bono per accidens. » Suarez, in 3, disp. 69, sect. 4.

944. *Secundo, ex præstantia charitatis super timorem.* « Reverentia hujus sacramenti habet timorem amori conjunctum; unde timor reverentiæ ad Deum dicitur timor filialis..... Ex amore enim provocatur desiderium sumendi; ex timore autem consurgit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur. Unde August. (*Epist.* 118, cap. 3) : Si dixerit quispiam, non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius contra, faciat unusquisque quod, secundum fidem suam, pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter se Zachæus et ille Centurio, cum alter eorum gaudens sucepit Dominum, alter dixit : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum;* ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo. Amor tamen et spes ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferun-

tur timori. Unde et cum Petrus dixisset : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*, respondit Jesus : *Noli timere.* » 3 p. q. 80, a. 10, o.

945. *Tertio , ex fine Sacramenti.* Eo fine Christus Eucharistiam instituit, ut divitias sui amoris erga nos effunderet, faciliusque ignem in terram mitteret, quo accendatur : vel etiam posuit Eucharistiam in Ecclesia tanquam fontem aquæ salientis in vitam æternam, ex quo hauriant abundantius homines, et veluti omnes perfundantur, sicut hortus voluptatis quatuor magnis fluminibus totus irrigabatur, etc. Porro ex se potius est uti thesauro, quam illum recondere ; admovere corda igni amoris divini, ut accendantur, quam procul illa sistere ; haurire aquam ex fonte, potissimum si immensus sit et nullatenus exhauriri possit, quam illum veluti obsignatum relinquere. Ergo.

946. *Confirmatur.* Imo ille usus non tantum ex se potior est, sed etiam magis confert ad reverentiam Sacramento debitam, sicut usus thesauri, ignis, fontis, magis condecorat illum, quam sepelitum condere ; nam qui accedit ad sacram mensam, reverentiam exhibet per actum positivum, dum ille qui abstinet, per actum negativum SS. Sacramento persolvit reverentiam. Porro actus negativus ex se imperfectior est actu positivo. Ergo. « Qui communicat, cæteris paribus, excedit alium in fructu Sacramenti ex opere operato; potest autem facile in aliis esse æqualitas, quia voluntas communicandi digne, ex se, non est minus bona et meritoria, quam affectus abstinendi etiam ex reverentia ; ergo, ex suo genere, illud est eligibilius. Si propter aliquid est interdum probanda abstinentia hujus cibi, maxime propter conservandam vel concipiendam reverentiam seu devotionem ; sed ad hoc ipsum non minus juvat ipse frequens usus, si prudenter fiat, et mediocri diligentia adhibita ; nam et bona consuetudo juvat ad similes actus melius exercendos, et efficacia etiam sacramenti multum confert; ergo simpliciter et generatim loquendo favendum est potius frequentiæ quam dilationi. » Suarez, in 3, disp. 69, sect. 4, n. 6.

Juvat etiam audire nostrum Salesium : « Si les mondains vous demandent : Pourquoi communiez-vous si souvent? Dites-leur que c'est pour apprendre à aimer Dieu, pour vous purifier de vos imperfections, pour vous délivrer de vos misères, pour vous

consoler en vos afflictions, pour vous appuyer en vos faiblesses. Dites-leur que deux sortes de gens doivent souvent communier : les parfaits, parce qu'étant bien disposés, ils auraient grand tort de ne point s'approcher de la source et fontaine de perfection ; et les imparfaits, afin de pouvoir justement prétendre à la perfection : les forts, afin qu'ils ne deviennent faibles, et les faibles, afin qu'ils deviennent forts : les malades, afin d'être guéris, les sains, afin qu'ils ne tombent en maladie ; et que pour vous, comme imparfait, faible et malade, vous avez besoin de souvent communiquer avec votre perfection, votre force et votre médecin. Dites-leur que ceux qui n'ont pas beaucoup d'affaires mondaines, doivent souvent communier, parce qu'ils en ont la commodité ; et ceux qui ont beaucoup d'affaires mondaines, parce qu'ils en ont nécessité ; et que celui qui travaille beaucoup et qui est chargé de peines doit aussi manger les viandes solides, et souvent. Dites-leur que vous recevez le Saint-Sacrement, pour apprendre à le bien recevoir, parce que l'on ne fait guère bien une action à laquelle on ne s'exerce pas souvent. »

« Communiez souvent, Philothée, et le plus souvent que vous pourrez, avec l'avis de votre père spirituel ; et, croyez-moi, les lièvres deviennent blancs parmi nos montagnes en hiver, parce qu'ils ne voient et ne mangent que la neige ; et à force d'adorer et manger la beauté, la bonté et la pureté même en ce divin Sacrement, vous deviendrez toute belle, toute bonne et toute pure. » *Introduction à la vie dévote*, 2 p. cap. 21.

PROPOSITIO III

Nec quotidiana, neque frequens communio expedit omnibus justis indifferenter, cujuscumque status et vitæ sint.

947. Prob. 1° *SS Patribus.* S. Ambros., in oratione ante Missam : « Quanta cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animæ puritate illud divinum mysterium est celebrandum, Domine Deus, ubi caro tua in veritate sumitur ! » — S. Chrysost., *Hom.* 17, in epist. ad *Hebræos :* « Quando dicit : *Sancta sanctis*, hoc dicit : Si quis non est sanctus, non accedat ; non simpliciter dicit : A peccatis mundus, sed : *Sanctus.* Sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, sed etiam præsentia Spiritus, et bono-

rum operum opulentia. Non enim inquit : Volo a cœno vos mundos esse, sed etiam albos esse, et pulchros, etc. » — Liber *De dogmatibus ecclesiasticis*, cap. 53 : « Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo ; omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. » Alia multa testimonia reperies apud Contensonium, lib. XI, p. 2, dissert. 4, cap. 2.

948. 2° *Conciliis et Summis Pontificibus.* Vide testimonia superius adducta (940 et 941).

3° *Doctorum consensu.* D. Thomas, 3 p. q. 80. a. 10, ad quotidianam communionem requirit « magnam devotionem et reverentiam », ad quam certe non satis est immunitas a peccato mortali ; et illico addit : « Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere. » — D. Bonaventura, venerabilis Sacramenti devotissimus doctissimusque testis, postquam proposuerit (In IV, dist. 12, p. 2, q. 2) rationes pro utraque parte, ita concludit : « Si ergo quæritur utrum expediat frequentare alicui, dicendum quod, si videat, se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare ; si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum et tardum, laudandum est quod raro ; si autem medio modo, medio modo se debet habere, et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri ; aliquando accedere, ut inflammetur amore ; quia tali hospiti debetur honor, debetur et amor ; et tunc secundum illam partem secundum quam viderit, se melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo solum experientia discit. Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia intelliguntur, salva debita præparatione, quæ in paucissimis est, ut semper. » — Alia testimonia colligere est apud De Lugo, *De Euchar.*, disp. 14, sect. 2. Doctoribus scholasticis astipulantur omnes præclarissimi atque mitissimi theologi, inter quos S. Franciscus a Salesio, Suarez, S. Alphonsus.

949. 4° *Ratione. Primo, ex utilitate sumentis.* Sicut recte dicit S. Augustinus, « panis hic interioris hominis esuriem desiderat ; » unde quemadmodum vix prodest ei qui nullatenus appetit, cibus naturalis, imo sicut vegetior cibus qui frequenter infunditur in stomachum vitiosis humoribus plenum, graves morbos

efficit, ita panis supersubstantialis Eucharistiæ frequenter sumptus sine debita præparatione valde nocet. Sane experientia constat, ita generari contemptum et fastidium Eucharistiæ : quocirca S. Bonaventura dicit quod « majorem efficaciam recipit homo in una Missa vel manducatione cum bona præparatione, quam in multis, si non se præparet diligenter; » quia nimirum frequentia adimit paulatim diligentiam præparationis, et consequenter fructuum ubertatem, quæ datur pro mensura dispositionis. Præterea qui ita frequenter accedit, sese exponit periculo sumendi indigne, quia conscientiam vix admodum interrogat discutitque.

950. *Secundo, ex reverentia Sacramenti.* Optima ratio desumitur ex reverentia SS. Sacramento debita, in quo, licet Christus se totum omnesque divinissimi amoris divitias ad nostram utilitatem veluti effuderit, non eo ipso minus colendus est, sed econtra. Atqui si ratio dictitet, ad recipiendum Principem, vel Papam, in domum suam, unumquemque teneri se peculiari modo componere, et quam reverenter hospitem prosequi ; a fortiori ad hospitandum in cœnaculo cordis sui Dominum gloriæ, oportet, sin eximiarum virtutum odorem, saltem bonæ voluntatis studium, Zachæique propositum ex imo corde efflorescere. Et propter istam reverentiam, Ecclesia prohibuit bis eadem die communicare, infantibus et perpetuo amentibus Eucharistiam præbere, etc.

PROPOSITIO IV

Omnis fidelis, quoad frequentis communionis usum, tenetur sui confessarii judicio et moderamini obtemperare.

951. Prob. 1° *Scriptura. Matth.* 26, *Lucæ* 22, I *Cor.* 11 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex his verbis, supra (663) cum Tridentina synodo et tota traditione, intulimus, potestatem dispensandi Eucharistiam esse penes solos sacerdotes, et quidem ex jure divino. Sed ista jurisdictio esset prorsus vana, si illis qui ipsa potiuntur, non fuisset a Christo et Ecclesia commissa cura consulendi utilitati subditorum, et neque, post sacramentalem confessionem, opus esset judicio et moderamine confessarii, ut fidelis licite ad sacram mensam suapte accederet: Ergo. — I *Cor.* 4 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et*

dispensatores mysteriorum Dei. Potissimum Eucharistiæ dispensatores sunt sacerdotes ; ut autem sapientes fidelesque sint dispensatores, sicut eos vult esse S. Paulus et Dominus ipse, non debent dispensare nisi eis quibus Ecclesiæ minister judicaverit sapienter faciendam esse hanc dispensationem. Atqui illud judicium sapienter ac prudenter solus confessarius potest ferre. Ergo.

952. 2° *Patrum et Doctorum consensu*. Hæc est doctrina a Patribus et Doctoribus Ecclesiæ tradita, qui omnes docuere, sacerdotum munus esse oves ducere in pascua, illaque ipsis circumscribere, juxta illud Domini, *Joan*. 21 : *Pasce agnos meos*. Illa enim verba, etsi directe et primario Petro tantum dicta sint, attamen Patres ea extendunt, servata proportione, ad omnes quos S. Petri successores pastoralis curæ participes reddunt, et cooperatores mittunt in vineam Domini Sabaoth. Quod maxime verificatur ubi agitur de pinguissimo Eucharistiæ pabulo, cujus custodia commissa est sacerdoti. Ergo.

953. 3° *Conciliis*. Lateranense IV et Tridentinum largiuntur confessario potestatem differendi paschalem communionem, si id ipse judicaverit expedire ; ergo a fortiori communio, non ex præcepto, sed tantum ex devotione facienda, differri utiliter poterit aliquando ex ejusdem confessarii consilio.

954. 4° *SS. Pontificibus*. Innocentius XI et Benedictus XIV decreverunt (Vide supra, 941), usum communionis frequentis esse totum prudentiæ confessariorum remittendum.

955. 5° *Ratione*. Sive sumentis utilitas, sive Sacramenti reverentia postulat, ut frequens communio pendeat a judicio et moderamine confessarii : tum quia nemo judex in propria causa : tum quia ordo et harmonia gregis Christi hujusmodi dependentiam requirit ; si enim singulæ oves possent eligere pascua, atque pastori reluctari, omnia sus deque miscerentur. Deinde « est regula generalis apud sanctos et spirituales viros receptissima, quod, in rebus ad profectum spiritus pertinentibus, debet unusquisque patris spiritualis consilio stare, nec suo se arbitrio regere ; quod in rebus alioquin sanctis locum habet, ut in oratione, jejunio, pœnitentia, etc.; quanto magis in Eucharistia, cujus nimiam sumptionem habere aliquid periculi probatum est. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 17, sect. 3, n. 29.

Nec obstat quod aliquando confessarius decipiatur ; nam pœ-

nitens ipse non decipitur dum ei obedit qui personam Christi sustinet; atque ex obedientia uberiores gratias refertioresque fructus colliget, quam ex communione, reluctante confessario, facta, sicut patet de S. Theresia et aliis devotissimis Ecclesiæ Dei famulis.

956. Nota. *Quanta prudentia eligendus conscientiæ moderator.* Attamen Origenes, in *Psalm.* 37, sapienter advertit, confessarium esse eligendum ex millibus. Quam sententiam amplexati sunt Patres et Sancti communiter, et noster Salesius illam adeo alte in animo defixam habebat, ut dixerit, moderatorem conscientiæ esse eligendum inter decem millia. Sane, si, ad tuendam fovendamque vitam corporis, operæ pretium est non cuiquam, sed perito ac docto se credere medico; a fortiori ubi agitur de vita spirituali animæ. « Ad quod etiam facit quod refertur, I *Machab.* 4, quod cum invenisset Judas altare holocaustorum profanatum, et dubitaret de illo an utendum ipso esset ad holocausta, *incidit illis consilium bonum, et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, et responderet de eis.* Sic sane fieri debet quoties dubitatur de puritate ad frequentiam hujus sacramenti: mundare lapides, quantum fieri potest, ponere eos in loco apto et puro, ac de reliquo consulere Prophetam, Prophetam, inquam, non quemlibet sacerdotem, sed doctum et pium, qui Spiritum Dei habeat; sicut Judas noluit consulere sacerdotes quos secum habebat, sed expectare Prophetam; est enim res periculi plena, et in qua vel per excessum, vel per defectum facile decipi possumus. » De Lugo, ibid., n. 34.

PARAGRAPHUS II

DE PRÆCIPUIS REGULIS QUOAD FREQUENTEM COMMUNIONEM

I. — Regulæ pro agendi ratione concionatorum.

957. 1ª. *Nunquam deterreant a frequenti communione.* Sacerdotes, in concionibus suis, caveant sedulo, ne publice proferant, non dico concionem integram, sed nec ullum verbum quod fideles a frequentia Eucharistiæ amoveat. Nam extra cœtus religiosos, abusus, si forte irrepant, nonnisi rarissime et in paucissimis personis contingunt; quas igitur clam, maxime in confessione sacramentali, oportet admonere, neutiquam vero publice.

Reformident severi judicis sententiam sacerdotes qui, minus sapientes de vita supernaturali et Christi amore pro animabus, sed mundi ac diaboli sententiis referti, ineptis et mordacibus cavillationibus interdum ex cathedra prolatis, fideles utriusque sexus, sed præsertim mulieres Christo addictissimas arcent a frequentia Sacramenti. Meminerint, se, in hoc, imitatores esse militum qui olim a cruce Christi et ejus sepulcro plangentes sanctas mulieres deterrebant blasphemiis et armis.

« Populus, in hoc sæculo, multo magis inclinat ad raritatis quam ad frequentiæ vitium, et si frequentia reprehendatur, facile fiet ut plures suam desidiam reverentiæ velamine simulare velint. Tum etiam quia multo plura inconvenientia ex raritate nascuntur quam ex frequentia; nam, ut in plurimum, ad frequentiam non declinabunt nisi timorati et pii. Cum enim Eucharistia cibus sit carni insipidus, et pro quo carnalis homo quotidie nauseat, quantumvis frequentia prædicetur, nonnisi pauci ad quotidianam communionem accedent; facilius erit, si frequentiam reprehendas, quam plures ab hebdomaria removere. Decet ergo theologum scire quid doceat theologica veritas in hoc negotio; sermonem tamen temperare, et apud plebem in favorem frequentiæ loqui, prout sancti Patres et theologi omnes scholastici fecerunt. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 17, sect. 4, n. 48. Quod si illæ rationes pollerent pro Hispania et Italia, tempore illius præclarissimi theologi, a fortiori et pro Gallia, postquam virus jansenianum et rationalismi pestis deturparint mentes, hominesque procul a fonte et principio vitæ supernaturalis avocare summis viribus enixa sint.

958. 2ª. *Nullum limitem ex cathedra præfigant.* Parochus caveat, in concionibus, ponere limites quoad frequentiam communionis, atque in animo defixum habeat, quod, per se, nullam classem fidelium defraudare licet ab ipsamet quotidiana communione. Quippe primitus omnes fideles singulis diebus, aut saltem quotiescumque Missæ intererant, sacram synaxim faciebant. Meminerint jam citatorum Tridentini verborum igneo charitatis et misericordiæ fervore emicantium (940), quæ Catechismus Romanus, Concilii fidissimus interpres, parochis inculcat : « Quare parochi parati erunt fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant : ita etiam quotidie alendæ et nu-

triendæ animæ curam non abjiciant : neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere perspicuum est. Vehementer autem proderit hoc loco repetere maxima illa et divina beneficia, quæ, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiæ sacramentali communione consequimur. Illa etiam figura erit addenda cum singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat ; itemque sanctorum Patrum auctoritates, quæ frequentem hujus sacramenti perceptionem magnopere commendant. Neque enim unius sancti patris Augustini ea fuit sententia : *Quotidie peccas, quotidie sume;* sed, si quis diligenter attenderit, eumdem omnium Patrum qui de hoc rescripserunt, sensum fuisse, facile comperiet. » 2 p. cap. 4, n. 60.

959. Meminerint etiam doctrinæ a Pontificibus traditæ, qui episcopis ipsis denegant potestatem præfigendi limites circa frequentiam communionis. Vide n. 941. Vide etiam Benedict. XIV, *De Synodo*, VII, 12, n. 8, S. Alphons., lib. VI, n. 254, et *Praxim confess.*, cap. 9, part. 4, n. 149 et 151, ubi ita habet : « Plures sancti, qui magnam erga hoc sacramentum reverentiam habuerunt, non abstinuerunt a quotidiana communione, ut consueverunt S. Gertrudes, S. Catharina Senensis, S. Theresia, B.[1] Joanna de Chantal, et alii. Et asserentibus hodie, non amplius existere has sanctas Theresias, recte reponit P. Barisonius, temeritatem hanc esse supponere quod manus Domini sit abbreviata.» Addere mihi fas sit, quod ita sentire est inficiari, saltem implicite, immaculatæ et dilectissimæ Christi sponsæ, videlicet sanctæ Matris Ecclesiæ fecunditatem, quæ non minus hodie quam olim suo sponso filios parturit, et quæ non minus Sancta quam Apostolica indesinenter erit usque ad consummationem sæculi. Non habes Theresias ! Ergo, sacerdos Christi, *forma gregis ex animo*, tibi incumbit necessitas producendi illas. Quonam autem pacto valebis producere? nonne per *vinum germinans virgines?*

960. 3ª. *Communiter nonnisi ad hebdomadariam incitet.* Sacerdos igitur hortari debet ad frequentiam Eucharistiæ atque incitare fideles ad sic vivendum, ut sæpius ac sæpius communicare digni inveniantur. Attamen, extra Pœnitentiæ sacramentum, sive in concione ex pulpito, sive alias, non debet hortari ad frequentiorem quam hebdomadariam communionem, nisi

[1] Nondum erat canonizata, quando scribebat S. Alphonsus.

forte sermonem habeat in cœtu religioso. « Ita enim sentiunt prudentes et experti viri in hac materia, et communis usus Ecclesiæ non parum favet. Ratio autem est, quia hoc modo, et sufficienter subvenitur fructui animarum; et ratio etiam habetur reverentiæ debitæ Sacramento; nam regulariter loquendo, tot sunt humanæ vitæ negotia et impedimenta, quæ et animum distrahunt, et tempus occupant, ut non possint homines frequentius accedere, cum debita dispositione, nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par esset. Hoc tamen semel in hebdomada præstare, regulariter non est difficile; imo hinc sæpe eveniet, ut una communio facta opportuno tempore, cum majori fiat fructu, quam plures sine debita præparatione et gratiarum actione. » Suarez, in 3, disp. 39, sect. 4, n. 7. Vide etiam De Lugo, *De Euchar.*, disp. 17, sect. 2, Tolet, VI *Summæ* 19, etc.

II. — Regulæ pro agendi ratione confessariorum.

961. 1ª. *Habenda est ratio status et muneris pœnitentis.* Confessarius non æque suadere debet vel permittere frequentiam communionis omnibus pœnitentibus ; sed sedulo perpendat conditionem et munus uniuscujusque. Non enim æque potest, cæteris paribus, mulier nupta dispositiones requisitas sicut vidua ætate provecta afferre ; nec implicata negotiis sæcularibus, sicut monialis inter claustra vivens; nec juvenis militiæ arma deferens, sicut juvenis in tyrocinio sacerdotii sese exercens. Nec illi qui modo e vitii cœno egressus est, sicut ei qui a diuturno tempore peccatum mortale non commisit, concedi potest ; reformidari enim posset scandalum, si illico post conversionem suam, admitteretur ad frequentiorem communionem, v. g., mulier quæ in meretricio usque tunc vixisset. Imo, etiamsi pœnitens ex se nullum habeat impedimentum, aliquando satius erit ei minus frequenter accedere, ne suis sit incommodo : « Plusieurs légitimes empêchements peuvent néanmoins vous arriver, non point de votre côté, mais de la part de ceux avec lesquels vous vivez, qui donneraient occasion au sage conducteur de vous dire que vous ne communiiez pas si souvent. Par exemple, si vous êtes en quelque sorte de sujétion, et que ceux à qui vous devez de l'obéissance ou de la révérence soient si mal instruits ou si bizarres, qu'ils s'inquiètent et se troublent de vous voir si souvent com-

munier ; à l'aventure, toutes choses considérées, il sera bon de condescendre en quelque chose à leur infirmité, et ne communier que de quinze jours en quinze jours ; mais cela s'entend en cas qu'on ne puisse aucunement vaincre la difficulté. » S. Francisc. a Salesio, *Introd.* 2 p., cap. 20.

962. 2ª. *Facilius permitti debet frequens communio sacerdotibus celebrantibus, quam cæteris fidelibus omnibus.* Sacerdotes, etiam cum pari dispositione, possunt frequentius celebrare. *Primo*, aliquis defectus puritatis compensatur per majorem obligationem quam ex officio habent offerendi Sacrificium ; sunt enim nuntii et ministri publici deputati ab Ecclesia, ut ejus nomine Deum placatum reddant ; quare ipsius Ecclesiæ puritas, cujus nomine accedunt, reddit eos magis acceptos, ut accedant ad Deum. *Secundo*, propter uberrimos Sacrificii fructus ; sacerdos enim qui Sacrificium omittit, privat SS. Trinitatem gloria quasi infinita; sanctos, lætitia; animas in purgatorio detentas, refrigerio ; peccatores, misericordia et venia; et justos, gratia ac perseverantiæ dono. *Tertio*, sacerdotes ex officio habent per se minorem indispositionem accedendi quotidie, utpote quos ipse status separat a curis sæcularibus, a conjuge, a filiis, etc. *Quarto* demum huc sæpe sæpius facit etiam devotio fidelium qui consueverunt interesse Sacro, et non sine aliquo offendiculo privarentur Missa.

963. « Attamen sacerdoti qui culpabiliter vel inculpabiliter habet idem periculum irreverentiæ indevotionis, ob nimiam frequentiam, optimum etiam consilium est aliquando abstinere, ut postea reverentius accedat. Sic enim sacerdotibus consulit D. Bonaventura, ubi supra (nempe in IV, dist. 12, part. 2, q. 2), et lib. II *De profectu religiosorum*, 77, omnino videndus. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 17, sect. 4, n. 45.

Deinde singulis diebus sacerdotes meminerint parabolæ talentorum ; cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Quippe causa quæ excusat illos, si celebrent non omnino dispositi, ut par esset, non eximit ab onere reddendi rationem villicationis suæ et copiosissimarum gratiarum quibus quotidie more imbrium superfunduntur. Altissime in animo defixum habeant, quod ignis charitatis suæ debet tenere locum ignis materialis qui in veteri Testamento carnem et sanguinem victimæ consumebat. Unde pientissimus auctor *Imitationis Christi*,

lib. IV, cap. 11, n. 6 et 7 : « O quam magnum et honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, cæteris ministrare ! O quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor erit sacerdotis, ad quem toties ingreditur Auctor puritatis !..... Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* »

964. 3ª. *Frequentem communionem non licet permittere his qui frequenter in mortalia labuntur.* Ita communiter Ecclesiæ Doctores post SS. Patres, et aperte docet Benedict. XIV, *De Synodo*, lib. VI, cap. 12, n. 9 : « Præcipue vero monendi sunt confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti ; sicut in illis qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem : qua de re legendi sunt S. Franciscus Salesius, *Philoteæ* part. 2, cap. 20, et Joannes Thaulerus, sermo. 4, *in festo vener. Sacramenti.* » Hanc doctrinam latissime ostendit Contensonius, lib. XI, part. 2, dissert. 4, cap. 2, *regula secunda*, ubi numerosiora adducit Patrum et Doctorum testimonia. Ratio in promptu est, quia hi qui frequenter in mortalia labuntur, communiter non accedunt cum magna reverentia et devotione ; quas tamen dispositiones requirunt Concilia, et Summi Pontifices, tum ob Sacramenti dignitatem, tum etiam ob sumentis utilitatem. Recollige dicta superius (947-949).

965. 4ª. *Lapsus, etiam frequens, in venialia non obest frequenti communioni, bene autem affectus ad illa.* Prima pars constat doctrina Patrum et Doctorum Ecclesiæ ; fundaturque ipsomet Sacramento, inter cujus fines concilium Tridentinum recenset liberationem a culpis quotidianis (vide supra, n. 688 et 689). Idcirco si aliquis in peccata venialia caderet ob meram fragilitatem, sed postea doleret communionemque desideraret, ut robur acciperet, virtutemque firmius coleret, certe non liceret frequentem communionem illi denegare.

Secunda pars constat etiam communi doctrina Patrum et Doctorum, eamque aperte tenet Bened. XIV, in loco superius citato (964). Ratio est, quia illi qui habitualiter peccata venialia deli-

berate committunt atque ad illa affectum habent, non habent reverentiam ac devotionem requisitam ad communicandum frequenter : affectus enim ad venialia et fervor devotionis charitatisque non se compatiuntur : « Non solum mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam et otium multiplicata, et etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutæ vitæ et malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem et obnubilatum, et indispositum, et ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres et stipulæ venialium per afflatum Spiritus et flammam charitatis ventilentur et consumantur, exardescente igne cordis et ex consideratione propriæ vilitatis. » S. Bonav., lib. *De præp. ad Missam.* Aliunde qui ita communicaret, mox fastidiret super Eucharistia, et facile in periculum non dijudicandi corpus Domini laberetur. Unde S. Alphonsus, *Praxis conf.* n. 149 : « Expedit quidem aliquando concedere communionem aliquibus qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum ; sed respectu earum personarum quæ non existunt in tali periculo, et econtra committunt ordinarie peccata venialia deliberata, dum nulla in eis emendatio, neque desiderium emendationis effulget, optimum erit non permittere eis communionem plus quam semel in hebdomada ; imo poterit expediens esse illis aliquando per integram hebdomadam communionem interdicere, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga sacramentum hoc reverentiam. » S. Franciscus a Salesio his qui affectum ad venialia habent vix hebdomadariam concedit communionem : « Pour communier tous les huit jours, il est requis de n'avoir ni péché mortel, ni aucune affection au péché véniel, et d'avoir un grand désir de communier ; mais pour communier tous les jours, il faut outre cela avoir surmonté la plupart des mauvaises inclinations, et que ce soit par avis du père spirituel. » Et huic sententiæ non parum favet Benedict. XIV, *De Synodo*, VI, cap. 12, n. 9 ; ibi lectorem remittit ad S. Franciscum pro illis qui voluntatem habent venialibus inhærentem. Attamen non pauci sentiunt, hebdomadariam communionem non posse proprie dici frequentem, atque esse concedendam omnibus qui absolutionem receperunt, nisi obstet ratio scandali. Et huic sententiæ favere videntur Suarez, De Lugo, S. Alphonsus, etc.

966. 5ª. *Frequentia restringenda est, si minuatur reverentia Sacramenti et non augeatur profectus in via perfectionis.* Hæc regula sat per se patet, nec explicatu indiget. Unde « si postea dignoscatur, non obstante frequentia communionis, animam nihil proficere in via perfectionis, nec se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhæret etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate se vestiendo, tunc certe consulto restringendus erit usus communionis, etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione, et suæ spirituali perfectioni consulere. »

967. 6ª. *Frequentia extendenda est sensim usque ad quotidianam, si non minuatur reverentia et augeatur fervor.* « Si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui, et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia et devotione postmodum accederet. » D. Thomas, In IV, dist. 12, q. 3, a. 1, q. 2. Ita omnes melioris notæ theologi, quorum doctrinam postquam perpenderit, sic concludit S. Alphonsus : « Cæterum, considerando relatas doctrinas, videtur non posse director sine scrupulo negare communionem frequentem etiam quotidianam (excipe, ordinarie loquendo, unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui directores, et excipe tempus illud quo privare velint pœnitentes communione, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliam justam causam) quibusdam animabus eam desiderantibus, ut proficiant in divino amore; semper vero ac illæ vivendo alienatæ ab affectu cujuscumque culpæ venialis, incumbunt insuper multum orationi mentali, et conantur tendere ad perfectionem, et amplius non labuntur in peccata, etiam venialia plene voluntaria. » *Praxis confessarii*, n. 152.

Quocirca potest bis vel etiam ter in hebdomada concedi communio iis qui peccata venialia malitiæ, scilicet peccata deliberata, ut plurimum devitant, et simul accenduntur desiderio communicandi; dummodo pietatis exercitiis operam dare enitantur, videlicet meditationi, lectioni spirituali, SS. Sacramenti visitationi, et charitatis operibus incumbant. Ad quotidianam vero commu-

nionem, requiritur ut fidelis jam plerasque pravas inclinationes retuderit ac devicerit :

968. *Duo notatu dignissima.* 1° Juxta D. Thomam, 3 p. q. 80, a. 10, ut quis possit ad communionem frequentem accedere, « requiritur ut cum magna devotione accedat; » non ideo tamen requiritur ut devotio sit summa vel aperte sensibilis : « Sufficit directori detegere in intimo voluntatis sui pœnitentis quamdam alacritatem ad exequenda quæcumque Deo placuerint. Qui a communione abstineret, quia non sentiret in se magnum quemdam fervorem, inquit doctus Gerson, esset comparandus illi qui nimis frigescens nollet ad ignem accedere, quia nullum in se experitur calorem. Unde docet P. Granat. cum Cajetano, personas pusillanimes, quæ, ob immoderatum timorem suæ indignitatis, communionem omittunt, magnum suo proprio progressui inferre præjudicium. Neque ad prosequendum communiones, inquit S. Laurentius Justinianus, oportet ut anima sentiat, aut aperte in se discernat augmentum fervoris, quoniam non raro hoc sacramentum operatur, absque eo quod ipsi animadvertamus. Sanctus Bonaventura inquit (*De profectu relig.* c. 78) : *Licet tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas, quia qui se indignum reputat, cogitet quod tanto magis egeat medico, quanto senserit se ægrotum; neque ideo quæris te jungere Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut tu sanctificeris ab illo.* Et postea subdit : *Neque prætermittenda est sancta communio, si quandoque non sentit homo specialem devotionem, cum se ad illam præparare studeat, vel in ipsa perceptione, vel post forte minus devotum se sentit, quam vellet.* Ergo bene sentit Sanctus quod, etiamsi anima experiretur minorem devotionem post susceptam Eucharistiam, quam antea, nec etiam debeat eam omittere. Quapropter, quemadmodum quando anima sentit, se maximopere ad communionem inclinatam, expedit identidem eam mortificare, communionem differendo (præsertim si advertatur quod per illam prohibitionem turbetur; hujusmodi enim contristatio est argumentum superbiæ, quæ eam vere reddit indignam) ; item ex opposito, quando sentit in se ariditatem et tædium ad Eucharistiam suscipiendam, expedit tunc illam sæpius ad communionem impellere, ut a Sacramento vires acquirat. » *Praxis confessarii*, n. 155.

969. 2° Sæpe sæpius ex frequenti communione minuitur re-

verentia erga SS. Sacramentum, et parum augetur fervor charitatis, quia communicans non sistit aliquantisper in gratiarum actione, prout par est. Director igitur curet insinuare, ut post communionem immoretur in gratiarum actione, illo tempore quo potest. Non pauci sancti per unam horam, alii per dimidiam protraxerunt gratiarum actionem ; saltem fiat per quadrantem. Tunc tempus acceptabile est ; tunc oportet petere, pulsare ad ostium Cordis Jesu, qui, ut ait S. Theresia, post communionem, sedet in anima communicantis tanquam in throno misericordiæ, ut in ipsa veluti effundat divitias divinissimi sui amoris. Tunc si vocem ejus oscultes, dicet tibi : *Quid vis ut tibi faciam ;* cui respondebis : *Domine, ut videam et firmus credam ; ut te diligam toto corde*, etc. ; *ut sanetur anima mea ; ecce quem amas infirmatur ; ut mihi mundus crucifixus sit, et ego, mundo*, etc.

Quæ praxis aliunde firmatur per Rubricam Ritualis Romani, ubi de sanctissimo Eucharistiæ sacramento : « Moneantur præterea communicantes ut, sumpto Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant, sed qua par est devotione aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima passione Dominica, in cujus memoriale hoc mysterium celebratur et sumitur. » Hic mos est perantiquus sicut ipsa communio, atque ejus meminit S. Dionysius tanquam finalis Liturgiæ partis : « In his omnis ordo sacerdotum hierarchice congregatus, divinissimis mysteriis perceptis, cum gratiarum actione desinit, agnitis pro captu suo laudatisque divinorum operum beneficiis. Qui enim rerum divinarum expertes sunt et ignari, nequaquam ad gratias agendas convertuntur, quamvis ex natura sua dona illa divinissima sint omni gratiarum actione dignissima. Cæterum cum, ut dixi, divinis istis muneribus, propter suam ad deteriora propensionem, attendere non velint, infinitis divinorum beneficiorum gratiis ingrati permanent. *Gustate*, inquiunt Eloquia, *et videte :* quoniam qui sacrosancta divinarum rerum disciplina initiantur, permagnificas ipsarum gratias agnoscent, atque divinissimam earum altitudinem ac magnitudinem in communione sancte considerantes, supercœlestia supremæ Deitatis beneficia grati collaudabunt. » *De ecclesiast. hierarchia*, cap. 3, a. 3, § 15.

PARS POSTERIOR

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRIFICIO

I. — Nexus hujus partis cum priore.

970. « Eucharistia duabus de causis a Christo Domino instituta est : altera est ut cœleste animæ nostræ alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus ; altera, ut Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, et cœlestis Pater sceleribus nostris sæpe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traduceretur. Hujus rei figuram et similitudinem in Agno paschali licet animadvertere, qui ut sacrificium et sacramentum a filiis Israël offerri et comedi consueverat. » *Catech. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 70.

II. — Dignitas et jucunditas hujus partis.

971. *Primo, ex laudibus condigne Deo rependendis.* « Etenim hoc sacramentum non solum thesaurus est cœlestium divitiarum, quo si bene utamur, Dei gratiam nobis conciliamus et amorem ; sed in eo præcipua quædam ratio inest, qua ei pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referre possimus. At vero hæc victima, si rite et legitime immoletur, quam grata et accepta Deo sit, ex hoc colligitur : Si enim veteris Legis sacrificia, de quibus scriptum est (*Psalm.* 39, 7) : *Sacrificium et oblationem noluisti;* et iterum : *Si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis,* (*Psalm.* 50), ita placuerunt Domino, ut Scriptura (*Gen.* 8, 21), *Deum odoratum esse odorem suavitatis*, id est, grata ei et accepta fuisse testetur : quid nobis sperandum de eo sacrificio in quo ille ipse immolatur atque offertur, de quo cœlestis vox bis audita est (*Matth.* 3, 17) : « *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* » *Catech. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 69.

Idcirco per sacramentum Eucharistiæ suscipimus omnes divini amoris divitias, ad quarum quantulascumque impares essemus gratias condigne rependere. Sed per Missæ sacrificium jam condignas Deo gratias pro innumeris ab eo acceptis beneficiis rependere valemus; unde sacerdos, priusquam Sacrificium consummat calicis sumptione, dicit : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Præ manibus tenens condignum salutis pretium, ipse erigit oculos in cœlum, et laudans nomen Domini confidenter invocat.

972. *Secundo, ex memoria sacrificii Crucis.* Missæ sacrificium est ipsissima memoria perennis et instauratio sacrificii Christi in ara Crucis. « Nec vero, quum Salvator noster Deo Patri seipsum in ara Crucis oblaturus esset, ullam suæ erga nos immensæ caritatis illustriorem significationem dare potuit, quam quum nobis visibile sacrificium reliquit, quo cruentum illud semel in Cruce paulo post immolandum instauraretur, ejusque memoria usque in finem sæculi quotidie summa cum utilitate ab Ecclesia per universum orbem diffusa coleretur. » *Catech. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 70.

III. — Vocis Missæ etymologia et antiquitas.

973. Quia protestantes acriter in vocem *Missa* invehuntur, quam irridٍent et rejiciunt veluti novam et barbaram, eo animo ut rem ipsam prorsus evertant, operæ pretium est etymologiam simul et perantiquum hujus vocis usum explanare ac defendere [1].

Primo, Covarruvias et alii pauciores censuerunt, vocem *Missa* originem ducere a græco fonte. Sed merito Suarezius rejicit illam expositionem, quia nullum habet fundamentum in lingua græca, neque in Patribus græcis, qui vocem *Missa* nunquam

[1] Lutherani solita impudentia etymologiam *Missæ* trahunt a voce hebraica *Mahuzim*, scilicet ab idola quam Antichristus perculturus est; ut sumitur ex *Daniel.* 2, ubi describitur Rex Aquilonis, qui Deum Mahuzim colit in loco suo. Unde Pseudoreformatores, præsertim Kemnitius, inferunt, Missam esse Deum seu arcem et robur Antichristi Romani, id est, Papæ. Vide Bellarminum, I *De Missa* 1.

adhibent; nam Liturgia, vel Synaxi, vel aliis vocibus, quæ communes sunt huic mysterio, ut sacramentum est, utuntur.

974. *Secundo*, concilium Senonense, in *Decreto fidei*, cap. 11, Baronius, *Annal.* an. 34, n. 52, et alii docuerunt, vocem *Missa* ortum ducere a lingua hebraica, atque significare *spontaneam* seu *ultroneam* oblationem. « Quod enim in nostra Vulgata legitur, *Deuteron.* 16, spontanea oblatio, hebraice et chaldaice dicitur *Missah*, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua et vescebantur in templo, cum recordatione præteritæ servitutis, et ab eadem liberationis. Quæ quidem omnia, cum optime conveniant prædicto a Christo instituto sacrificio, eo potius Majores nostri usi sunt nomine, quam cujuspiam alterius sacrificii. » Baronius, loco citato. Suarez dicit, illam sententiam esse probabilem, « quamvis eam suspectam faciat auctoritas negativa Patrum Græcorum et Syrorum, qui nunquam ea voce usi sunt, cum tamen soleant frequenter uti illis vocibus hebraicis, quas Ecclesia Latina retinuit, ut sunt *Hosanna, Amen, Alleluia, Sabaoth, Satan, Sabbatum, Pascha*, etc. Suarez, in 3, disp. 74, sect. 3, n. 2. Syri enim et Maronitæ, qui chaldaica lingua Missam celebrant, vocem *Missa* non habent, sed hoc sacrificium vocant *Sanctum* seu *Sacrum*; et S. Justinus, Origenes, S. Hieronymus et S. Epiphanius, hebraicæ linguæ peritissimi, nunquam voce *Missa* usi sunt.

975. *Tertio*, alii communissime vocem *Missa* traducunt a verbo latino *mittere, mitto*, adeo ut Missa idem sonet ac missio seu abeundi venia [1]. Cujus etymologiæ explanatio duplex a Doctoribus traditur. Prima desumitur ex eo quod primitus Diaconus, post Evangelium et concionem, dimittebat cathecumenos, et, absoluto sacrificio, omnes fideles quoque dimittebat dicens : *Ite, Missa est*. Hæc posterior dimissio adhuc fit hodie. Ita Bellarminus, Suarez, Bona, Bossuet, et alii plures, quos citat Benedictus XIV, II *De sacrif. Missæ*, cap. 1, n. 2. Propter duplicem olim usitatam missionem, frequentissime in libris liturgicis vox *Missa* in numero plurali adhibetur, uti *Missas facere, Missarum solemnia*. Quocirca Benedictus XIV ibidem dicit:

[1] Locus est Ciceronis in Philippica V, cap. ult. : « Legiones, bello confecto, missas fieri. » Et Suetonius, in Caio, cap. 25 : « Brevi (Lolliam Paulinam uxorem) missam fecit. »

« Bossuetus, in *Explicatione quarumdam difficultatum de Missæ sacrificio*, cap. 2, monet, vocem *Missa* eamdem esse ac *missio*, levi facta inflexione, quemadmodum *remissa* pro *remissio*, *oblata* pro *oblatio*, *Ascensa* pro *Ascensio* veteres dixerunt. » « Quod consonat moribus sacerdotum gentilium, qui, peracto sacrificio, dicebant : *Ilicet*, hoc est, ire licet, ut refert Plutarchus, et Servius, VI *Eneidos* ; et videre licet Calepinum, verbo *Ilicet*. » De Lugo, *De Eucharist.*, disp. 19, sect. 2, n. 17.

Alteram tradidit expositionem S. Gregorius Magnus, IV *Dialog.* 58 : « Dicitur *Missa* quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice mediatoris inter Deum et homines, preces et supplicationes et vota transmittat Altissimo. Ipsum vero sacrificium, id est, hostia *Missa* vocatur, quasi transmissa : primum nobis a Patre, ut esset nobiscum per Incarnationem ; postea, Patri a nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum per Passionem ; ut et in Sacramento primum nobis a Patre per sanctificationem, postea Patri a nobis per oblationem. » Ita etiam non pauci alii, inter quos Hugo Victorinus, II *De Sacramentis*, part. 8, cap. ultimo.

976. Benedictus XIV dicit, « primam etymologiam veriorem videri, alteram ad pietatem propensiorem. » At æstimo, illas inter se non pugnare, sed sibi amice conjurare ; et utramque consociat D. Thomas, 3 p. q. 83, a. 4, ad 9, ubi verba Canonis Missæ præclarissime exponit : « Sublime autem altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus ; vel ipse Deus, cujus participationem petimus. De hoc altari dicitur, *Exodi* 20, 26 : *Non ascendes ad altare meum per gradus*, id est, *in Trinitate gradus non facies* (Gloss. interl.). Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est Magni Concilii Angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri conjungit et Ecclesiæ triumphanti ; et propter hoc etiam *Missa* nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo : unde et in fine Missæ Diaconus, in festivis diebus, populum licentiat dicens : *Ite, Missa est*, scilicet Hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta. »

977. *Quarto*, juxta Baronium (*Annal.* an. 34, n. 60), voce *Missa* videtur usa suiipsius exordio Romana Ecclesia, nam S. Pius I, proximus Apostolorum temporibus, eucharisticum sa-

crificium appellavit *Missas*. Item, ineunte sæculo tertio, Cornelius Papa. Quidquid id est, certum est, in secundo et tertio Carthaginensi concilio, cui interfuit S. Augustinus, in Ephesino, Chalcedonensi, Agathensi, etc., usurpatam fuisse vocem *Missa*, ut Eucharistiæ oblatio significaretur. Imo videtur quod jam tempore S. Ambrosii invecta fuerit consuetudo appellandi nomine *Missa* Sacrificium cui fideles aderant. Vide Bened. XIV, lib. II, *De sacrif. Miss.*, cap. 1, n. 5.

IV. — Definitio sacrificii Missæ.

978. Missa definitur: *Sacrificium novæ Legis, a D. N. J. Christo institutum, in quo offertur et incruente immolatur Christus ipse sub speciebus panis et vini, ad agnoscendum supremum Dei in creaturas universas dominium, recolendam mortis Christi memoriam, nobisque applicandum mortis ejus fructum.* 1° Vox *sacrificium* est generica et innuit id quod Missa habet commune cum sacrificiis tum legis naturæ, tum legis scriptæ. 2° Voces *novæ Legis* significant, Missam pertinere ad sextam ætatem mundi atque ultimam Ecclesiæ militantis formam, ad quam veluti ad exemplar et finem referebantur quinque præcedentis mundi ætates. 3° Verba a *D. N. J. Christo* aperte causam efficientem et auctorem sacrificii Missæ innuunt. 4° Voces *in quo offertur et incruente immolatur Christus ipse sub speciebus panis et vini* declarant essentiam sacrificii Missæ. 5° Voces *ad agnoscendum supremum Dei in creaturas universas dominium* significant finem primarium sacrificii Missæ. 6° Voces *ad recolendam mortis memoriam* significant secundarios fines sacrificii Missæ. Et hanc compendiosam sacrificii Missæ notionem esse genuinam, collucebit ex toto tractatu.

V. — Divisio hujusce partis.

979. Quemadmodum de sacramentis in genere necesse est disserere, antequam de singulis in specie agatur, ita aliquid de sacrificio in genere oportet in antecessum pertingere, priusquam peculiare sacrificium Missæ aggrediamur. Et hinc dicemus 1° de sacrificio in communi, 2° de existentia sacrificii Missæ, 3° de il-

lius essentia[1], 4° de illius causa efficiente, 5° de illius causa finali, seu de ejus valore et effectibus, 6° de illius causa materiali extrinseca, seu subjecto, 7° de tempore quo possit vel debeat offerri.

CAPUT I

DE SACRIFICIO IN GENERE

ARTICULUS I

DE NATURA SACRIFICII

980. Sacrificii variæ acceptiones. Sacrificium sonat idem ac *facere sacrum* seu *Deo dicatum*. Latissimo sensu, significat *omne opus bonum in Dei laudem et honorem relatum;* uti fidei et charitatis actus. Unde hæc significatio est analoga. In sensu minus lato, significat omnem actum externum virtutis religionis ; uti oblationem cerei, consecrationem altaris, ecclesiæ, etc. Sed neque hæc significatio haberi potest tanquam stricta, quia ex usu recepto, S. Scriptura, necnon rationis dictamine, sacrificium pressiori sensu significat aliquem peculiarem et maxime proprium virtutis religionis actum externum, ex quo cætera omnia quæ sacrificia dicuntur, per analogiam quamdam et derivationem hoc nomen acceperunt.

981. *Dices:* Sacrificium Crucis fuit perfectissimum sacrificium. Atqui tamen non fuit actus virtutis religionis, sed charitatis, patientiæ, fortitudinis, humilitatis et obedientiæ, ut docet Apostolus, *Rom.* 5, *Philipp.* 2, *Hebr.* 12, etc. Ergo non est de ratione sacrificii quod sit actus religionis.

Resp. Nego min. Christus enim in mortem se obtulit, præcipue ut esset oblatio et sacrificium pro expiatione peccatorum totius mundi, sicut sacri Scriptores docent passim, maxime S. Paulus, *Ephes.* 5, et *Hebr.* 7, 8, 9, 10. Tamen nihil obest quominus actus proprius religionis possit etiam participare multas alias virtutes: sicut econtrario actus omnium aliarum virtutum participent rationem religionis, et sacrificia suo modo nominentur.

[1] De ejus materia et forma jam dictum est in priori parte, nam eadem est quam materia et forma Sacramenti.

PARAGRAPHUS I

ARCENTUR ADULTERATÆ SACRIFICII DEFINITIONES

982. Priusquam tradamus germanam sacrificii definitionem, operæ pretium est fugare erroris tenebras, et ita veritati viam munire. Gabriel, Castro et alii pauciores e Catholicis docuerunt, omne opus bonum in Dei gloriam relatum esse proprie ac vere sacrificium. Quam sententiam libenter amplectuntur Protestantes, ut inde colligant, mysterium Eucharistiæ non aliter, neque magis proprie esse sacrificium quam cætera religionis opera, et consequenter non esse necessarios in Ecclesia Christi speciales sacerdotes. Quod commentum potissime tuitus est Melanctho, in *Apologia Confessionis Augustanæ*, art. *de Missa*.

PROPOSITIO I

Nec cæremonia, neque quodvis opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, est vere ac proprie dictum sacrificium.

983. Prob. 1° *Scriptura. Gen.* 22, Isaac ascendens cum patre suo ad sacrificandum dixit: *Ecce ignis et ligna, ubi est victima holocausti?* Porro, si quævis cæremonia et omne opus bonum esset sacrificium proprie dictum, non esset necessaria victima ad illud. *Ergo.*— I *Regum* 15: *Melior est obedientia quam victimæ.*— *Psalm.* 50: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* — *Oseæ*, 6: *Misericordiam volo, non sacrificium*, etc., etc. Unde sic: Multa opera virtutum sacrificiis opponit Scriptura; uti opera obedientiæ, misericordiæ, pœnitentiæ, etc. Porro, si omnia virtutum opera essent sacrificia proprie dicta, hujusmodi oppositio inepta esset; quomodo enim vult Deus misericordiam, et non sacrificium, si ipsa misericordia est verum ac proprie dictum sacrificium? aut quomodo melior est obedientia quam victimæ, si ipsa obedientia vere ac proprie victima est? Quomodo non vult Deus sacrificium et holocausta, sed cor contritum et humiliatum, si hoc ipsum est verissimum sacrificium?

984. 2° *SS. Patribus.* S. Chrysost., in *Psalm.* 95: « Magnus erat et sine modo numerus sacrificiorum in Lege, quæ

omnia nova superveniens gratia uno complectitur sacrificio, unam et veram statuens hostiam. » S. August., VIII *De Civitate*, cap. ult., de epulis quæ aliqui ad Martyrum sepulcra deferebant, dicit : « Ea non esse sacrificia Martyrum novit qui novit unum quod Deo offertur, sacrificium Christianorum. » S. Leo Magnus, serm. 8, *De passione Domini :* « Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio. » Unde, juxta Patres, in Ecclesia Christi est unum duntaxat verum ac proprie dictum sacrificium. Porro, etc.

985. 3° *Praxi Ecclesiæ. Primo*, in Ecclesia Christi semper fuit peculiare sacerdotium, ex institutione divina, semperque fuit sacramentum Ordinis, sicut fusius ostensum est in tractatu de Ecclesia, atque iterum supra (643-649) inculcatum est. Porro non fuisset in Ecclesia Christi peculiare sacerdotium, si omnia opera bona, vel omnis cæremonia externa esset proprie dictum sacrificium ; quum enim, juxta S. Paulum, *Hebr.* 5, et omnes Patres, proprium sacerdotis munus sit offerre sacrificium, omnes Christiani essent veri et proprie dicti sacerdotes. Ergo.

986. *Secundo*, altare et sacrificium sunt correlativa ; unde hebraice et græce ab eadem radice deducitur sacrificium et altare, et apud omnes gentes, sin excipias Protestantes, et Judæos, post hierosolymitanum excidium, semper erecta sunt altaria ad proprie dicta sacrificia offerenda. Porro non erigitur altare proprie dictum propter omne opus bonum, neque propter omnem cæremoniam, qua Deus colitur. Ergo.

987. 4° *Ratione.* « Sacrificare est actus proprius religionis et elicitus. Porro non potest quidam actus esse proprius et elicitus diversarum virtutum. Ergo opera propria misericordiæ, temperantiæ, aliarumque virtutum non possunt proprie sacrificia dici, sed solum per quamdam participationem. Quamvis enim unus et idem actus non possit esse proprius et elicitus diversarum virtutum, potest tamen ab una elici, et ab alia imperari, et eo modo ad unam proprie pertinere, et ad alteram participative. Quemadmodum sobrie sumere cibum est actus elicitus temperantiæ ; tamen si imperetur a fortitudine, ut homo sit magis aptus ad pugnandum, participat fortitudinem ; si a justitia, ut nimirum habeat unde debitum reddat pecuniarium, participabit justitiam. Sic igitur opera quarumlibet virtutum possunt imperari

a religione, et participative sacrificia dici, non tamen absolute et proprie, cum a religione non eliciantur. Atque hinc est quod in divinis Litteris opera virtutum non vocantur absolute sacrificia, sed cum addito, *ut sacrificium laudis*, *hostiæ spirituales*, etc. » Bellarm., I *De Missa* 2.

COROLLARIUM

988. *Quo sensu cultus dicitur sacrificium.* Hinc, quia sacrificium est potissima pars cultus externi, hic cultus interdum dicitur sacrificium, per translationem denominationis signi ad rem significatam; imo, quia cultus internus est veluti anima sacrificii, aliquando ipsemet cultus internus dicitur verum sacrificium. Propterea omnes alii actus externi cultus dicuntur sacrificia, per analogiam ad sacrificium proprie dictum. Imo omnes actus virtutum qui eliciuntur eo fine, ut laus Deo rependatur, puta castigatio corporis, eleemosyna, martyrium, etc., nuncupantur sacrificia.

PROPOSITIO II

Omnis oblatio Deo facta non est verum ac proprie dictum sacrificium.

989. Prob. 1° *Scriptura*. *Exod.* 25 et 35, offerenda Deo dicuntur aurum, argentum, æs, ligna, lapides pretiosi, byssus, coccus, pili caprarum, etc. Porro hæc nonnisi absurdissime possunt dici sacrificari. Ergo. *Numer.* 8, Aaron offert Levitas in munus Domino, a filiis Israël, et tamen Scriptura non dicit, homines illos fuisse sacrificatos, sed solum ad ministerium deputatos. Econtra Isaac vere ac proprie sacrificandus ducebatur a patre, quando in montem ascendebat occidendus et cremandus, *Gen.* 22. Omnia enim quæ in S. Scriptura dicuntur proprie dicta sacrificia, necessario destruenda erant : si viventia, per occisionem, si inanimata solida, ut simila, sal, thus, per combustionem ; si liquida, ut sanguis, vinum, aqua, per effusionem. Vide *Levit.* 1 et 2.

2° *SS. Patribus.*
3° *Praxi Ecclesiæ.* } Ut supra, n. 984, 985 et 986.

990. 4° *Ratione*. Vox *sacrificium*, tum hebraice, tum græce, venit a *mactare;* quia victima occiditur : vel etiam, juxta alios,

ab *exhalare*, quia fumus ex crematione victimæ exhalatur ascenditque. Porro neutrum dici potest de mera oblatione. Unde S. Chrysost. et Theophylactus, in epist. *Hebr.* 10, essentiale discrimen reponunt inter meram oblationem et sacrificium, sive quoad rem, sive etiam quoad vim nominis.

PARAGRAPHUS II

PROPONITUR AC FULCITUR GERMANA SACRIFICII DEFINITIO

991. Itaque sacrificium pressiori sensu definitur: *Oblatio externa rei sensibilis ac permanentis soli Deo facta a legitimo ministro, per ritum mysticum, cum ejus destructione aut saltem substantiali immutatione, ad simul humanam infirmitatem et supremum Dei dominium in creaturas omnes peculiari modo recognoscendum.* Hæc definitio forsan paulo longior videbitur; sed oportebat in ipsa includere omnes proprie dicti sacrificii conditiones, ut errori omnis præcluderetur aditus. Ideo singula ejus vocabula expendenda sunt.

992. Dicitur 1° *oblatio.* Hæc vox innuit genus remotum, siquidem sacrificium hic sumitur pro ipsa actione sacrificandi, quam Scriptura recenset inter oblationum species: *Gen.* 4, ubi primum fit mentio sacrificii, dicitur Abel obtulisse de primogenitis gregis sui; et cap. 8: *Noe obtulit holocausta supra altare;* et cap. 22: *Offeres filium tuum in holocaustum;* et *Isaiæ* 1: *Non offeratis ultra sacrificium frustra;* et fere tota in epistola ad *Hebr.*, D. Paulus hanc veritatem inculcat. Quum enim sacrificii ratio consistat potissimum in actione sacrificandi, necesse est ut sit aliqua oblatio; quippe, etsi aliquando *offerre* et *referre* promiscue usurpantur, attamen non idem significant: *referre* importat respectum rei ad finem, quia nihil aliud est sacrificium, nisi factio sacri; unde apertius posset appellari sacrificatio: *offerre* vero importat respectum rei ad dominum.

993. 2° *Externa.* Et sic sacrificium jam secernitur ab oblatione interna, nimirum a pia voluntate, quæ divinæ majestati se et sua omnia offert. Unde S. August., X *De Civitate* 5, et cum eo cæteri Doctores Ecclesiæ docent, sacrificium in hoc convenire cum sacramentis, quod sit etiam signum sacrum. Quamvis enim invisibilis oblatio sit nobilior et melior visibili, et placeat Deo invisibilis sine visibili, et non econverso, tamen nomen

et ratio sacrificii proprie convenit solum visibili et externæ oblationi ; quia nomine sacrificii omnes intelligunt publicum et manifestum honorem Deo exhibitum a communi et publico ministro, uti mox ostendemus.

994. 3° *Rei sensibilis et permanentis.* Et ita a ratione sacrificii proprie dicti excluduntur actiones transeuntes in honorem Dei factæ, quales sunt psalmodiæ, preces, genuflectiones, et alia quæ fiunt a sacerdotibus actu externo, quin tamen sint proprie dicta sacrificia. At quamvis sacrificii nomen proprie imponatur actioni sacrificandi, tamen extenditur ad rem sensibilem et permanentem, quæ est veluti materia sacrificii ; haberi enim potest veluti primum ejus fundamentum. Actio se habet ad illud sicut forma, quia per ipsam sacrificium quasi constituitur completurque.

995. 4° *Soli Deo facta.* Sacrificium enim proprie dictum soli Deo vero potest offerri, sicut aperte docet S. Scriptura, *Exod.* 22: *Qui immolat Diis occidetur, præterquam Domino soli.* Idipsum adeo plane ostendit lumen naturale, ut omnes gentes illud confessæ fuerint : « Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit ? » S. Augustinus, X *De Civitate* 4. Et, I *Contra advers. Legis et Prophetarum* 18 : « Dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Nam obsequia cætera quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbiæ fastu homines arrogare ; rarissimi autem commemorantur qui sibi ut sacrificaretur, cum regia potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicumque ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt. » Res patuit luculentissime tempore persecutionum sub ethnicis imperatoribus.

996. Rationem a priori D. Thomas tradit optime, 2-2, q. 85, a. 2, o : Oblatio externa significat sacrificium internum et spirituale, quo anima seipsam offert Deo ; nam exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Porro anima se offert Deo in sacrificium sicut principio suæ creationis, et sicut fini suæ beatificationis : solus autem Deus est creator animarum nostrarum, et in ipso solo animæ nostræ beatitudo consistit. Ergo sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam ipsi soli debemus offerre exteriora sacrificia, juxta illud S. August., X *De Civitate* 19 : « Orantes atque laudantes ad eum diri-

gimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus. » Hoc etiam videmus in omni republica observari, quod Summus Rector aliquo singulari honoratur signo, quod si cuicumque alteri deferrent cives quidam, crimen læsæ majestatis committerent. Unde in Lege veteri statuitur pœna mortis his qui divinum honorem aliis quam Deo vero exhibent.

997. Ideo sacrificium oblatum ei qui non est Deus, non est verum *formaliter*, sed falsum sacrificium. Nihilominus potest ac debet dici verum et essentiale sacrificium : verum quidem et essentiale veritate transcendentali et essentiali, sicut propositio falsa est proprie dicta propositio ; alias nemo posset dici vere idolis dæmonibusve sacrificasse. Vis enim signi non pendet a re significata ; quia aliud est quod sit verum signum, id est, habens ea quæ vere requiruntur ad significandum ; aliud autem quod significet vere, id est, ea quæ significat, ita sint a parte rei. Unde si desideretur conformitas ejus cum re significata, deficit quidem veritas formalis atque moralis, neutiquam autem veritas transcendentalis seu metaphysica.

998. 5° *A legitimo ministro.* Sacrificium non potest institui nisi a publica auctoritate, sicut mox fulciemus; ideo ille solus qui ab auctoritate publica deputatur ad hoc ministerium, potest valide sacrificium offerre. Quod aliunde confirmat luculentissime universalis experientia ; nam, in Lege naturæ, sacerdotes erant, vel capita familiarum, uti Noe, Abraham ; vel ii quibus Deus id inspirabat : in Lege scripta, soli filii Aaron ; et in Lege gratiæ, soli episcopi et presbyteri rite ordinati potuerunt valide sacrificare, ut omnes Patres, omnia Concilia, omniumque ecclesiarum consuetudo docet. Per hoc excluduntur a ratione sacrificii proprie dicti multæ oblationes privatorum hominum, factæ soli Deo, ut cum fideles candelas in templo accendunt consumuntque in honorem Dei. Et hinc patet etiam cur mors martyrum non sit sacrificium proprie dictum, quia licet ex privata eorum intentione sit in Dei cultum, et in protestationem supremæ Dei potestatis in vitam et mortem, non tamen fuit ad hoc instituta per aliquam publicam ac legitimam auctoritatem. Præterea mors martyrum, ex se, non fuit cum ritu mystico perpetrata.

999. *Dices :* Mors Christi fuit simul martyrium et sacrificium. Ergo a pari mors martyrum,

Resp. Nego conseq. et paritatem. Mors Christi fuit potius sacrificium quam martyrium, et quadruplici modo differt a morte martyrum, scilicet ratione personæ, actionis, formæ seu ritus et finis. 1° *Ratione personæ :* Christus est sacerdos in æternum a Deo constitutus ad seipsum offerendum ; martyres autem, qua tales, non poterant victimam eligere pro arbitrio, sed tenebantur victimam a Lege præscriptam offerre. 2° *Ratione actionis :* Christus seipsum vere sacrificavit, quia habebat potestatem animam suam non ponendi, et oblatus est, quia ipse voluit ; martyres vero nec poterant mori quando volebant, neque poterant passionem suam ac mortem impedire quando volebant. 3° *Ratione ritus :* Christus vere mystico ritu sacrificatus est ; non enim casu, sed ipsius electione factum est, ut in die solemni Paschæ, et in ara Crucis, et manibus extensis, et extra portam Civitatis pateretur, ut S. Leo Magnus notat, in epistola 83 ad monachos Palestinos. Et aperte innuit Scriptura, *Joan.* 13 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus ; Hebr.* 13 : *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra ; ita et Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* In morte martyrum nihil ejusmodi reperimus. 4° *Ratione finis :* Proximus et principalis finis mortis Christi fuit placare Deum generi humano, quod est finis proprius sacrificii, juxta illud *Coloss.* 1, 20 : *Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Finis autem proprius mortis martyrum non est Deum placare, sed testimonium veritati perhibere ; et, ex genere suo, mors martyris est actus fortitudinis, quia eligit vitam perdere, potiusquam fidem negare.

1000. 6° *Per ritum mysticum.* « Sacrificia proprie dicuntur quando circa res Deo oblatas aliquid fit ; sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur, et comeditur, et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat ; nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum faciat ; sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur. Primitiæ autem oblationes sunt, quia Deo offerebantur, ut legitur *Deuteron.* 26 ; non autem sunt sacrificia, quia nihil

sacrum circa eas fiebat. Decimæ autem, proprie loquendo, non sunt sacrificia ; neque oblationes, quia non immediate Deo, sed ministris divini cultus exhibentur. » 2-2, q. 85, a. 3, ad 3.

1001. 7° *Cum ejus destructione vel saltem immutatione.* Per sacrificium enim res fit sacra, non quocumque modo, sed consumendo illam in sacrum quod ex illa consurgit (Vide 2-2, q. 86, a. 1) ; alioqui consecratio sacerdotis vel altaris esset sacrificium. Cujus conditionis duplex ratio assignari potest. Prior desumitur ex causa exemplari omnium sacrificiorum, quæ est sacrificium Crucis ; unde cætera magis proprie sacrificia sunt, quo perfectius illud repræsentant. Sicut enim voluit Deus omnes homines per Christi mortem salvari, ita etiam voluit ut hanc fidem suis sacrificiis profiterentur. Quapropter omnia antiqua sacrificia fuerunt adumbrationes sacrificii Christi. Posterior desumitur ex causa finali sacrificii omnis, quæ est summa protestatio subjectionis nostræ ad Deum, et summus cultus externus, qui exhiberi possit. Summa autem ista protestatio requirit, ut non solum usus rei Deo offeratur, sed etiam ipsa substantia, quæ ideo consummari debet. Quapropter in omnibus sacrificiis, non solum Judæorum, sed etiam ethnicorum, res oblata semper destruebatur : animalia et homines occidebantur, adeo ut mactare et sacrificare idem significarent : solida comburebantur : liquida effundebandur, et peculiari *libationum* nomine hujusmodi sacrificia designabantur.

1002. 8° *Ad simul humanam infirmitatem et supremum Dei dominium in creaturas omnes peculiari modo recognoscendum.* « Aliqua significatio moralis est de ratione sacrificii. Unde aliquid in Deo, et aliquid in homine offerente significare debet : in Deo quidem supremam excellentiam, et dignitatem primi principii, ultimi finis, et supremi Domini rerum omnium ; in homine vero subjectionem ad Deum, et recognitionem prædictæ divinæ excellentiæ et potestatis. » Suarez, in 3, disp. 73, sect. 2, n. 2. Ita etiam S. Augustinus, S. Thomas et omnes Ecclesiæ doctores. Ex hoc primario et ultimo fine sacrificium repetit suam formam ac speciem, et fit peculiare præstantissimumque religionis opus ; nam occidere animalia, illa comburere, et cætera ejusmodi sunt opera ex se indifferentia, quæ fiunt bona ac laudabilia religionis opera per hoc quod in honorem Dei deputantur. Et sic patet, sacrificium valde differre a sacramento Eucharistiæ ;

prius directe ac primario respicit Deum, et ad illius cultum ordinatur ; sacramenta vero directe ac primario ad hominum sanctificationem ordinantur.

1003. Addidi *peculiari modo*, quia multa alia, præter sacrificium, adhiberi possunt opera ad recognoscendum supremum Dei dominium ; v. g. homo ad hoc ut protestaretur, se esse a Deo conditum, ab ipsoque posse destrui, posset producere et extinguere ignem, vel aliquid aliud facere. Unde necesse est, ad rationem sacrificii, quod peculiari modo significet supremum Dei dominium. « Multi dicunt, significari per hoc sacrificium quasi per tributum quod homines solvunt Deo ut supremo principi in recognitionem supremæ potestatis ipsius. Hoc tamen in aliis etiam oblationibus reperitur, et in constructione templi, quæ tamen non est sacrificium. Mihi semper placuit ratio quam insinuavit Eusebius, I *De Demonst.*, cap. ult. dicens, *hominem debere vitam suam Deo in sacrificio ; quia tamen hoc non expedit, ideo lege naturæ introductum fuisse ut in sacrificium animalis vel aliquid ejusmodi commutaretur ;* quasi dicat, sacrificium esse protestationem qua homo profitetur, se habere totum suum *esse* a Deo, et ideo dignum esse Deum ut in ejus honorem et cultum idem *esse* et eadem vita consumatur et destruatur ; quod, quia regulariter non licet, offertur pro vita propria vita seu entitas alterius rei, protestando eodem modo nostram vitam oblaturos, si liceret et oporteret. » De Lugo, *De Eucharist.*, disp. 19, sect. 1, n. 4 et 5. Homo enim non accepit a Deo potestatem et dominium supra vitam suam, neque supra vitam consimilium, sed tantum supra animalia, juxta illud *Gen.* 1, 28 : *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.*

ARTICULUS II

DE NECESSITATE SACRIFICII

1004. I. VARIÆ SENTENTIÆ. Quidam hæretici, quos refert S. Augustinus, I *Contra adversarios Legis et Proph.* 18, respuerunt cruenta sacrificia ; alii, quorum meminit Eusebius, I *Demonst. Evang.* 10, sola cruenta Deo digna prædicarunt sacrificia. Utraque autem fuisse Deo grata, atque ideo honesta, compertum habemus ex S. Scriptura, nam sive in Lege naturæ, sive potissimum in Lege scripta, Deus multa utriusque generis sacrificia

præcepit. Sane annon congruentius est Deo quam principibus tributum solvere ?

1005. II. Sacrificium est de jure naturali. Certum est, cultum externum ac publicum esse Deo rependendum, et quidem ex jure naturali, uti ostensum est in tractatu *De Vera Religione*. Certum est etiam, sacrificium esse potissimam partem cultus publici ; ideoque, etsi potest ille cultus aliis operibus persolvi, attamen quam maxime consentaneum est juri naturali colere Deum per sacrificii oblationem. At vero estne præceptum a jure naturali ?

D. Thomas, 2-2, q. 85, a. 1, ad 1, sentit, determinationem sacrificii esse quidem de jure positivo, sicut est de jure positivo quod malefactores tali vel tali pœna afficiantur, de jure autem naturali est quod puniantur. Similiter quod tale vel tale offeratur sacrificium pendet ex institutione humana aut divina ; et propter hoc varia fuerunt sacrificia apud varias gentes. Sed quod sit offerendum Deo aliquod sacrificium est de lege naturæ ; ita enim habet in corpore articuli : « Naturalis ratio dictat homini quod alicui superiori subdatur, propter defectus quos in seipso sentit, in quibus ab aliquo superiore eget adjuvari et dirigi ; et quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus, naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini, secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, subjectionem et honorem exhibeat, secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale. »

S. Clemens I, lib. VI *Const. Apostol.* 20, dicit, antiquos patres naturali lege admonitos sacrificasse. Cui veritati multum favet praxis universalis populorum etiam barbarorum, qui semper divinitati aliqua sacrificia obtulerunt. Vide De Maistre, *Eclaircissement sur les sacrifices*.

1006. III. Quomodo sacrificium est de jure naturali. Sylvius

et alii existimant, sacrificium esse de stricto jure naturæ, ita ut homines proprie dicta obligatione adstringantur ad sacrificandum, peccentque, si hoc officium non curent adimplere. Attamen fatentur, ejusmodi obligationem non pertinere ad primaria legis naturalis præcepta, sed tantum ad secundaria. Suarez et alii non pauci ultro concedunt, sacrificium esse medium aptissimum omnium ad recognoscendum supremum Dei dominium, ipsique publicum cultum solvendum; sed tanquam probabilius habent quod homines, ex solo jure naturali, non sint adstricti ad sacrificia offerenda. Nam eis suppetunt multæ aliæ viæ ad illud dominium publice recognoscendum; et nemo tenetur ad optimum medium eligendum. Ad hoc facit etiam quod S. Clemens I, in eadem constitutione, dicit, antiquos patres, non ex obligatione, sed ex voluntate sacrificasse : et S. Anacletus, *Epist.* 2, docet quoque, antiquos patres spontanea voluntate sacrificium obtulisse.

1007. « Quando igitur aliqui doctores significant, sacrificium esse de lege naturæ, vel loquuntur de sacrificio in communi, prout includit, non solum propria, sed etiam metaphorica sacrificia. Vel loquuntur de sacrificio formaliter, ratione cultus latriæ externi, ut sic, non ratione talis determinationis. Vel denique si de hac etiam loquantur, interpretandi sunt, esse de lege naturæ, id est, consentaneum illi, et impletivum legis naturæ, non tamen simpliciter necessarium. » Suarez, in 3, disp. 73, sect. 8, n. 8.

ARTICULUS III

DE AUCTORE SACRIFICII

1008. « I. Ponitur quæstio. Per se patet, Deum posse hominibus prohibere quominus instituant sacrificia, præter illa quæ ipse instituerit, sicut actum est tum in Lege scripta, tum in Lege gratiæ. Perevidens est etiam, quædam sacrificia, v. g. sacrificium Missæ, non posse institui nisi a Deo. Sed inquiritur an, inspecta tantum generali sacrificii ratione, ab hominibus, et a quibusnam sacrificia institui possint? — Sermo est de institutione divina proprie dicta, id est, quæ immediate a Deo seu a Christo Domino facta sit; nam illa quæ fit ab homine per potestatem a Deo acceptam, licet queat referri in Deum, a quo est omnis hujusmodi potestas, simpliciter tamen humana est, quia huma-

no arbitrio definitur et statuitur. Deinde advertendum est quoque, sermonem non esse de potentia absoluta, sed relativa tantum, scilicet de facto, ex ordinaria Dei providentia ; nam, quum Deus potuisset homini concredere potestatem instituendi sacramenta, a fortiori et sacrificia.

1009. II. Duplex sententia. Aliqui existimavere, sacrificia proprie dicta non posse institui nisi a Deo : *primo* quidem, quia non sunt res minus sacræ ac divinæ quam sacramenta, quorum auctor solus Deus esse potest. *Secundo*, quia in sacrificio aliquid offertur et quasi donatur Deo in ejus cultum et honorem : sed non potest donatio esse rata, nisi constet, Deum illam acceptasse ; neque res oblata potest esse Deo honorifica, nisi ei grata sit.Porro neutrum constare potest, nisi talis modus oblationis ab ipso Deo traditus sit ; v. g. quis ausus fuisset Deum per vituli mactationem honorare, nisi ipse declarasset, hoc sibi gratum habere ? Nihilominus communior et verior sententia oppositum tenet ; et aperte pro illa stat D. Thomas, 2-2, q. 85, a. 1, ad 1.

PROPOSITIO I

Inspecta generali tantum ratione sacrificii, homines potuissent valide ac licite sacrificia instituere.

1010. Prob. 1° *Directe.* Ad rationem sacrificii visibilis sufficit significatio moralis sacrificii invisibilis. Porro hæc significatio, nedum sit supra naturalem hominis facultatem, econtra est illi adeo proportionata, ut propterea dicatur sacrificium esse de lege naturæ. Ergo.

1011. *Confirmatur.* Potest homo imponere voces quibus significet interiorem existimationem quam habet de divina excellentia, et subjectionem ad illam ; ergo potest etiam imponere res aliquas vel actiones ad illam significandam, quia non solum verbis, sed etiam rebus et actionibus potest homo interiorem sermonem exprimere. Ergo eadem ratione potest illam significationem alicui actioni ad sacrificium accommodatæ tribuere.

1012. 2° *Indirecte.* Licet sacrificium sit res sacratissima et divinissima, tamen non datur paritas inter ipsum et sacramentum : sacramentum etenim, ex nativa sua ratione, non tantum significandi, sed etiam aliquatenus producendi sanctitatem vi pollere debet (*De Sacramentis in genere*, n. 39-45); non est

autem homini connaturale adnecti alicui signo sensibili vim et efficaciam conferendi sanctitatem. Sacrificium autem, ex primaria sua ratione, non includit aliquam significationem quæ humanam potestatem excedat, quia satis est quod invisibile sacrificium significet. Habere efficaciam, et quidem ex opere operato, competit quidem aliquibus sacrificiis, maxime sacrificio Missæ ; sed hoc non est de essentia sacrificii in genere sumpti. Ergo.

1013. *Confirmatur*. In sacrificio non fit Deo stricta donatio, ut volunt adversarii, sed consumptio alicujus rei in signum excellentiæ divinæ et humanæ infirmitatis. Deinde, etiamsi appelletur donatio, non est talis quæ requirat propriam acceptationem alterius, quia non transfert dominium rei in Deum, sed solum immutat illam atque in ejus honorem consecrat. Tandem esto quod sit proprie dicta donatio requiratque acceptationem, non est necesse ut speciali revelatione talis acceptatio a Deo fiat ; sed satis est ut aliqua generali lege contineatur ; sicut votum, quod est promissio quædam, requirit acceptationem ejus cui fit, et tamen, ut votum obliget, neutiquam requiritur revelatio acceptationis illius, sed plane sufficit generalis lex qua Deus vult, vota sibi rationaliter facta adimpleri. Porro idem dicendum est de sacrificio ; nam, ut recte dicit D. Thomas, 2-2, q. 85, a. 2, ad 2, dignitas sacrificii, non ex pretio occisi pecoris, sed ex significatione est pensanda. Ergo.

PROPOSITIO II

Nonnisi publica auctoritas sive divina, sive humana potest sacrificia instituere.

1014. Prob. 1° *Scriptura. Hebr.* 5 : *Omnis namque Pontifex ex omnibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Ideo nemo potest offerre sacrificium, nisi qui ad hoc munus deputatur, vel immediate a Deo, vel ab eo qui constituitur super homines, quia nemo potest a seipso constitui valide ac legitime pro cæteris hominibus. Atqui potestas instituendi sacrificium, ex genere suo, major est potestate offerendi illud. Ergo. Cap. 7, 12 : *Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.* Ideo sacerdotii institutio est essentialiter connexa

cum lege, alias non esset accurata S. Pauli illatio ; « sacrificium autem et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit [1]. » Porro lex nonnisi a publica auctoritate institui potest, sicuti ostensum est in tractatu *De legibus*. Ergo. Quod aliunde manifeste patet universali experientia ; nam apud ethnicos et alios populos diversi fuere sacrificiorum ritus sicut et formæ rerumpublicarum : et in populo Dei, quandocumque facta est Legis mutatio, scilicet a statu Legis naturæ in statum Legis scriptæ, et statu Legis scriptæ in statum Legis gratiæ, semper cum Lege mutatus est sacrificiorum usus. Ergo institutio et forma sacrificiorum recensetur inter ea quæ ex publica potestate et communi lege pendent.

1015. 2° *Ratione*. Ad unitatem et concordiam humanæ Reipublicæ expedit, ut omnes conveniant in substantiali modo colendi Deum, qui consistit in sacrificio. Ad hoc autem requiritur, sacrificia auctoritate publica esse instituta, et aliter introduci non posse, tum quia alias esset infinita varietas et confusio in Republica ; tum quia alias daretur occasio superstitionibus et variis idololatriis. Unde Aristoteles, lib. *Rhetor.*, ad Alexandrum, dicit, necessarium esse in sacrificiorum religione ritus patrios et receptos servari. Et confirmatur, nam sacrificium est res maxime sacra inter omnes externas, et ideo decentissime offerri debet : porro hoc fieri nequit, nisi ritus ab auctoritate publica, et non a privatis hominibus, institui possit ; ergo.

1016. *Dices :* Saltem homo potest, ad privatum usum, adhibere quædam signa externa quæ sint protestatio sacrificii interni, atque ideo proprie dicta instituere sacrificia ; nam si aliqui homines solitariam vitam degerent, atque nullius societatis membra essent, signa hujusmodi possent, privata auctoritate, adhibere. Ergo.

Resp. Nego anteced. Etsi enim res absolute et in alio ordine possibilis esset ; tamen non potest admitti in institutione generis humani, prout de facto se habet. Quippe nec homini naturale est vitam adeo solitariam degere, ut nullius omnino societatis membrum sit ; neque etiam est moraliter possibile ut in Republica humana, præsertim bene instituta, non sint sacrificia, publica auctoritate definita. Ideo simpliciter loquendo de sacrificiis,

[1] Trident., sess. 23, cap. 1.

prout moraliter veniunt in usum hominum, dicendum est, ut legitima sint, necessario publica auctoritate esse instituenda, nec nomen sacrificii, in propria et usitata significatione, posse attribui alicui signo, nisi publica lege sancitum sit; sacrificium enim, sicut et sacramentum, est signum ad nutum, cujus proinde significatio pendet ab arbitrio et usu, non privati hominis alicujus, sed totius communitatis; quia vis et significatio rerum quatenus adhibentur ut arbitraria signa, non minus quam significatio vocum, a communi more hominum pendet.

ARTICULUS IV

DE SACRIFICIORUM SPECIEBUS

I. — Ratione causæ instituentis.

1017. Ratione originis seu auctoris, sacrificia dividuntur in sacrificia *Legis naturæ*, *Legis veteris* seu *scriptæ*, *et Legis novæ* seu *gratiæ*; nam sicut hæ leges diversæ sunt, ita diversa sacrificiorum genera illas comitantur, quæ inter se multipliciter differunt.

Primo, differunt in auctore. Nam sacrificia Legis naturæ non fuerunt immediate a Deo tradita, sed determinatio eorum hominibus commissa est. Quod regulariter et juxta usum frequentiorem esse intelligendum censeo; nam interdum fortasse aliquod sacrificium tunc fuit institutum ex speciali revelatione et instinctu divino, ut de sacrificio Melchisedech credibile est. Sacrificia autem Legis veteris omnia fuerunt a Deo immediate instituta et a Moyse promulgata. Sacrificii vero Legis novæ solus Christus Deus et homo auctor est.

1018. *Secundo, differunt in effectu.* Sacrificia enim Legis naturæ per se et vi sua, seu ex opere operato, nullum habebant effectum, sed solum ex devotione et fide offerentium valere poterant. Sacrificia autem Legis veteris in hoc etiam fuerunt præcedentibus similia, quia nullum etiam spirituale et internum donum vi sua conferebant. Differebant tamen, quia saltem irregularitates et immunditias legales auferebant. At vero sacrificium Legis novæ habet effectus proprios, vi sua et ex opere operato; de quibus infra agemus.

1019. *Tertio, differunt in significatione et ritu externo.* Et de ritu quidem id satis patet ex historia veteris Testamenti,

præsertim ex *Levitico*. De significatione vero facile declaratur; nam agitur de significatione mystica, scilicet passione Christi, quam antiqua sacrificia significabant ut futuram ; et ideo omnia erant tanquam umbræ et figuræ, dum sacrificium novæ Legis in re ipsa non differt a sacrificio Crucis. Quoad moralem significationem, conveniunt omnia sacrificia; quippe omnia eumdem cultum internum, eamdemque existimationem de divina excellentia et majestate significant.

II. — Ratione materiæ.

1020. Ratione materiæ seu rei oblatæ, sacrificia dividuntur in *hostiam* seu *victimam*, in *immolationem*, et in *libamen*, prout vel animalia, vel fructus terræ, vel liquores offeruntur. Solebant gentes, priusquam bella committerent, vitulos, columbas, agnos, passeres, etc., mactare in honorem Dei ; ideo *hostiam* nuncuparunt animal oblatum, vel ex eo quod contra hostes incedebant, vel certe quia in ostio templi mactabant illud. Et similiter vocabatur *victima*, vel quia offerebatur pro victoria impetranda, vel in gratiarum actionem pro jam obtenta, vel certe quia animal vinctum ad sacrificium offerebatur. Fructus autem terræ, quia communiter sub mola conterebantur, *immolationes* dicebantur. Tandem liquores, uti vinum, oleum, sanguis, etc., quia fundebantur, eorum oblationes dictæ fuerunt *libamina*. In Lege autem nova unicum Missæ sacrificium hæc omnia eminenter continet ; in eo enim Christus offertur, quia est viva hostia et excellentissima victima; et quia sub speciebus panis et vini offertur et sumitur, excellentiori modo habet quidquid ad rationem immolationis et libaminis spectat.

III. — Ratione formæ.

1021. Ratione formæ seu variorum modorum quibus fit actio consecrativa, sacrificia dividuntur præcipue in *holocaustum*, *hostiam pro peccato*, et *hostiam pacificam*. Holocaustum, hebraice ascendens, juxta quosdam, sic dictum fuit ex eo quod igne consumptum, totumque in vaporem et fumum resolutum, quasi ascendebat. Juxta alios, *holocaustum* est vox græca, quæ idem sonat ac incensum, quia tota victima consumitur. In *hostia pro peccato*, una pars victimæ cremabatur, et altera cedebat in cibum sacerdotum. *Hostia pacifica* partim igne, partim usu sacerdotum,

partim usu eorum qui obtulerant victimam, consumebatur. Hæc partitio potissimum habebat locum in sacrificiis animalium ; sed aliquo modo accommodabatur fructibus terræ, ut similæ, tritico, etc.; omnes enim aliquo ex prædictis modis consumebantur. Horum sacrificiorum varias a Patribus traditas rationes collegit D. Thomas, 1-2, q. 102.

1022. *Nota.* Habita simul ratione materiæ et formæ, sacrificium dividebatur in *cruentum*, et *incruentum*, prout fiebat cum sanguinis effusione, sicut in omnibus sacrificiis animalium contingebat ; vel prout fiebat sine sanguinis effusione, uti in sacrificiis frugum terræ. Sacrificium novæ Legis, ut postea videbimus, formaliter et proprie incruentum est, tum quia Christus in eo oblatus semel tantum mori debuit ; tum quia ita decebat perfectionem et puritatem Legis gratiæ. Attamen potest hoc sacrificium dici eminenter et mystice cruentum, quia in eo vera caro et verus sanguis offertur, cum quadam mystica repræsentatione sacrificii cruenti, et sacramentali eorum separatione, quantum est ex vi verborum.

IV. — Ratione finis.

1023. Ratione finis, sacrificium dividitur in *latreuticum*, *propitiatorium*, *eucharisticum*, et *impetratorium*. Si sacrificium non offeratur propter alium finem, quam ad honorem Deo persolvendum, signanter appellatur *latreuticum ;* cujusmodi erat holocaustum in veteri Lege, quod propterea totum cremabatur, ut apertius significaretur, id totum quod creatura est, pertinere ad Deum. Unde perfectissimum ac primum erat sacrificiorum ; nam maxime obligamur Deo honorem deferre, ob ipsius infinitam majestatem, quia est principium et finis rerum omnium ; quocirca sacrificium latreuticum dicitur ad statum perfectorum pertinere. Ratione dignitatis, secundum locum obtinet sacrificium *propitiatorium*, quod offertur pro peccatis delendis ; qua de causa dicitur etiam *hostia pro peccato*, quæ statui incipientium correspondet. Tertium locum obtinet sacrificium *eucharisticum*, quod offertur ad gratias Deo agendas pro beneficiis acceptis ; unde vocatur etiam *hostia pacifica*, vel *sacrificium laudis ;* et correspondet statui proficientium. Tandem venit sacrificium *impetratorium*, quod offertur Deo pro novis ab ipso efflagitandis beneficiis ; unde correspondet etiam statui proficientium. Pro-

pterea D. Thomas, 1-2, q. 102, a. 3, ad 8, eucharisticum et impetratorium complectitur sub communi nomine *hostiæ pacificæ*. Vide totam illam quæstionem, ubi Angelicus doctor, pro more suo, acutissime una et luculentissime, etsi compendiose, sacrificiorum veteris Legis rationes expendit. Illa omnia sacrificia eminentissimo modo continet Missæ sacrificium, de quo jam exclusive disserere oportet, atque ejus investigabiles divitias corde et animo rimari.

CAPUT II

DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ

1024. Error Protestantium. Lutherus, in formula Missæ quam edidit pro ecclesia Witembergensi, retinuit omnia quæ ab Introitu usque ad Symbolum inclusive occurrunt; quæ autem subsequuntur, nempe ab Offertorio, vocat *abominationem*. Illi plauserunt Melanchthon, Calvinus, Beza, etc., et cum ipsis omnes pseudoreformatores. Ratio est, quia in nova Lege non esse debet nisi sacrificium spirituale, nam *veri adoratores in spiritu adorabunt Patrem*, ut dicitur, *Joan.* 4. Christus nobis dedit quidem mensam in qua epulemur, non autem altare super quod victimas offeramus; neque consecravit sacerdotes qui immolent, sed tantum instituit ministros qui sacrum epulum distribuant. Quapropter Protestantes suos parochos vocant *ministros*, neutiquam vero *sacerdotes;* et in celebratione Cœnæ non agnoscunt nisi improprie dictum sacrificium, scilicet nudam commemorationem sacrificii Crucis, quod, utpote infiniti valoris, de se fuit sufficientissimum ad placandum Deum, eique pro omnibus peccatis satisfaciendum. Contra quos :

PROPOSITIO

In Missa seu celebratione Eucharistiæ, verum et proprie dictum offertur sacrificium.

I. — Probatur Figuris.

1025. I. Ex figura sacrificii melchisedech. *Gen.* 14, 18 et 19 : *At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* Unde sic : Melchisedech obtulit proprie dictum sacrificium in pane et vino. Porro hoc sa-

crificium fuit figura Missæ seu sacrificii Eucharistiæ. Ergo Missa est proprie dictum sacrificium. Consequentia patet, nam exemplar nullo pacto potest esse imperfectius figura. *Prob. major. Primo*, vox *proferens* in talibus adjunctis pronuntiata significat adductionem hostiæ, ita ut sensus sit idem ac sacrificare, sicut videre est, *Genesis* 4, ubi sacrificia Cain et Abel describuntur; et, *Judith* 4, bis habetur idem verbum in textu hebraico, quem Vulgata vertit per *offerre, obtulit*. Vide Bellarm., *De Missæ sacrif.*, et Cornelium a Lapide, in *Genes.* 14. — *Secundo*, Melchisedech perhibetur proferens panem et vinum quatenus est sacerdos Altissimi. Porro ut sic nonnisi hostiam sacrificii proferre poterat; alias omnino inepta esset causalis : *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* — *Tertio*, Abraham e prælio redibat cum hostium uberiore præda, in qua erant etiam quæ pertinent ad cibum ; imo nuperrime manducaverat et biberat ; unde, non propter famem sedandam sitimque refocillandam, uti crasse somniavit Calvinus, Melchisedech Abrahæ panem et vinum porrexit, sed ea obtulit in sacrificium, ut pro victoria Deo gratias simul agerent omnes. — *Quarto*, quum Scriptura in multis locis describat sacerdotium Melchisedech ut distinctum ab Aaronico, et ut simillimum sacerdotio Christi, debuit profecto alicubi tradere quale fuerit sacrificium Melchisedech ; siquidem ad sacrificium ordinatur sacerdotium, et, sacrificio ignorato, necesse est etiam, sacerdotium ignorari. Porro nusquam, nisi in hoc loco, fit mentio sacrificii quod obtulerit Melchisedech. Ergo oportet per panem et vinum, non profanos, sed sanctificatos cibos, et Deo prius oblatos intelligere.

Nota. Difficultates quas Protestantes, potissimum Calvinus et Kemnitius depromunt ex textu hebraico, acutissime confodit inconcusseque dissolvit Bellarminus, I *De Missa* 6.

1026. *Prob. minor. Psalm.* 109 : *Juravit Dominus ; et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Idem aperte docet S. Paulus, *Heb.* 7, ubi dicit, non tantum, Melchisedech gessisse Christi figuram (quod etiam de Aarone dici potuisset), sed Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Porro sacrificium Melchisedech fuit incruentum, et, sub speciebus panis et vini, ejusdem Christi corpus et sanguinem figuravit. Ergo Christus instituit et sacrificium incruentum, et sub speciebus panis et vini, sicut canit Ecclesia in

Vesperis festi *Corporis Domini :* « Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit. » Deinde in eodem capite epist. *Hebr.*, S. Paulus infert, sacerdotium Christi esse sempiternum, scilicet esse duraturum usque ad finem mundi, dum sacerdotium Leviticum esset transferendum. Porro sacerdotium Christi non durat usque ad finem mundi, nisi per sacrificium Missæ ; nam sacrificium Crucis semel oblatum est, nec repeti potest, quum *Christus ex mortuis resurgens jam non moritur, mors ultra illi non dominabitur*. Ergo. — Tandem, quia Christus est sacerdos in æternum, jam fuit sacerdos in veteri Lege, quatenus in omnibus victimis ipse immaculatus Agnus typice mactabatur, juxta illud *Apoc.* 13 : *Agnus occisus ab origine mundi ;* a fortiori, quia est sacerdos in æternum, erit sacerdos post Incarnationem, quando nimirum reipsa appellatur a Patre sacerdos in æternum, sacerdos sine successore. Porro, si illius sacrificium nullum est in Ecclesia, quorsum appellatur sacerdos in æternum? quorsum D. Paulus docet, manere sempiternum ejus sacerdotium ? Ergo. Unde in canone Missæ : « Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. »

Nota. Argumentum a sacerdotio sacrificioque Melchisedech depromptum Bellarminus iterum reddit robustissimum atque illustrat mente et usu Patrum Ecclesiæ, quorum luculentissima testimonia non vacat referre.

1027. *Dices :* 1° Melchisedech dictus est sacerdos Altissimi, non quia obtulit sacrificium, sed quia benedixit Abraham. — 2° Si oblatio Melchisedech fuisset figura Missæ, de hac locutus fuisset Apostolus, qui, *Hebr.* 7, minima quæque excutit. — 3° Aaronicum sacerdotium obtulit etiam sacrificia in pane et vino, sicut patet *Exod.* 29, et *Numer.* 28. Ergo non in hoc Melchisedech fuit figura Christi quod obtulerit panem et vinum. — 4° Melchisedech incruentum, Christus vero cruentum in Cruce obtulit sacrificium, quod certe fuit præcipuum, et ex quo denominari debet Christi sacerdotium. Ergo. — 5° Ut Christus dicatur sacerdos in æternum, non est necesse quod offerat perenne sacrificium usque ad consummationem sæculi, tum quia manet

in æternum ; tum maxime quia fructus sacrificii Crucis sunt perennes, et ipse *semper est vivens ad interpellandum pro nobis*, atque *per ipsum habemus accessum ad Patrem*. Ergo.

Resp. ad primum : Hæc interpretatio vim incutit textui sacro : nec ex illa benedictione D. Paulus infert quod Melchisedech fuerit sacerdos, sed tantum quod fuerit major ipso Abraham, quia minor benedicitur a majore ; nam et ipse Abraham erat sacerdos. — *Ad secundum :* In primis non fuit Apostoli scopus meminisse sacrificii Missæ ; id enim nihil omnino conferebat ad suum propositum, videlicet ad ostendendam excellentiam sacerdotii Christi supra Leviticum : unde inculcat, Melchisedech fuisse sine patre et matre, sine genealogia, benedixisse Abrahæ, ab eo accepisse decimas, atque ideo Aaronicum sacerdotium fuisse decimatum in lumbis Abrahæ. Deinde peculiari consilio nihil dixit de sacrificio Missæ, quod altius est mysterium, quam ut capi tunc posset ab Hebræis ; unde, cap. 5, dicit de Melchisedech : *De quo grandis nobis sermo, et interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Ideo etiam nihil dicit de pane et vino quæ obtulit Melchisedech, licet alia omnia plane exposuerit. Ratio est, quia suam epistolam, non tantum ad conversos, sed etiam ad infideles Judæos direxit. — *Ad tertium :* Tanquam aliquid valde secundarium, et quasi condimentum alterius sacrificii, *concedo ;* tanquam principale sacrificium, *nego.* Unde sacrificium Melchisedech fuit penitus incruentum ; dum Leviticum sacerdotium utriusque generis, incruenta scilicet et cruenta offerret sacrificia. — *Ad quartum :* Utique sacrificium Crucis, si per se consideretur, non fuit secundum ordinem Melchisedech ; unde Christus non dicitur sacerdos in æternum, ratione illius sacrificii, quod non fuit oblatum in pane et vino. Qua de causa, Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non quomodocumque, sed *in æternum*, id est, ratione sacrificii quod oblaturus erat usque ad consummationem sæculi. Attamen quia Christus erat sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sacrificium quod obtulit in ara Crucis, potest, sub hoc respectu, dici etiam secundum ordinem Melchisedech ; propterea Apostolus, *Hebr.* 5, Christum in ipsa Cruce sacerdotem dicit secundum ordinem Melchisedech. — *Ad quintum : Nego ;* alias sacrificium quod Noe obtulit post diluvium, esset quoque in æternum, siquidem, ex *Gen.* 8, illius fructus manet in æternum, scilicet quod diluvium non

redeat super terram. Similiter Christus deberet dici natus, passus, crucifixus in æternum : atqui hoc dici nequit ; ergo. Nec satis est quod Christus interpellet pro nobis, ut vere ac proprie dicatur sacerdos, alioqui ipsimet laici essent proprie dicti sacerdotes ; sed oportet ut verum ac proprie dictum offerat sacrificium ; quod esse non potest in cœlo, ut patet, sed tantum in Eucharistia.

1028. II. Ex figura Agni paschalis. Celebratio Agni Paschalis fuit verum ac proprie dictum sacrificium. Porro hæc figura non impleta est, nisi in celebratione Eucharistiæ. Ergo celebratio Eucharistiæ est verum et proprie dictum sacrificium. *Prob. major.* Constat unanimi Patrum consensu et apertissimis Scripturæ locis : *Exod.* 12 : *Immolate Phase... Victima transitus Domini est.* — *Num.* 9 : *Si quis mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* — *Marc.* 14 : *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant,* — I *Cor.* 5 : *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

1029. *Prob. minor. Primo*, in ultima Cœna, Apostoli manducaverunt carnem Christi, uti ostensum est fusius in priori parte, ac proinde verum Agnum Paschalem, ad cujus epulas nos hortatur S. Paulus, I *Cor.* 5 : *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* Porro in Crucis sacrificio non subsecuta est manducatio carnis Christi. Ergo. *Secundo*, Christus, post cæremoniam Agni Paschalis, continuo subjunxit celebrationem Eucharistiæ, nec in aliud tempus, neque locum distulit, ut aperte ostenderet, se, nova ista cæremonia, cæremoniæ veteri finem imponere. *Tertio*, necesse erat Agnum Paschalem occidere die decima quarta primi mensis, ad vesperam (*Exod.* 12). Porro hic ritus apprime convenit celebrationi Eucharistiæ ; neutiquam vero Crucis sacrificio, quod fuit consummatum in meridie diei decimæ quintæ. *Quarto*, Agnus Paschalis immolabatur in memoriam transitus Domini et liberationis populi de Ægypto ; ita Eucharistia celebratur in memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem, et nostræ liberationis a potestate diaboli, sicut optime declarat concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 1 : « Celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per

sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. » Porro neutiquam Christus fuit crucifixus in *memoriam* transitus alicujus aut liberationis. *Quinto*, Agnus Paschalis immolabatur ut esset quasi viaticum peregrinorum ; et propterea Judæi dum illum manducarent, habitum peregrinorum præ se ferebant cum baculis et calceis. Porro hæc neutiquam sacrificio Crucis, sed Eucharistiæ adamussim conveniunt ; quid est enim, nisi frumentum electorum et viaticum peregrinantium ad cælestem patriam ? *Sexto*, Agnus Paschalis non poterat manducari, nisi a circumcisis et mundis, et quidem in Jerusalem : sic Eucharistia non potest sumi, nisi a baptizatis et mundis, et quidem intra Ecclesiæ Catholicæ gremium. Porro non solum baptizati et mundi, sed etiam alii omnes possunt ac debent Christum, ut in Cruce immolatum, fide manducare ; fides enim præcedit et Baptismum, et justificationem. Deinde nec in domo, neque in Jerusalem, sed extra portam in aperto campo Christus crucifixus est. Ergo.

COROLLARIUM

1030. Ex his omnibus evidentissime colligitur quod, si figura Agni Paschalis non fuerit impleta in celebratione Eucharistiæ, in nullo alio sacrificio impleta est. Porro hoc est impossibile, quia Judæis omnia contingebant in figura (I *Cor.* 10, 11). Nihilominus, quia Missæ sacrificium est repræsentatio sacrificii Crucis, eo ipso Agni Paschalis mactatio fuit *mediate* figura illius sacrificii ; unde S. Joannes, cap. 19, reddit causam cur non fuerint confracta in Passione Christi crura, et refert quod scriptum est de Agno Paschali (*Exod.* 12, 36) : *Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo.*

1031. *Nota.* Adverte tamen, Agnum Paschalem non adumbrare quoad omnia Missæ sacrificium ; figuræ enim singulæ partim tantum, et sub peculiari aspectu, adumbrant Eucharistiæ sacrificium. Agnus Paschalis, etsi perfectissima Eucharistiæ figura, non ideo fuit adæquata ; alias cæteræ fuissent inutiles. Quapropter Missa, quatenus est sacrificium incruentum, non in celebratione Agni Paschalis, bene vero in sacrificio Melchisedech fuit præfigurata.

1032. III. Ex figuris variorum sacrificiorum. *Exod.* 24, describitur celebratio veteris Testamenti, nam post datam Legem in monte Sina, pepigit Deus fœdus cum Hebræis et multa bona eis promisit; et ipsi vicissim obedientiam mandatorum promiserunt Deo. Sancitum est hoc fœdus solemni sacrificio, et sanguinis aspersione, his verbis: *Hic est sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus*, ut Apostolus recitat, *Hebr.* 9, allegans verba Moysis, *Exod.* 24. Porro hæc figura impleta est in ultima Cœna, institutione Eucharistiæ; nam in primis expresse S. Lucas, 22, et S. Paulus, I *Cor.* 11, dicunt: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* S. Matthæus, 26, et S. Marcus, 14, dicunt: *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Deinde, ut docent antiquissimi Patres, Christus prorsus suum condidit Testamentum in ultima Cœna, et late demonstrat Suarez, in tract. *De Incarnatione*, et Bellarminus, I *De Missa* 8. Hic ita persequitur: « Sanguis Testamenti veteris, apud Moysen, erat sanguis victimæ jam immolatæ et vere ac proprie sacrificatæ, ut patet *Exod.* 24. Ergo sanguis Testamenti novi, apud Christum, est sanguis victimæ immolatæ et vere ac proprie sacrificatæ. Est autem sanguis ille sanguis Christi, ut ipse dicit: *Hic est sanguis meus.* Ergo ipse fuit victima in Cœna immolata et sacrificata. »

« Neque responderi potest, sanguinem Christi in Cœna fuisse sanguinem victimæ futuræ in Cruce; nam in Exodo prius immolata est victima, deinde sanguis aspersus in populum his verbis: *Hic est sanguis*, etc. Ergo etiam Christus prius debuit se ipse victimam facere et immolare; deinde de sanguine dicere: *Hic est sanguis*, etc. Præterea nulla ratio patitur, ut prius sanguis victimæ hauriatur, deinde victima immoletur, cum econtrario ex immolatione sanguis sequatur. Denique, cum in figura Testamenti veteris (*Exod.* 24) tria inveniantur: primo, promulgatio Legis coram populo: secundo, immolatio victimæ fœderalis seu pacificæ: tertio, aspersio sanguinis et manducatio victimæ, et Christus impleverit primum, cum ait: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;* et tertium, cum ait: *Comedite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus;* quis credat, prætermissum fuisse secundum, nimirum victimæ immolationem? » Unde concil. Tridentinum, sess. 22, cap. 1: « Hæc denique illa (oblatio) est quæ (*Gen.* 4 et 22, *Levit.* 1 et 3, et alibi) per varias sacrificiorum, Naturæ, et Legis

tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio, complectitur. »

II. Probatur Vaticiniis.

1033. I. Daniel. 12, 11 ; *Et a tempore cum oblatum fuerit Juge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Unde sic : Ultimis diebus, scilicet tempore Antichristi, auferetur in Ecclesia Juge sacrificium. Porro hoc Juge sacrificium est sacrificium Missæ. Ergo Missa est verum ac proprie dictum sacrificium. Minor patet, quia nihil est in Ecclesia Christi, præter Missam, quod sacrificii rationem sibi adsciscere queat; et aliunde conceditur ab adversariis; nam Antichristus non poterit auferre sacrificium Crucis. Tota igitur difficultas vertitur circa majorem, quod videlicet in Ecclesia Christi erit Juge sacrificium quando apparebit Antichristus. — *Prob. major.* Si litteraliter verba Prophetæ sumantur, ibi est sermo de Antiocho, qui populum Dei vehementer insectatus est ; sed allegorice prædicant Antichristum. Primum enim agitur de temporibus quibus, post magnam afflictionem, reliquiæ Judæorum salvabuntur. Deinde regem cui alludit, Propheta perhibet ut pugnaturum contra omnes Deos; porro Antiochus palam coluit Deum patrum suorum. Præterea S. Paulus, II *Thessal.* 2, v. 2, 3 et 4, illum Danielis locum exponit de tempore quo *instabit dies Domini, et homo peccati, filius perditionis sedebit in templo Dei;* similiter S. Joannes, *Apoc.* 13, exponit de Bestia, quæ in ultimis temporibus blasphemabit, cogens adorare imaginem suam, et sanctos debellabit. Ergo agitur de Jugi sacrificio quod futurum est in Ecclesia Dei, et quidem de proprie dicto sacrificio, tum quia dicitur simpliciter in numero singulari *Juge sacrificium ;* tum quia, apud Hebræos, Juge sacrificium non erant sacrificia spiritualia et metaphorica, sed duo agni qui offerebantur quotidie in holocaustum, unus mane, alter vespere, ut patet *Exod.* 29, et *Num.* 28.

1034. II. Malachiæ 1 : *Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum et offertis super altare meum panem pollutum et cæcum, claudum ac debilem immolatis; non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum, ma-*

gnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Propheta vaticinatur reprobationem sacerdotii necnon sacrificiorum Judæorum, vocationem gentium ad fidem, et novum sacrificium : quæ omnia prophetico more describit tanquam præsentia, propter certitudinem prophetiæ. Illa oblatio munda quæ offertur in omni loco, non potest intelligi de sacrificiis Judæorum, quæ in uno loco tantum, nempe in Jerusalem, offerri poterant, et quæ aliunde, utpote carnalia, poterant ab omnibus pollui, dum oblatio munda de qua agitur, nulla offerentium nequitia contaminari potest, sicut docet Trident., sess. 22, cap. 1 : « Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit. » Neque a fortiori intelligi potest de sacrificiis ethnicorum, quæ varia atque polluta sunt; aliunde hæc sacrificia nec in puritate, neque in sanctitate superabant sacrificia Judæorum, quæ a Deo ipso fuerunt instituta, et quæ perfectior fidei expressio erant. Quibus præhabitis : Vel ibi agitur de sacrificio Missæ, vel de sacrificiis mere spiritualibus et improprie dictis, sicut contendunt Protestantes. Atqui posterius falsum est. Ergo.

1035. *Prob. minor. Primo,* ex generali regula, quæ servanda est in interpretandis Scripturis, nempe earum verba in sensu obvio et litterali sumenda sunt, nisi hic sensus involvat contradictionem, aut excludatur per alia loca, aliunde notissima. Atqui, etc. — *Secundo,* contextus non patitur sensum metaphoricum; sacrificia enim quæ ibi reprobantur, sunt proprie dicta sacrificia; ergo et illud quod eis successurum est. Aliunde agitur de sacerdotibus tantum, et non de omni populo; ergo non agitur de sacrificiis spiritualibus, quæ ab omni populo offerri debent. — *Tertio,* sacrificia spiritualia sunt numerosiora: porro sacrificium, de quo agitur, est unicum; ergo. — *Quarto,* sacrificia spiritualia seu bona opera non succedunt sacrificiis judaicis, quum omnibus justis in quocumque statu degentibus communia sint : atqui Propheta loquitur de oblatione nova quæ succedere debet sacrificiis legis Mosaicæ; ergo.—*Quinto,* oblatio de qua agitur erit munda per excellentiam, ita ut, respectu illius

cæteræ oblationes tanquam immundæ habeantur : porro sacrificium Missæ duntaxat est mundissimum, et ratione ritus, et potissimum ratione victimæ. — *Confirmatur.* S. Clemens I, lib. VII *Constit. Apost.* 31, S. Justinus Martyr, in *Dialogo cum Triphone,* S. Irenæus, IV *Adversus hæres.* 32, S. Chrysost., in *Psalm.* 95, S. August., *Contra advers. Legis et Proph.* 20, S. Damascenus, IV *De fide orthodoxa* 14, et communiter alii Patres hoc Malachiæ vaticinium exponunt de sacrificio Missæ.

III. Probatur novo Testamento.

1036. I. Ex verbis de sacrificio generatim. *Matth.*, 5, 23 et 24 : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare,* etc. Ibi agitur de vero ac proprie dicto altari, ut patet; sed altare supponit verum ac proprie dictum sacrificium; atque (sicut docet S. Irenæus, IV *Advers. hæres.* 34, S. Optatus Milevitanus, VI *Contra Parmenianum*, et cæteri Patres), quum ibi Christus loquatur pro tempore Legis novæ (imponebat enim novum mandatum), inferendum est, existere in Lege nova verum ac proprie dictum altare et sacrificium Atqui hoc sacrificium non potest esse aliud quam Missa. Ergo.

1037. *Joan.* 4, ipse Dominus ita mulierem Samaritanam alloquitur : *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem..... Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Unde sic : Christus ibi loquitur de sacrificio proprie dicto in sua Ecclesia instituendo. Porro hoc sacrificium est Missa. Ergo. Minor est evidens, quum nihil aliud præter Missam possit in Ecclesia Christi rationem sacrificii habere; unde ultro concedunt Protestantes, Missam esse sacrificium, si in Lege gratiæ oporteat, præter sacrificium Crucis, aliud sacrificium stricte sumptum admittere.

1038. *Prob. major.* Ibi *adorare* sumitur per antonomasiam; quia enim potissimus adorationis actus est sacrificium, inde *adorare* dicitur pro *sacrificare*, ut sæpius in S. Scriptura occurrit; sic *Gen.* 22, Abraham instructus gladio et igne ad sacrificandum, dixit famulis suis : *Expectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos;* et *Joan.* 12 : *Erant quidam gentiles, qui ascen-*

derant, ut adorarent in die festo; et *Actuum* 8, Eunuchus Æthiops venerat similiter *adorare* seu *sacrificare* in Jerusalem, quia non licebat alibi sacrificare; adoratio autem simplex ubique fieri poterat, sicut et preces. Ergo vox *adorare* sæpe sæpius in Scripturis idem sonat ac *sacrificare*. Quod vero in præsenti adorare significet sacrificare, constat multipliciter: *Primo*, mulier Samaritana loquitur de sacrificio proprie dicto, quod offertur in monte Garizim, et opponit illud sacrificiis quæ Judæi contendebant, in Jerosolymis tantum offerre fas esse; ædificatio enim templi in monte Garizim occasio fuit schismatis Samaritanorum. — *Secundo*, ex verbis Christi: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem;* quorum sensus est: « Veniet tempus, quando non erit alligata adoratio per sacrificium, nec huic monti, neque Jerosolymis, sed in omni loco offeretur Domino oblatio munda; veri adoratores, id est, Christiani, adorabunt Patrem sacrificio spirituali et vero, non autem carnali et typico, ut Judæi faciunt. » Opponitur enim spiritus carni, et veritas figuræ. Porro sacrificia Judæorum erant carnalia atque umbræ sacrificii Christi; et cultus Samaritanorum falsus erat, utpote falsis diis tributus. Ergo utrique Christus opponit sacrificium et ritum novum, dicens: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.* Deinde verba *venit hora et nunc est* manifeste innuunt, Christum loqui de nova adoratione, quæ exordium ab ipso est sumptura. Atqui adoratio simplex et omnia sacrificia improprie dicta, in omni loco et tempore, sive ante, sive post Christum, fuerunt honesta ac licita. Ergo Christus loquitur de sacrificio proprie dicto in nova Lege instituendo; loquitur enim de externa et publica adoratione, quæ debet sacrificiis in monte Garizim et in jerosolymitano templo oblatis succedere.

1039. II. Ex verbis institutionis. Christus, in ultima Cœna, celebravit proprie dictum Eucharistiæ sacrificium, jussitque illud offerri in sua Ecclesia. Porro hoc sacrificium aliud esse non potest quam sacrificium Missæ. Totum controversiæ punctum consistit in prima parte majoris, utrum scilicet Christus in ultima Cœna proprie dictum obtulerit sacrificium? Atque pars affirmans multipliciter potest suaderi:

1040. *Primo*, in priori parte, inconcusse demonstratum est, Christum esse vere, realiter ac substantialiter præsentem in Eu-

charistia, atque in ultima Cœna Apostolis dedisse corpus suum ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum. Porro hanc manducationem potationemque præcessit immolatio; caro enim et sanguis non sunt apta ad refectionem, nisi præcesserit mors animalis; Christus vero non moritur, nisi per immolationem. Ergo. Hoc argumentum eleganter exposuit S. Greg. Nyss., *Hom. I De resurrectione:* « Qui omnia pro Dominica potestate et auctoritate administrat, non expectat Pilati Judicium, sed per ineffabilem et arcanum sacrificii modum sua dispositione et administratione præoccupat impetum violentum, ac sese in oblationem et victimam offert pro nobis, Sacerdos simul et Agnus Dei. Quando hoc accidit? cum suum corpus ad edendum, et sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet enim perspicuum est, quod ove vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit; cum igitur dedit discipulis suis corpus ad comedendum, aperte demonstravit, jam fuisse perfectam et absolutam immolationem. »

1041. *Secundo,* luculentissime SS. Patres hanc veritatem docent: S. Cyprian., lib. II, *Epist.* 3: « Quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet et vinum, hoc est, suum corpus et sanguinem. » — S. Chrysost., *Hom.* 24, in I *Cor.:* « Pro brutorum cæde seipsum offerendum præcepit. » Et *Hom.* 2, in II *Timoth.:* « Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo quoque conficiunt: nihil habet ista quam illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat. » — S. August., *in Psalm.* 33, concione 2: « Ipse de corpore et sanguine suo sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech. »

1042. Unde concil. Tridentinum, sess. 22, cap. 1: « Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in

finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis quos, tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* »

1043. III. Ex verbis usum innuentibus. I *Cor.* 10: *Fugite ab idolorum cultura. Ut prudentibus loquor; vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Unde sic:

Primo, D. Paulus apertissime comparat Eucharistiæ sacrificium cum sacrificiis Judæorum et Gentilium; dicit enim, ita nos fideles sumere de mensa Domini corpus et sanguinem Domini, ut sumunt Judæi hostias, et Gentiles idolothyta ex suis altaribus seu mensis. Quæ comparatio inepte et perperam ab Apostolo adducta est, si Eucharistia non est sacrificium Deo oblatum, sicut cibi illi Judæorum et Gentilium sunt sacrificia Deo vel idolis oblata. Agit enim de cultu idolorum, a quo declinare oportebat: porro idola colebantur maxime per sacrificia et per eisdem participationem, juxta illud: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Apostolus aperte de sacrificio Eucharistiæ, non autem de sacrificio Crucis, sicut contendunt Protestantes, loquitur; nam dicit: *Calix benedictionis... Panis quem frangimus.....*

Secundo, qui Eucharistiam sumunt, fiunt unum cum Christo, juxta illud: *Quoniam unus panis et unum corpus*, etc.; et ex Apostolo, qui manducant idolothyta, fiunt similiter unum cum idolis, quia consentiunt sacrificiis idolorum, ipsorumque fiunt

participes. Ergo sunt idololatræ; nam sacrificium est proprius actus latriæ. Ergo qui manducat Eucharistiam, fit particeps altaris Domini, consentit in oblationem Eucharistiæ Deo factam, imo fit socius offerentium eam. Ergo Deum hac oblatione honorat cultu latriæ. Si enim hæc illatio non polleat, inepta est comparatio quam instituit Apostolus; quod asserere nefandissimum est. Unde conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 1 : « Et quam (oblationem mundam Eucharistiæ) non obscure innuit apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri : per mensam intelligens utrobique altare. »

IV. Probatur Pontificibus Rom. et Conciliis.

1044. *Primo,* circa modum celebrandi sacrificium Eucharistiæ, jam Apostoli quasdam tradiderant regulas, sicut compertum habemus in can. 2 et 8 *Constitutionum Apostolicarum :* in priori enim, Apostoli prohibent ne aliquid, præter Domini præceptum et ordinationem, super altare, in sacrificium offeratur; et in posteriori, impellunt fideles ut, facta oblatione, omnes communicent. *Secundo*, S. Clemens I, lib. II *Const. Apost.* 63, tractans de die Dominico, dicit : « Quam excusationem habere potest qui hoc die non convenit ad audiendum salutarem de resurrectione sermonem, in quo tres orationes stantes concipimus, in memoriam illius qui tertio die resurrexit, in quo Prophetarum lectio habetur, et Evangelii prædicatio, et Sacrificii oblatio, et sacri cibi dispensatio? » Similia leguntur fere in omnibus epistolis decretalibus Summorum Pontificum, præsertim apud S. Anacletum, epist. 1, cap. 1 et 2; S. Alexandrum I, epist. 1 : « In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Deo offeruntur, passio Domini miscenda est. » *Tertio*, in concil. Nicæn. I, can. 13, fit mentio *sacræ oblationis;* in can. 14 et seq., multæ regulæ delineantur, sive pro his qui habent potestatem offerendi sacrificium, sive pro his qui debent Eucharistiam dipensare : et illos omnes canones claudit sic : « Fide intelligamus, situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a sacerdotibus immolatum. » — Conc. Ephesinum recepit epistolam S. Cyrilli, in qua dicitur, incruentum sacrificium celebrari in mysterio corporis et sanguinis Domini. Chalcedonense Eucharistiam appellat « terribile et incruentum sacrifi-

cium. » Similia leguntur in sexto generali, can. 32 Trullano; in Lateranensi IV, cap. *Firmiter;* in Constantiensi, in bulla Martini V; in Florentino, in *Decreto*. Tandem Tridentinum, in tota sess. 22, et signanter can. 1 : « Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari : anathema sit. »

V. Probatur SS. Patribus.

1045. Patres, et quidem antiquitatis pristinæ, quam ipsi Protestantes nuncupant puriora, optima et florentissima Ecclesiæ sæcula, unanimi ore et tam expresse docent veritatem sacrificii Missæ, ut Kemnitius, concilii Tridentini acerrimus impugnator, fatus fuerit : « Negari non potest, veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ Dominicæ, usurpare vocabula *sacrificii, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ;* item uti verbis *offerre, sacrificare, immolare.* » Lutherus, postquam multum desudaverit, ut in pravum sensum detorqueret Patres, audacter, in libro *De Captivitate Babylonis*, ipsis vale dicit : « Si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare, quam Missam sacrificium esse concedere[1]. » Ipsemet Calvinus, qui in metaphoricum torsit sensum verba institutionis *Hoc est corpus meum*, omnia molitus est, ut Patrum sententias et dicta a sensu naturali et obvio deflecteret ; sed postquam incassum tempus diuturnum triverit, nullum ei suppeditat effugium, et non erubescit asserere, Patres in hac materia errasse ; ita enim habet, IV *Institut.*, cap. 18, § 10 : « Quia veteres quoque video alio hanc memoriam detorsisse, quam institutioni Domini conveniebat, nihil tutius piis pectoribus fuerit, quam in pura simplicique Dei ordinatione

[1] Et in libro *De abroganda Missa*, scribit : « Profiteor in primis adversus eos qui clamaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum. » Et in libro *Contra Regem Angliæ :* « Ultimo dicta Patrum inducit Rex pro Missario sacrificio, et ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere præ omnibus. Hoc est quod dixi, Thomisticos asinos habere nihil quod producant nisi multitudinem hominum et antiquum usum. » Et in libro *De Missa privata :* « Hic non moramur, si clamitent Papistæ : *Ecclesia, Ecclesia! Patres, Patres* ! quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim, ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos : Verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos. »

acquiescere, cujus etiam ideo vocatur Cœna, quoniam sola hic ejus auctoritas vigere debet. » Et § 12 : « Et certe si cogitamus Domini, non hominum, Cœnam esse, non est cur ulla hominum auctoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri. » Est igitur hic dicendi locus : *Quid amplius desideramus testes? Ipsi audivimus blasphemias loquentes.*

VI. — Probatur praxi Ecclesiæ.

1046. *Primo*, semper in Ecclesia Christi fuerunt altaria, quorum jam meminit S. Dionys., *De eccles. hierarchia*, cap. 3[1], et alii Patres perantiqui, quibus conspirant Archeologiæ monumenta, præsertim ea quæ e Catacumbis extrahuntur. Porro altare et sacrificium sunt duo correlativa, ita ut Protestantes, quia sacrificium delevere, et altaria corruere acriter operam navaverint. Ergo.

1047. *Secundo*, semper fuit in Ecclesia Christi sacerdotium et sacramentum Ordinis, ut patet evidentissimis S. Dionysii, Ter-

[1] « Pontifex precem sacram ad altare celebraturus, ab ejusdem suffitione initium faciens, universum circuit Chori ambitum ; donec rursum ad altare divinum rediens sacrum insit Psalmorum melos, omni ordine ecclesiastico sacram ipsi psalmodiam succinente. Per ministros exinde consequenter sacrarum Scripturarum lectio recitatur : qua finita, sacro ambitu arcentur cathecumeni, et cum iis energumeni ac pœnitentes, illis qui divinorum aspectu et communione digni sunt remanentibus. Porro ministrorum quidem alii clausis templi foribus assistunt, alii vero aliud quidpiam quod sit ordinis sui agunt. Qui autem in ministrorum ordine primas tenent, una cum sacerdotibus divino altari panem sacrum calicemque benedictionis imponunt, ab universa plenitudine ecclesiæ communi hymnologia præmissa. Ad hæc divinus Pontifex sacram peragit precationem, sanctamque cunctis pacem apprecatur : et dum omnes invicem amplexantur, mystica sacrorum voluminum recitatio finitur. Tum lotis aqua manibus Pontificis et sacerdotum, Pontifex divini altaris medio assistit, circumstantibus illi solis ministrorum primoribus una cum sacerdotibus. Porro ubi Pontifex sacrosancta Dei munera collaudavit, divinissima consecrat mysteria, quæ etiam celebrata sub symbolis sacrosancte propositis in aspectum ducit ; exhibitisque divinorum operum muneribus, ad sacrosanctam eorumdem communicationem cum ipsemet accedit, tunc cæteros invitat. Accepta denique dataque divina communione, in sacram desinit gratiarum actionem ; populoque divina tanquam symbola contuente, ipse semper spiritu divino, per beatas ac spiritales contemplationes, hierarchice ad sacrosancta mysteriorum primordia in divini status puritate ducitur. » S. Dionysius, *De ecclesiast. hierarchia*, cap. 3, a. 2.

tulliani, S. Cypriani, etc., testimoniis. Notissimum est etiam apud omnes, quod S. Joannes Apostolus, dum sacerdotio fungeretur, auream laminam in fronte, more Summi Pontificis Judæorum, gestaverit. — Utique tempore Apostolorum, non fuit usurpatum nomen *sacerdos*, ad significandum novi Testamenti ministrum, « quia eo tempore vigebat adhuc sacerdotium judaicum, et sacrificia cruenta offerebantur in templo jerosolymitano; unde Apostoli, inspirante Domino, non utebantur nominibus sacerdotii, sacrificii, templi, altaris, etc., ut facilius distinguerent christiana sacra a judaicis, et ne putarentur, si iisdem uterentur vocibus, eosdem illos ritus innovare, aut confirmare. Sed, everso templo hierosolymitano, et cessantibus omnino sacrificiis Hebræorum, libere cœperunt antiquissimi Patres uti nominibus *templi*, *altaris*, *sacerdotii*, et *sacrificii*, ut res ipsa postulabat. » Bellarminus, I *De Missa* 17. Atqui proprium ac primarium sacerdotis munus est offerre sacrificium; et in hoc potissimum Patres diaconum a sacerdote discriminaverunt. Ergo.

1048. *Tertio*, huc etiam quam maxime faciunt omnes antiquissimæ liturgiæ, scilicet S. Jacobi, S. Clementis, S. Basilii, S. Chrysostomi; quibus evidenter constat, pristinam Ecclesiam eo ritu confecisse Eucharistiæ mysteria, ut nullo pacto dubitaverit, ea esse verissimum sacrificium. Unde Lutherus, in lib. *De formula Missæ*, totum Canonem abstulit, quia, ipso existente, non posse negari Missam esse sacrificium, confitebatur. Et Calvinus, IV *Institut.*, cap. 18, § 11, coarguit vehementer antiquos Patres, atque eos in modo conficiendi Eucharistiam peccasse asserit, quia « imitati sunt propius judaicum sacrificandi morem, quam aut ordinaverat Christus, aut Evangelii ratio ferebat. [1] »

1049. *Quarto* tandem, iisdem liturgiis et Patrum scriptis constat, veteres obtulisse sacrificium Eucharistiæ tam pro vivis quam pro defunctis. Atqui mos iste supponit fidem in verum sacrificium; neque enim Baptisma, neque aliud sacramentum, neque alia quævis cæremonia unquam fuit oblata, aut in refrige-

[1] Scilicet melius, ait Bellarminus, novit Calvinus, qui heri natus est, quid ordinaverit Christus, quam S. Jacobus frater Domini, qui Cœnæ Domini cum ipso Christo interfuit, aut S. Clemens, qui ab apostolo Petro didicit, aut S. Basilius, S. Cyrillus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, qui mille et ducentis annis Calvinum præcesserunt.

rium defunctorum, aut ad spiritualia temporaliave bona vivis impetranda. Ergo.

VII. — Probatur Præscriptione.

1050. Protestantes concedunt, Missam, prout nunc celebratur in Ecclesia Catholica, supponere quod Eucharistiæ confectio est proprie dictum sacrificium. Concedunt præterea, morem et ritum quo celebratur modernis temporibus, jam invaluisse tempore S. Gregorii Magni [1]. Porro ab illo tempore usque ad Apostolos, nulla facta est mutatio substantialis quoad illud dogma fidei. Ergo est apostolicum. *Prob. minor.* Primum nulla remanent vestigia istiusmodi mutationis. Atqui tamen prorsus aliqua superessent, si facta fuisset ; nam perturbationem concitasset in Ecclesia ; Concilia, saltem provincialia, adunata essent ; libri hinc et inde prodiissent ; cognosceretur nomen, patria, etc., illius qui tam pestiferam seminasset doctrinam. Deinde multo ante S. Gregorium Magnum fuerunt sectæ infensissimæ Ecclesiæ Romanæ ; quonam pacto igitur ipsa potuerit eis novum dogma imponere ? Quomodo potuit in toto orbe terrarum apud omnes Christianos grassari ? Porro nihil hujusmodi compertum habemus ; sed potius haud dubia signa et testimonia oppositum suadentia adhuc supersunt, atque adeo numerosa sunt, et uberiori acutissimoque lumine oculos perstringunt, ut, nisi omni certitudini mittas nuntium, impossibile est inficiari perennem atque universalem Ecclesiæ fidem in Eucharistiæ sacrificium. Ergo.

1051. *Confirmatur.* Res non minus elucet nefandissimis consectariis, quæ necessario pullulant e Protestantium sententia : 1° Apostolus, I *Timoth.* 3, inepte et falso dixisset, Ecclesiam esse *columnam et firmamentum veritatis.* 2° Turpiter errasset archangelus Gabriel cum (*Luc.* 1), alloquens B. Virginem, dixit de Christo : *Regni ejus non erit finis ;* et cum Archangelo turpiter

[1] Lutherus, *De Captiv. Babylonis* 1, ita habet : « Missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta sanctorum Patrum, tot exempla, tantusque usus per orbem constanter observatus... Nec moveat quod totus orbis contrarium et sensum, et usum habet. » — Calvinus, IV *Instit.*, cap. 18, § 1, dicit : « Pestilentissimo errore Satan totum pene orbem obcæcavit, ut crederet, Missam sacrificium et oblationem esse ad impetrandam remissionem peccatorum. »

errassent Nicæna I et Constantinopolitana II synodus. 3° Christus deceptus est quando de sua Ecclesia super Petrum fundata dixit, *Matth.* 16 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam ;* prævaluissent enim a tempore S. Gregorii Magni usque ad Lutheri reformationem ; et ideo Christus suam dilectissimam sponsam, quam acquisivit sanguine suo, repudiasset. 4° Sancti omnes qui a tempore S. Gregorii Magni floruerunt in Ecclesia, tum doctrina, tum virtutibus et miraculis, uti S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Thomas, etc., fuerunt idololatræ, impii et sacrilegi. 5° Deus, qui nunquam deficit in necessariis, et multo minus momentosa illis sanctis revelavit, hoc tamen mysterium veluti librum Apocalypsis septem sigillis obsignavit expectavitque Lutheri adventum, ut illud suæ Ecclesiæ notum faceret ! Quocirca jure Bellarminus infert, Protestantes omnino in reprobum sensum datos esse : « Istam enim consequentiam nulla ratione negare possunt : Orbis terræ ab annis mille credidit, Missam esse sacrificium ; ergo vel Missa est sacrificium, vel ab annis mille desiit Christi fides esse in terris, periit Ecclesia, rediit idololatria, vana fuerunt Prophetarum et Christi ipsius oracula. » I *De Missa* 23.

VIII. — Probatur ratione.

1052. *Primo, ex maxima sacrificii convenientia.* Sacrificium proprie dictum est res optima et sacratissima, qua ut orbetur Ecclesia Christi inconveniens est. Porro, si Missa non est proprie dictum sacrificium, Ecclesia Christi non habet sacrificium, et in hoc assimilatur Synagogæ reprobatoque Judæorum populo, qui, ab excidio Jerosolymæ, est absque altari, sacerdotio et sacrificio. Ergo. *Prob. major.* Deus ipse, tum in statu Naturæ, tum in Lege scripta, jussit sibi offerri sacrificia ; et aliunde adeo conveniens est Deum sacrificiis colere, ut sacrificium aliquatenus sit de jure naturæ (1005 et 1006). Ergo inconveniens est ut Ecclesia egeat sacrificio, tum ad potiori modo cultum Deo rependendum, tum ad ei gratiarum actiones agendas, tum etiam ad intrinsecam Ecclesiæ perfectionem, quæ, utpote gloriosissima Christi sponsa, non convenienter defloraretur illa pretiosissima margarita ; alioquin in hoc deterioris esset conditionis quam populi barbari.

1053. *Prob. minor.* Illud sacrificium est vel Missæ sacrificium, vel sacrificium Crucis. Porro hoc dici nequit. Ergo illud. Sane

Crucis sacrificium non est proprium Legi gratiæ, sed est etiam commune Legi scriptæ et Legi naturæ tanquam earum finis. Unde nihilominus et in Lege naturæ, et in Lege scripta fuerunt alia peculiaria et proprie dicta sacrificia; ergo et in Lege gratiæ debet esse aliquod sacrificium præter Crucis sacrificium. Nec officit quod dicunt Protestantes, scilicet quod Christus per sacrificium Crucis plane satisfecerit pro peccatis omnium hominum; satisfecit enim quoque per idem sacrificium pro peccatis hominum qui in Lege naturæ et in Lege scripta vixerunt, et tamen illi homines vera et proprie dicta obtulerunt sacrificia. Præterea, utique Deus Christus, quoad sufficientiam, perfecte satisfecit pro nobis in Cruce; sed nihil obstat quominus statuerit Crucis fructus et efficientiam nobis applicare per Missæ sacrificium, sicut statuit merita ejusdem sacrificii Crucis per sacramenta erogare et applicare.

1054. *Confirmatur.* Sacramentum et sacrificium in hoc conveniunt quod utrumque est signum sensibile, atque unitatis vinculum simul et evidens argumentum. Porro sacrificium Crucis, etsi valde fuit sensibile, est tamen pro nobis insensibile, quia sola fide illud apprehendimus; ergo debet esse nunc aliud sacrificium sensibile. Deinde sacrificium Crucis præcessit religionem christianam: atqui tamen sacrificium proprium alicui religioni debet perpetuo ipsam comitari, juxta illud *Hebr.* 7: *Translato sacerdotio, necesse est, ut et Legis translatio fiat;* debet ostendere, unitatem cultus vigere in societate quæ ipso locupletatur.

1055. *Secundo, ex connexione utriusque Testamenti.* Christus non venit solvere, sed adimplere Legem, ideoque in melius commutare quæ jam bona erant; sic præcepta explicuit, perfectiora reddidit, eisque consilia admiscuit; veteris Legis sacramenta, quæ erant nuda et egena elementa, uti *Circumcisio*, *Agnus Paschalis*, etc., non abstulit, sed immutavit in alia sacramenta longe perfectiora. Porro eadem ratio est pro sacrificiis. Ergo illa non penitus tulit; sed quia nimium erant numerosa ac difficilia, ea omnia in sacratissimo ac divinissimo Missæ sacrificio coadunavit. Deinde Christus cæteras minus essentiales cultus partes, uti psalmos, hymnos, dies festos, jejunia, etc., retinuit; quidni igitur potissimam partem, videlicet sacrificium retinuerit?

1056. *Tertio, ex definitione sacrificii.* Celebratio Missæ sibi vindicat omnes notas sacrificii proprie dicti, prout illud definivi-

mus supra (991). Ergo. *Prob. antecedens.* 1° Est *oblatio externa*, ut patet ; 2° *rei sensibilis*, nempe corporis et sanguinis Christi, quæ sensibilia sunt per species panis et vini, quibus, ex institutione divina, necessario connexa sunt ; 3° *permanentis*, ut patet, 4° *soli Deo facta*, ut fusius infra aperiemus ; 5° *a legitimo ministro*, a principali scilicet, qui est Christus ipse, et ab instrumentali, qui est sacerdos ; 6° *per ritum mysticum ;* 7° *cum destructione, vel saltem immutatione substantiali :* duplex illa conditio verificatur in Missa, sicut ostendemus infra, ubi de essentia sacrificii Missæ ; 8° *ad cognoscendum supremum Dei dominium*, etc. Vide supra, n. 1002.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

1057. *Obj.* 1° Eadem res non potest esse simul sacrificium et sacramentum ; sacrificium enim est aliquid quod nos homines Deo offerimus, dum sacramentum est aliquid quod nobis hominibus Deus donat ; et similiter testamentum continet promissionem hæreditatis ; ideo sacramentum et testamentum a Deo ad nos descendunt, dum econtra sacrificium a nobis ad Deum ascendit ; duo priora fide accipiuntur, posterius a fide procedit. Porro, fatentibus ipsismet Catholicis, Eucharistia est sacramentum et testamentum. Ergo non potest esse sacrificium. Et hoc est prius argumentum, cui totius Ecclesiæ fidem et SS. Patrum omnium testimonia postponit Lutherus.

Resp. 1° *Dist. maj.* Secundum eamdem rationem, *concedo ;* secundum diversam, *nego*. Eucharistia est sacramentum quatenus est signum visibile gratiæ et refectionis spiritualis ; est testamentum, quatenus est instrumentum publicum et authenticum divinæ voluntatis ac promissionis ; est sacrificium, quatenus est victima Deo oblata. Nec implicat contradictionem quod offeratur eidem id quod ab ipso accepimus, alias nihil omnino valeremus Deo offerre ; quid enim habemus quod a Deo non acceperimus ? Deinde nihil magis decet quam ut donis quæ Deus nobis contulit, ipsum colamus et veneremur ; et hoc ipsum significavit Christus dicendo : *Hoc facite in meam commemorationem ;* ideo potissimum eo fine corpus et sanguinem dedit in Eucharistia, ut ea offeramus Patri. Tandem in sacrificio Missæ, idem Christus qui seipsum dedit, seipsum offert principaliter, ad quod munus ministris tanquam instrumentis utitur.

2° *Negari potest minor*. Lutherus dicit, nihil statuendum

esse, nisi ex S. Scriptura. Porro Scriptura docet quidem, Eucharistiam esse mysterium vel signaculum novi et æterni Testamenti, non vero esse Testamentum ipsum; apud S. Matthæum et S. Marcum legitur: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, id est, quo novum Testamentum confirmatum et stabilitum est; sicut sanguis vitulæ aspersus a Moyse erat quidem sanguis veteris Testamenti, non vero Testamentum, quippe Moyses aspergens populum sanguine victimæ dixit: *Hic est sanguis Testamenti, quod misit ad vos Deus*; unde D. Paulus, *Hebr.* 7, 22: *In tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus.* Quapropter Eucharistia dici potest testamentum quatenus est signum et instrumentum continens significansque voluntatem Christi, et liberalem omnium suorum bonorum largitionem nobis collatam; sicut testamentum dici solet instrumentum ipsum continens et significans voluntatem testatoris. Lutherus igitur confundit promissionem cum ejus signaculo, testamentum et sacramentum cum sacrificio.

1058. *Obj.* 2° In Evangelio legitur, Christum recubuisse in mensa cum duodecim Apostolis, eisque Eucharistiam dispensasse, nullatenus vero legitur, eam Patri obtulisse. Ergo non obtulit. Et hoc est posterius argumentum Lutheri; quæ enim præterea objicit, sunt putidissima mendacia, sicut ostendit Bellarminus, I *De Missa* 24.

Resp. 1° *Retorqueo:* In Evangelio, non legitur, Christum pendentem in Cruce obtulisse sacrificium. Ergo nullum tunc obtulit sacrificium. Nec expresse scribitur in Evangelio, quod Christus manducaverit Agnum Paschalem, fuderit vinum in calice, etc.: atqui tamen hæc omnia admittit Lutherus.

2° *Dist. anteced.:* Expresse, *concedo*; implicite, *nego*. Quum enim conferuntur circumstantiæ supremæ Cœnæ cum figuris et vaticiniis, ipsæque lumine traditionis æstimantur, certo constat, Christum, in Eucharistiæ institutione, seipsum Deo Patri obtulisse sub speciebus panis et vini, et hoc ipsum fieri mandasse dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.*

1059. *Obj.* 3°[1] Christus, quia est sacerdos in æternum, non

[1] Quæ subsequuntur, sunt argumenta quibus Calvinus, IV *Instit.*, cap. 18, § 1, superbit, ad evidentissime demonstrandum, Missæ sacrificium insigni contumelia Christum afficere, Crucem ejus sepelire et opprimere, mortem ejus in oblivionem tradere, fructum qui ex ea nobis proveniebat, tollere, sacramentum quo mortis memoria relicta erat, enervare et dissipare.

habet successores in sacerdotio. Porro Missæ sacrificium supponit, Christo esse successores in sacerdotio. Ergo.

Resp. Nego min. Christus utique habet ministros in sacerdotio suo, qui quidem sibiipsis, non autem Christo succedunt; nam ipse semper et ubique est principalis offerens, et in hoc munere non est successio sacerdotum, sed in munere instrumenti tantum invenitur successio. Sicut enim unus est Doctor et Magister, Jesus Christus, et tamen sunt plures ministri verbi et sacramentorum, juxta illud I *Cor.* 3: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Ideo Apostolus, *Hebr.* 7, excludit alios sacerdotes Christo æquales dignitate et potestate, non vero inferiores et instrumentales.

1060. *Obj.* 4° Sacrificium Missæ sacrificio Crucis maximam irrogat injuriam; etenim supponit, sacrificium Crucis nec esse valoris infiniti, neque sufficere ad nostram salutem: quod aliunde adversatur doctrinæ Apostoli, qui, *Hebr.* 9, 28, dicit de Christo: *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* et, cap. 11, 14: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Porro hoc admittere nefandissimum est. Ergo.

Resp. Nego maj. Sacrificium Missæ nihil istiusmodi supponit, sed solum, Deum, pro sua infinita benignitate, decrevisse ut nobis infinita sacrificii Crucis merita applicaret per Missæ sacrificium, quod est jugis illius memoria. Ideo sicut canalis aut rivulus non irrogat injuriam fonti, ex quo uberiores aquas haurit diffunditque; ita nec Missæ sacrificium, quod, absque numero iteratum, haberi potest veluti innumerosiores rivuli qui ex oceano infinito meritorum Christi exeunt ad divini amoris divitias in homines diffundendas. Alioqui et veteris Legis sacrificia omnia irrogassent quoque injuriam sacrificio Crucis; nam post Adæ lapsum, fons unicus omnis justitiæ et sanctitatis est passio Domini. Nec contradicit D. Paulus in locis citatis: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, quantum ad solutionem pretii plenamque satisfactionem, *concedo;* quoad applicationem pretii et satisfactionis, *nego.*

1061. *Inst.* Ad applicanda Christi merita, sufficit Eucharistiæ sacramentum, imo et sola prædicatio verbi divini. Ergo saltem inutile est Missæ sacrificium.

Resp. 1° *Retorqueo:* Ad hoc plane sufficit Baptismus, imo et

sola prædicatio verbi divini. Ergo Baptismus et Cœna sunt inutilia. 2° Si Christus ita statuisset, *concedo;* secus, *nego*. Placuit Salvatori nostro varia media instituere, quibus facilius, suavius et plenius nobis merita sua impertiret, ex quibus potissimum eminet sacrificium Missæ. 3° *Nego conseq*. Etsi Missæ sacrificium nihil prodesset quoad merita Christi applicanda, non ideo inutile dici posset; nam maxime confert ad religionem constituendam, et arctissimum simulque luculentissimum est unitatis visibile vinculum, et ad laudes Deo persolvendas est quam aptissimum.

1062. *Obj*. 5° Non est sacrificium entis viventis sine illius occisione; unde Apostolus, *Hebr*. 9, 22: *Sine sanguinis effusione non fit remissio*. Porro in Missa Christus non occiditur. Ergo.

Resp. Dist. maj. Sine occisione aut naturali, aut mystica æquivalenti, *concedo;* sine naturali tantum, *nego*. Porro in Missæ sacrificio, Christus vere immolatur *mystice*, et sanguis ejus, vi verborum, quasi spirituali gladio, separatim in altari ponitur et effunditur; sicut in sequenti capite dicemus. Præterea Christus, vi consecrationis existens sub speciebus panis et vini, destituitur naturali usu sensuum externorum, et versatur in statu mortis, adeo ut non possit *naturaliter* videre oculis, audire auribus, etc. Recollige dicta in priori parte, n. 259-272. Unde, *Apocal*. 5, 6: *Et vidi: et ecce..... Agnum stantem tanquam occisum*.

1063. *Nota*. Cæteræ objectiones quas acervat Calvinus, semper in idem recidunt, videlicet in ignorantiam elenchi; supponit enim Calvinus quod Catholici credant, per Missæ sacrificium, acquiri quotidie nova merita; Missam esse opus humanæ institutionis, atque sacrificium in quo Christus immoletur cruente; quæ omnia doctrinæ catholicæ adversantur. Quocirca illas objectiones et alias hujusmodi, si firmiter traditis principiis et tradendis in sequenti capite innitaris, facile expedies.

CAPUT III

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ

Quum in sacrificio intercidat essentialiter res oblata et actio qua offertur, scilicet materia et forma, hæc duo oportet jam expendere, ut essentia sacrificii Missæ definiatur. Deinde, quia Protestantes acriter impugnant mirabiles essentialesque hujus sacrificii proprietates, incumbit necessitas vindicare illos ac si-

mul aperire quale sit Missæ sacrificium; sed hæc quæstio commodius obtinet etiam locum ubi de Missæ effectibus. Denique ad pleniorem rei notitiam atque perspicuum discrimen Missæ sacrificii a cæteris omnibus, satius est ipsum cum aliis conferre.

ARTICULUS I

DE RE OBLATA QUÆ MISSÆ ESSENTIAM INGREDITUR

PARAGRAPHUS I

EXPONUNTUR ET IMPUGNANTUR FALSÆ SENTENTIÆ

1064. I^a^ Sententia. Pater Le Courrayer, Rhotomagensis (1681-1776), S. Genovefæ canonicus regularis, in opere cui titulus: *Dissertation sur la validité des ordinations anglaises*, in lucem edito an. 1723, et in opere *Défense de la dissertation sur la validité*, etc., edito an. 1726, docet, essentiam sacrificii Missæ consistere in nuda repræsentatione sacrificii Crucis; unde, quamvis Christus non esset vere, realiter ac substantialiter præsens sub speciebus panis et vini, nihilominus celebratio Eucharistiæ esset verum ac proprie dictum sacrificium. Atque ita sensisse omnes Ecclesiæ Patres et ipsum concilium Tridentinum, confidenter asserit. Ideo infert, Anglicanos, licet præsentiam realem rejiciant, idem ac Catholicos habere sacrificium Eucharistiæ. Patris Le Courrayer opera, magno plausu apud Anglicanos recepta, apud Gallos communi suffragio damnata et variis Episcoporum censuris confixa[1], Benedictus XIII proscripsit. Tunc Le Courrayer migravit ad archiepiscopum Cantuariensem, fidem catholicam in multis impugnavit, et sese gessit tanquam apostata; unde sepultus est a ministro anglicano.

1065. Hæc sententia manifeste contradicit 1° institutioni sacrificii Missæ; nam aliud esse non potest ab eo quod Christus celebravit et instituit in ultima Cœna: porro tunc Christus non nudam sacrificii Crucis memoriam instituit, etc. — 2° Contradicit figuris sacrificii Missæ, quæ præstantius et reale sacrificium, non vero sacrificii imaginem adumbrarunt. Non minus contradicit vaticiniis Prophetarum. — 3° Contradicit traditioni universalis

[1] Scilicet ab Episcopo Massiliensi Belzuncio, a viginti episcopis Lutetiæ Parisiorum adunatis, a cardinali de Noailles, a concilio Ebrodunensi.

Ecclesiæ et apertis testimoniis Patrum, qui omnes sacrificii Missæ rationem reposuere in oblatione corporis et sanguinis Domini, et propterea dignitatem et efficaciam Missæ præclarissimis encomiis magnificant. Fucum sibi fecit Le Courrayer dum Patrum versaverit paginas, aut noluit intelligere, ut bene ageret: utique Patres, Doctores ac Theologi profitentur ac docent, Missæ sacrificium esse memoriam sacrificii Crucis; sed nunquam dicunt, esse memoriam tantum, ita ut haberi possit sicut signum vacuum; est vere memoria seu repræsentatio illius, præcise quia in ipso revera offertur Jesus Christus. — 4° Contradicit omnibus conciliis supra citatis (1044), et signanter Trident., sess. 22, cap. 1 et 2, et can. 3. — 5° Contradicit rationi; in primis enim, si ad rationem sacrificii satis esset aliqua illius repræsentatio sensibilis, imago in qua depingeretur sacrificium, et ipsa esset sacrificium: imo sacrificium esset sermo quo narraretur et describeretur sacrificium. Unde mors Abel figura fuit sacrificii Christi, et Baptismus est repræsentatio mortis Christi, et multæ cæremoniæ fiunt ab Ecclesia in repræsentationem mortis Christi, quæ tamen non sunt sacrificia. Deinde Missæ sacrificium, non quoad substantiam seu rem oblatam, sed duntaxat quoad modum offerendi, differt a sacrificio Crucis: atqui nuda repræsentatio toto cœlo distat a realitate, non solum quoad modum, sed etiam quoad rem ipsam; ergo. Denique ad sacrificium requiritur oblatio rei sensibilis: porro in Missa res sensibilis, uti mox fulciemus, non est panis et vini substantia, neque accidentia sumpta independenter a corpore et sanguine Christi; ergo, si demas Christum, nulla res offertur.

1066. IIª Sententia. Alii in Missa duo constituunt sacrificia; quorum prius alteri subordinatur tanquam suo fini, videlicet oblatio panis et vini, quæ oblationi corporis et sanguinis Christi præordinatur; ideoque appellantur unum sacrificium, quia ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantum. Ita Ruard., *Contra Luther.*, a. 18, Cassal., II *De sacrif. Missæ* 25.

Sed illa sententia 1° contradicit institutioni Christi; nam oblatio panis et vini est omnino cæremonialis, et non fuit a Christo instituta. — 2° Contradicit Patribus et praxi Ecclesiæ, ex qua, si forte prætermissa fuerit illa cæremonia, nihilominus verum et proprie dictum habetur Missæ sacrificium, uti videre est in Ru-

bricis *De defectibus Missæ*. — 3° Contradicit rationi et essentiæ sacrificii Eucharistiæ.

1067. III^a^ Sententia. Alii tenent, solum Christum esse rem oblatam in sacrificio Missæ ; ita ut, quatenus in propria specie existit, sit res oblata tanquam materia sacrificii, quia, ut sic, supponitur actioni sacrificandi ; quatenus autem existit sub speciebus et habet *esse* sacramentale, sit res oblata tanquam terminus significationis, quia, ut sic, fit per actionem sacrificandi. Sed hæc sententia est falsa quoad priorem partem, uti mox ostendemus, quia existentia Christi in propria specie est penitus extra rationem hujus sacrificii. Quod attinet ad materiam ejus, dico, male panem et vinum omnino excludi.

1068. IV^a^ Sententia. Demum alii censent, Christum, quatenus existit sub speciebus, esse materiam hujus sacrificii ; quatenus vero offertur et comeditur, esse rem oblatam per modum termini sacrificationis. At hæc sententia supponit, consecrationem non pertinere intrinsece ad actionem sacrificandi, sed esse quasi præambulam, sicut incarnatio Verbi intrinsece non pertinet ad actionem sacrificii Crucis, sed fuit quasi materiæ præparatio ; sic enim Christus per consecrationem constituitur sub speciebus, et ita fit materia apta incruentæ sacrificationi. Porro hæc sunt ad minus valde dubia, uti ostendemus ubi de actione sacrificativa, et non explicant quomodo panis et vinum in Missæ sacrificio ad rem oblatam pertineant.

PARAGRAPHUS II

DECLARATUR ET FULCITUR VERA SENTENTIA

PROPOSITIO I

In Missæ sacrificio Christus est res primario oblata.

1069. Prob. 1° *Scriptura. Primo* quidem verbis institutionis quibus, in capite præcedenti, demonstravimus, Christum, quum instituit Eucharistiam, vere ac proprie corpus et sanguinem suum obtulisse. *Secundo*, omnibus aliis locis quibus idem fulcivimus dogma. *Tertio*, signanter per illud I *Cor.* 5 : *Pascha nostrum immolatus est Christus ;* Pascha enim Judæorum erat occisio et manducatio Agni Paschalis ; Pascha vero Christianorum est immolatio et manducatio Agni Dei : quod Pascha incœpit in ultima

Cœna, antequam Christus fuerit crucifixus. Est igitur Pascha Christus inquantum incruente immolatus est, ut in hoc mysterio perfecte impleatur figura Agni Paschalis. Unde, sicut Judæorum Pascha cum gaudio celebrabatur et sacrificabatur in memoriam suscepti beneficii ; ita immolatio quæ nostrum Pascha antecedit, non est tantum illa cruenta et luctuosa Crucis immolatio, sed est hæc incruenta, quæ fit in gratiarum actionem et in beneficii accepti memoriam. Sicut ergo Christus est Pascha nostrum, ita etiam est res præcipue oblata in Missæ sacrificio.

1070. 2° *SS. Patribus.* Omnes docent, Missæ sacrificium, quoad rem oblatam, idem esse ac sacrificium Crucis, atque illius dignitatem partim repetunt etiam a re oblata, scilicet Christo. Quorum testimonia aliqua retulimus supra (1035 et 1041): si plura desideres, adeas Suarez, in 3, disp. 75, sect. 1. Porro illa Patrum doctrina supponit evidenter, Christum in Missa esse rem primario oblatam.

1071. 3° *Conciliis.* Vide loca superius citata (1044). Concil. Trident., sess. 22, cap. 1 : « Deus et Dominus noster..... in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium..... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit..... Novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem. » Et cap. 2 : « Una enim eademque est hostia (videlicet in ara Crucis et in Missa), idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. » Et can. 2 : « Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes ; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit. »

1072. 4° *Ratione. Primo, ex efficacia Missæ.* Sacrificium Missæ est efficacissimum. Porro suam efficaciam sortitur partim ex eo quod res oblata est ipsemet Christus. Ergo.

Secundo, ex excellentia sacrificii Crucis. Conveniens fuit ad significandam excellentiam et sufficientiam sacrificii Crucis, ut Missæ sacrificium esset unum cum illo, et in re oblata, et in principali offerente.

Tertio, ex perfectione Ecclesiæ. Valde consentaneum est perfectioni Ecclesiæ, ut offerat Deo id quod in ipsa majus et excellentius est, sicut Abel Deo obtulit id quod potius erat de grege suo : porro in corpore mystico Ecclesiæ, Christus, utpote caput, est id quod est majus et excellentius. Ergo.

PROPOSITIO II

Christus, quatenus in propria specie, neutiquam offertur in sacrificio Missæ.

1073. Prob. *Ratione. Primo*, de ratione sacrificii est, quod fiat immutatio in re oblata : porro Christus, quatenus in propria specie existit, nullo pacto subjacet mutationi ; ergo. — *Secundo*, de ratione sacrificii est, quod res oblata sit sensibilis : porro Christus, quatenus in propria specie existit, non est sensibilis hominibus viatoribus ; ergo. — *Tertio*, de ratione sacrificii est, quod actio sacrificativa aliquatenus attingat rem oblatam : porro Christus, quatenus in propria specie existit, a nulla actione humana attingi potest ; ergo.

PROPOSITIO III

Christus, in quantum existit sub speciebus sacramentalibus, est res oblata in sacrificio Missæ, tanquam terminus sacrificationis, non vero proprie ut materia quæ actioni sacrificandi præsupponatur.

1074. Prob. 1ª pars. Ex prima propositione, Christus est res primario oblata in sacrificio Missæ : ex secunda autem, non offertur in propria specie ; ergo restat ut offeratur sub specie aliena, videlicet panis et vini. Deinde Christus in sacrificio Missæ est res oblata ut consecratus per actionem transsubstantiativam : porro ut sic est terminus *ad quem* talis actionis, et per illam habet *esse* sub speciebus sacramentalibus ; ergo.

1075. Prob. 2ª pars. Consecratio est saltem potissima pars sacrificii Missæ : porro materia sacrificii debet præsupponi actioni sacrificativæ ; ergo est materia sacrificii Missæ. Sed Christus quatenus sacramentaliter existens non præsupponitur consecrationi ; ergo non est proprie materia quæ actioni sacrificandi præsupponatur.

PROPOSITIO IV

Species sacramentales cum Christo, quem velant, unum sacrificii Missæ terminum constituunt.

1076. Prob. 1° *Scriptura. Psalm.* 109, et *Hebr.* 7: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Christus igitur instituit et obtulit Eucharistiæ sacrificium ut Summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech ; ad quod requiritur ut panis et vinum sint, non tantum materia ex qua fiat res oblata, sed etiam sint aliquatenus ipsa res oblata. Atqui non sunt res oblata quoad substantiam, quæ non remanet. Ergo saltem quoad accidentia, quæ cum Christo unum compositum sacramentale constituunt.

1077. 2° *SS. Patribus.* S. August., *Serm. ad Neophytos*: « Hoc est quod dicimus : hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine. » Ubi manifeste sacrificium pro re oblata sumitur. Idem colligitur ex XVII *De Civit.* 6, et ex S. Cyprian., *Epist.* 3.

1078. 3° *Conc. Trident.* Sess. 22, cap. 1 : « Christus Dominus noster..... ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium..... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit... Novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum. »

1079. 4° *Ratione. Primo, ex sacrificii essentia.* De ratione visibilis sacrificii est quod res oblata sit aliquo modo sensibilis : porro Christus in Eucharistia non est visibilis nisi per species ; ergo.

Secundo, ex sacramenti essentia. Hostia in sacrificio Missæ oblata cedit in usum fidelium, tanquam verus cibus et admirabile sacramentum : porro, uti ostensum est latius in priori parte, Eucharistiæ sacramentum essentialiter constat Christo Domino et speciebus; ergo.

1080. N. B. Quia tamen substantiale individuum idem est, quamvis, diversis temporibus, diversis accidentibus sit affectum, res oblata tum in ara Crucis, tum in Missa, est semper

eadem simpliciter; est enim substantialiter eadem. Sicut in veteri Lege impossibile erat Agnum Paschalem sacrificare, nisi cum illius accidentibus, et nihilominus res principaliter oblata remanebat eadem; ita fit in sacrificio Missæ. Et licet ratio sacramenti prius conveniat signo sensibili quam rei sub ipso contentæ, non est simile pro sacrificio, in quo significatio potius desumitur ex ratione sacrificandi et re oblata, quam a signo sensibili.

COROLLARIUM

1081. Panis et vinum offeruntur tanquam materia transiens seu *ex qua* conficitur sacrificium eucharisticum ; substantia enim eorum destruitur, et permanent accidentia in re quæ offertur; sicut in omni fere sacrificio, materia quæ sacrificationi supponitur, partim destruitur, scilicet quoad compositum, partim manet, videlicet quoad materiam. Est autem differentia, quia, in aliis sacrificiis, immutatio est naturalis, et ideo dissolvitur totum compositum, et quod manet est vere materia, uti subjectum sub utroque termino ; in Missa autem transmutatio est alterius ordinis, et per eam destruitur tota substantia ; unde id quod manet, non est subjectum, sed quasi forma sensibilis in se continens utrumque terminum, nempe *a quo* et *ad quem*. Ideoque non sunt duo sacrificia, sicut aliqui falso æstimarunt; nam termini *a quo* et *ad quem* concurrunt ad idem sacrificium, quia panis convertitur in corpus, et vinum in sanguinem Christi, per quorum præsentiam species sanctificantur.

1082. Deinde est etiam aliud magnum discrimen inter hoc et alia sacrificia ; in istis enim materia erat res principaliter oblata, cujus destructio erat quoque præcipue intenta in cultum Dei ; in sacrificio autem Missæ, non materia, sed terminus sacrificationis est res præcipue oblata, et destructio materiæ non est tam per se intenta, sicut effectio termini ad quem tendit actio, nam desitio panis est tantum quasi via ad introductionem corporis Christi. Ratio autem hujus differentiæ sumenda est, tum ex dignitate ipsius rei, tum ex modo actionis tendentis magis ad efficiendum, quam ad destruendum, tum ex intentione offerentis. Suarez, in 3, disp. 75, sect. 1, n. 11 et 12.

ARTICULUS II

DE ACTIONE QUÆ SACRIFICII MISSÆ ESSENTIAM INGREDITUR

1083. I. Ponitur quæstio. In Missæ sacrificio sex assolent theologi actiones potissimas distinguere, videlicet 1° panis et vini oblationem, seu Offertorium; 2° confectionem Eucharistiæ, seu Consecrationem ; 3° oblationem quæ subsequitur Consecrationem, ab his verbis : *Unde et memores, Domine, nos, servi tui*, etc.; 4° fractionem hostiæ in tres partes et mixtionem ejus cum sanguine ; 5° sumptionem specierum a sacerdote ; 6° communionem fidelium. Suntne omnes sex de essentia, aut saltem de integritate sacrificii Missæ ? et sin omnes, quænam ex illis hoc munus sibi vindicent? In quibus solvendis quæstionibus theologi sunt valde dissiti.

1084. II. Variæ sententiæ. Soto et quidam alii contendunt, oblationem panis et vini, sin ad essentiam, saltem ad integritatem sacrificii Missæ pertinere. Eckius, Clitovæus et alii quos citat Suarez (in 3, disp. 75, sect. 3, n. 2) totam illius essentiam reponunt in oblatione quæ subsequitur Consecrationem. Scotus vero, Gabriel, Soto, etc., tenent, hanc oblationem esse quidem de essentia sacrificii Missæ, sed non totam essentiam. Albertus Magnus, Ledesma et alii eam totam reponunt in sola communione sacerdotis, quia in illa tantum reperitur destructio sive immutatio victimæ. Bellarminus, Isambertus, Toletus, Tournely, S. Alphonsus et alii dicunt, essentiam sacrificii Missæ consistere partialiter in Consecratione, et partialiter in communione sacerdotis; in Consecratione enim ponitur victima, et in sumptione consumitur. Nugno dicit, essentiam sacrificii Missæ posse indiscriminatim reponi aut in Consecratione, aut in Oblatione, aut in Fractione, aut in Communione; ideo dummodo fiat Consecratio et una ex illis actionibus, habetur quidquid absolute necesse est ad essentiam Sacrificii. Tandem Vasquez, Suarez, De Lugo, Gonet, Sylvius, Billuart, Collet et alii totam essentiam sacrificii Missæ reponunt in Consecratione, et sacerdotis communionem ut partem integrantem habent. Et hanc sententiam S. Alphonsus dicit esse communiorem, et ipsi primum adhæserat ; sed postea sententiæ Bellarmini adhæsit tanquam probabiliori.

PROPOSITIO I

Oblatio panis et vini nec ad essentiam, neque ad integritatem Sacrificii pertinet.

1085. Prob. 1° *Exemplo Christi.* De fide est quod Christus in ultima Cœna, obtulit perfectum sacrificium. Atqui tamen prætermisit oblationem panis et vini ; nihil enim de illa dicunt Scripturæ et Traditio ; quam tamen prorsus non omisissent, si aut ad essentiam, aut saltem ad integritatem Sacrificii pertineret. Ergo.

1086. 2° *Praxi Ecclesiæ. Primo* quidem hæc cæremonia non fuit semper in usu ; nam defuit in primæva Ecclesia, sicut demonstrat Suarez, ubi de forma sacramenti Eucharistiæ. Ergo. — *Secundo*, expresse nunc Liturgia docet, illam cæremoniam esse Sacrificii præparationem solum : *Veni, Sanctificator omnipotens, æterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum.* — *Tertio*, quando omissa fuit, atque sacerdos hoc advertit post consecrationem duntaxat, non debet, ex rubrica *De defectibus*, eam supplere, sed pergere atque perficere Sacrificium.

1087. 3° *Natura sacrificii Missæ.* Res principaliter oblata in sacrificio Missæ est ipsummet corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, ut definivit Tridentinum, sess. 22, cap. 2. Porro ante Consecrationem non offertur corpus et sanguis Christi. Ergo.

PROPOSITIO II

Communio fidelium nec ad essentiam, neque ad substantialem sacrificii Missæ integritatem pertinet.

1088. Prob. 1° *Scriptura.* I *Cor.* 5 : *Pascha nostrum immolatus est Christus ; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* Missæ sacrificium consistit in immolatione Christi. Porro communio fidelium non pertinet ad Christi immolationem, sed eam subsequitur. Ergo.

2° *Praxi Ecclesiæ.* Ex conc. Tridentino, sess. 22, cap. 6, et can. 8, licitæ sunt missæ privatæ, in quibus nemo fidelium communicat. Porro, etc. Deinde Sacrificium nonnisi a sacerdote offerri potest : atqui dispensatio Eucharistiæ fieri potest a diacono ; ergo.

1089. *Nota.* Attamen dispensatio Eucharistiæ facta populo post sacerdotis communionem pertinet ad extrinsecam Sacrificii perfectionem, quæ est per modum actionis transeuntis; sacrificium enim Missæ, utpote exemplar omnium sacrificiorum veteris Testamenti, est hostia pacifica, cujus, apud Judæos, tertia pars cedebat in refectionem populi offerentis. Unde fideles satagere debent quam frequentius communicare, et quidem intra Missam, post sacerdotis communionem.

PROPOSITIO III

Oblatio quæ Consecrationem subsequitur, nec de essentia, neque de integritate sacrificii Missæ est.

1090. PROB. 1° *Facto Christi.* Ea tantum sunt de essentia et integritate sacrificii Missæ quæ Christus in ultima Cœna fecit et jussit facere. Porro dictam oblationem Christus non fecit; illius enim nec Scriptura, neque Traditio meminit. Ergo.

1091. 2° *Praxi Ecclesiæ.* Juxta S. Greg. Magnum, VII *Epist.* 63, Apostoli non adhibuerunt illam oblationem. Porro, etc. Deinde ipsa fit in persona Ecclesiæ, non vero in persona Christi, ut perspicuum est verbis istis : *Unde et memores, Domine, nos, servi tui, sed et plebs tua sancta, offerimus præclaræ majestati tuæ, de tuis donis,* etc. Porro actio in qua consistit essentia vel integritas Sacrificii, fit in persona Christi. Ergo. Quocirca, ex rubrica *De defectibus,* quamvis forte omissa fuerit dicta oblatio, non est facienda, sed pergitur Missa.

1092. 3° *Ratione.* Actio sacrificativa pertinens ad essentiam vel integritatem Sacrificii est aliquatenus immutativa rei oblatæ. Atqui oblatio quæ subsequitur Consecrationem, nullo pacto rem oblatam immutat. Ergo.

1093. *Dices :* Conc. Tridentinum, sess. 23, cap. 1 et can. 1, distinguit, in sacerdotio instituto a Christo, potestatem consecrandi a potestate offerendi corpus et sanguinem Christi ; et D. Thomas, 3 p. q. 83, a. 4, dicit : « Offertur Eucharistia ut sacrificium, consecratur et sumitur ut sacramentum. » Atqui oblatio de qua agitur, est oblatio quæ subsequitur Consecrationem, et ad quam faciendam requiritur potestas divinitus instituta. Ergo pertinet ad essentiam Sacrificii, imo in ipsa videtur tota Sacrificii essentia esse reposita.

Resp. Nego min. Duplici de causa Concilium potuit verbis discriminare actionem offerendi ab actione consecrandi : *primo*, quia, licet tum in se, tum in institutione Christi, sit una et eadem physica actio, est nihilominus formaliter ac virtualiter duplex ; ideo, ad majorem doctrinæ claritatem, opportunius fuit dicere : *consecrare et offerre ;* nam illa duo vocabula non sunt penitus synonyma. *Secundo*, ut non damnaret catholicos theologos quos hic impugnamus ; nam Concilii scopus non erat hanc quæstionem dirimere, sed pseudoreformatorum novitates arcere. Similiter D. Thomas distinxit veluti formales rationes, non autem physicas actiones. Unde conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 2, docet, Christum, verbis : *Hoc facite*, etc., ordinasse *ut sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum*, *nullam faciens mentionem consecrationis*, quæ tamen certo includitur in hac offerendi actione quam præcepit Christus. Et Pontificale Romanum, in forma ordinationis presbyteri, quamvis ei primario consecrandi potestas detur, exprimit tantummodo offerendi potestatem.

PROPOSITIO IV

Fractio hostiæ in tres partes nec de essentia, neque de integritate sacrificii Missæ est.

1094. Prob. 1° *Praxi Ecclesiæ.* Si hostia, ante fractionem, in calicem ceciderit, pergitur Missa absque fractione, sicut expresse dicit rubrica *De defectibus Missæ.* Porro, si ad essentiam vel integritatem, etc.

1095. 2° *Ratione. Primo*, *ex natura sacrificii generatim.* Actio pertinens ad essentiam vel integritatem sacrificii debet esse aliquo modo immutativa rei oblatæ. Atqui fractio panis nullatenus est immutativa rei oblatæ, videlicet corporis et sanguinis Christi, prout sub speciebus existunt ; nam fractio specierum est aliquid omnino accidentale, ita ut Christus, post fractionem, eamdem quam antea servet præsentiam et *esse* sacramentale. Ergo.

Secundo, *ex natura sacrificii Missæ.* Sacrificium Missæ est secundum ordinem Melchisedech, qui panem et vinum obtulit ; et ideo actio sacrificativa pertinens ad essentiam vel integritatem ejus, debet fieri circa utrumque. Porro fractio non fit circa utramque speciem. Ergo.

Tertio, ex significatione Fractionis. « Quod fractio hostiæ con-

secratæ, et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem Sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus sacramenti. » 3 p. q. 83, a. 6, ad 6. Mysticas significationes hujus fractionis tradit, a. 5, ad 7 et 8.

PROPOSITIO V

Consecratio est de essentia sacrificii Missæ.

1096. Prob. 1° *Scriptura.* Ex verbis institutionis[1] constat quod Christus consecraverit panem et vinum, et illico ea consecrata dederit discipulis suis ; et ex hoc Patres colligunt, Christum sacrificasse. Atqui dispensatio non est de essentia Sacrificii. Ergo saltem consecratio.

1097. 2° *SS. Patribus.* S. Ambros., *In Psalm.* 39 : « Tunc ipse Christus offerre manifestatur in nobis, quando sermo ejus sanctificat sacrificium quod offerimus. » Sermo autem Christi non est alius quam verba consecrationis. — S. Cyrillus Jerosolym., *Catechesi* 5 : « Deinde vero, postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace. » S. Gregorius Mag., IV *Dialog.* 36 : « Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis voces, cœlos aperiri ; in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse ? » — D. Thomas, 3 p. q. 82, a. 4, ad 1 : « Consecratio Chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ. » Et a. 10, o : « Unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud II *Cor.* 6 : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem Sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet sacramenta ministrari ; sed principaliter per comparationem ad Deum, cui

[1] Quia enim ratio sacrificii pendet ab institutione, nec a priori, neque a natura rei potest inferri, consecrationem esse de essentia Sacrificii ; potuisset enim Dominus eam instituere veluti actionem præviam ac præparantem, et constituere Sacrificium in aliqua actione subsequente, sicut in quibusdam veteris Testamenti sacrificiis, mactatio animalis erat operatio prævia, adustio autem erat proprie sacrificium.

consecratione hujus sacramenti Sacrificium offertur. » Et ad 1 : « Alia sacramenta perficiuntur in usu fidelium; et ideo in illis ministrare non tenetur nisi ille qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione, in qua Sacrificium Deo offertur, ad quod sacerdos obligatur Deo, ex ordine jam suscepto. »

1098. 3° *Conc. Trident.* Sess. 23, cap. 1 : « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. » Cap. 4 : « Quoniam vero in sacramento Ordinis sicut et in Baptismo et Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam qui asserunt, novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere. » Et can. 1 : « Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum ; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini.... ; anathema sit. » Unde sic : Sacerdotium confert, per characterem, potestatem quæ per se primo ordinatur ad Sacrificium : porro confert per se primo potestatem consecrandi corpus et sanguinem Christi ; ergo potestas consecrandi est primaria in ordine ad Sacrificium ; ergo illius exercitium est de essentia Sacrificii [1].

1099. 4° *Ratione. Primo, ex potissima actione sacerdotis.* Illa actio est de essentia Sacrificii, in qua potissimum sacerdos sacrificans agit et loquitur in persona Christi. Porro hoc præstat in Consecratione ; verba enim Consecrationis proferuntur in persona Christi. Ergo.

Secundo, ex Consecrationis excellentia. Vel, ad minus, partim essentia Sacrificii reponenda est in Consecratione, vel tota in Communione. Atqui posterius dici nequit. Ergo. Major constat ex propositionibus modo demonstratis. Minor potest multifariam suaderi : Consecratio est certe multo excellentior actio et ma-

[1] « Hoc sacramentum est tantæ dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum ; ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi : per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus dictum est a Domino : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ideo dicendum est quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum. » 3 p. q. 82, a. 1.

jora continet mysteria ; et tamen nec Sacramentum, neque Sacrificium esset, si non esset de essentia Sacrificii, quia Sacramentum essentialiter consistit in re permanente. Sumptio magis pertinet ad usum Sacramenti. Si tota Sacrificii essentia est in Communione, sequitur sacerdotem, quotiescumque communicat, offerre Sacrificium, saltem si habeat intentionem offerendi, etc.

Tertio, ex incommodo. Si Consecratio nullatenus ad Sacrificii essentiam pertineat, sed sit tantum conditio prærequisita ad illud, posset fieri, quin immediate subsequeretur Communio ; quemadmodum Chrismatis confectio fit ab Episcopo longe antequam Confirmationis sacramentum ministretur. Atqui tamen Consecratio nullatenus potest sejungi ab iis quæ subsequuntur, sicut constat lege canonica et praxi universalis Ecclesiæ. Ergo.

PROPOSITIO VI

Consecratio utriusque materiæ, scilicet panis et vini, est de essentia sacrificii Missæ [1].

1100. Prob. 1° *Scriptura. Psalm.* 109 et *Hebr.* 7, Christus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ; est vero sacerdos secundum ordinem Melchisedech, per Eucharistiæ seu Missæ sacrificium. Porro Melchisedech obtulit sacrificium in pane et vino. Ergo.

Matth. 26, *Marc.* 14, *Luc.* 22 et I *Cor.* 11, Christus in suprema Cœna obtulit Sacrificium consecrando panem et vinum, jussitque ita conficere. Porro essentia sacrificii Missæ pendet tota ab institutione Christi. Ergo.

1101. 2° *Conc. Trident.* Sess. 22, cap. 1. « Deus et Dominus noster... in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium.... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit ; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : « *Hoc facite in meam commemorationem.* »

[1] Ita communissime Theologi, sicut videre est apud Benedictum XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 10, n. 18 et 19.

1102. 3° *Ratione. Ex finali causa Missæ.* Christus Missæ sacrificium instituit ut claram explicitamque suæ mortis memoriam ac repræsentationem nobis relinqueret. Porro clara explicitaque illa memoria ac repræsentatio requirit duplicis materiæ consecrationem. Ergo. Major constat ipsismet verbis Domini : « *Hoc facite in meam commemorationem ;* et istis D. Pauli, I *Cor.* 11 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Et Trid., sess. 22, cap. 1 : « Seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem redemit, instituit, etc. »

Prob. minor. Christus non utcumque mortuus est, scilicet non morbo correptus, non malleo contusus, non aqua suffocatus, etc., sed effusione sanguinis sui ; et ideo ad rationem sacrificii Missæ, requiritur clara et explicita repræsentatio ejus mortis, prout reapse accidit. Porro hoc non fit, nisi per duplicem formam et duplicem materiam, quatenus nempe corpus ejus exsangue constituitur in altari, et sanguis ejus in calice, ex vi verborum. Si consecraretur tantum panis, utique repræsentaretur mors Christi, non autem genus mortis. Similiter, si solus sanguis poneretur in calice, ex vi verborum, non exprimeretur *clare* et *explicite* quod corpus absque sanguine manserit ; sic intellectus, ex vi abstractionis, utique repræsentat essentiam seu quidditatem rei, minime vero dicit, illam essentiam esse separatam a formis individuantibus.

1103. *Confirmatur.* In Baptismate, si habeatur ratio tantum ipsius rei, videtur sufficiens hæc forma : *Ego te baptizo in nomine totius Trinitatis ;* si vero habeatur ratio institutionis, illa forma non est valida, et omnino necesse est trium personarum proferre nomina. Sic in sacrificio Missæ omnino necessaria est consecratio utriusque speciei : licet consecratio unius tantum repræsentet quadamtenus mortem Christi, non satis est ad rationem Sacrificii, prout fuit institutum. Christus enim Dominus « non aliter præcepit expressionem claram Trinitatis in Baptismo, quam consecrationem utriusque speciei ; imo clarius præcepisse videtur consecrationem utriusque speciei, quam verba illa formæ Baptismi, in quo non dixit : *Proferte hæc verba : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti :* sed

solum dixit : *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. At vero in nostro casu, non dixit solum : *Repræsentate mortem meam*, sed dixit clare : *Facite in mei memoriam hoc ipsum quod ego facio*, scilicet consecrationem utriusque speciei ad repræsentandam ejus mortem. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 19, sect. 8. Unde Benedict. XIV, post Sylvium (3 p. q. 83, quæritur 3) ita concludit : « Si una duntaxat consecratur species, Sacrificium dici potest inchoatum, sed non perfectum essentialiter. »

QUÆRITUR AN VERE SACRIFICIUM OFFERRET QUI PRIUS VINUM CONSECRARET ?

1104. Qui mutaret ordinem in consecratione facienda, prorsus grave sacrilegium committeret, quippe contra Christi ritum et Ecclesiæ praxim faceret. Valide tamen offerret Sacrificium, quia in re reperitur totum quod Christus instituit. Præscriptus ordo non est essentialis ad mysticam Christi mactationem ; nam clara et expressa sanguinis effusionis repræsentatio non habetur, donec utriusque speciei consecratio perficiatur, et separatio sanguinis a corpore satis significatur, sive prius, sive posterius consecretur panis. Unde, ex rubrica *De defectibus* § 3, n. 5 et 6, si sacerdos, sumpta hostia, advertat illam esse corruptam, debet alteram consecrare quin vinum iterum consecret, dummodo nondum sumpserit primum calicem consecratum. Si vero advertat hoc « post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua ; et facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret incipiendo ab illis verbis : *Qui pridie*, ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam : ne sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo [1]. »

PROPOSITIO VII

Probabilius est quod tota sacrificii Missæ essentia consistit in consecratione utriusque materiæ.

1105. Prob. 1° *SS. Patribus.* S. Irenæus, IV *Adversus hæ-*

[1] Aliqui dicunt, satis esse consecrare iterum materiam quæ non fuit valide consecrata, quando timetur scandalum populi. Sed in primis vix potest ibi esse scandalum. Deinde separatio mystica sanguinis et corporis Christi fit per coexistentiam utriusque signi partialis ; unde si materia tantum de novo consecratur, Sacrificium non erit certo validum.

reses 32, affirmat, Christum docuisse novi Testamenti oblationem, quando dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.*

S. Chrysost., *Hom.* 1 *De proditione Judæ:* « Vox hæc: *Hoc est corpus meum,* semel prolata in ecclesiis ad unamquamque mensam ab illo (Christo) ad hodiernum usque tempus, et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit. »

S. Thomas, 3 p. q. 83, a. 4, exponens quomodo magna ratione instituta fuerint ea quæ in Missa aguntur, dicit: « Quarto, petit hoc sacrificium *peractum*, esse Deo acceptum, cum dicit: *Supplices te rogamus,* etc. » Nec obstat quod dicit, a. 6, ad 1, scilicet « Missæ celebritatem debere ab alio expleri, » si sacerdos correptus sit morbo vel morte post consecrationem; nam illa verba optime intelligi possunt de integritate et perfectione Sacrificii. Nedum ille locus sit contrarius, potius favet nostræ sententiæ; nam si in ipso solum esset standum, independenter ab aliis locis, D. Thomas dixisset, communionem sacerdotis esse præcepti ecclesiastici; sic enim concludit primam objectionem: « Ergo videtur quod non possit implere *statutum Ecclesiæ*, quo præcipitur quod sacerdos consecrans suo sacrificio communicet[1]. »

Referas adhuc testimonia superius (1097) adducta; et si alia desideres, adeas Suarez, in 3, disp. 75, sect. 5, n. 11.

1106. 2° *Praxi Ecclesiæ.* Neosacerdotes, in die ordinationis suæ, cum Episcopo consecrant ac sacrificium vere offerunt, uti ostensum est in priori parte; et tamen non communicant sub specie vini. Porro si communio esset de essentia sacrificii, non vere offerrent sacrificium, quia non minus sumptio quam consecratio utriusque speciei requireretur ad sacrificium; et sicut non vere offerret sacrificium aliquis eorum qui consecraret tantum corpus, ita qui solum corpus sumit. Nec efficaciter occurrit Tournely dicens, Pontificale præscribere ut communicent, non

[1] Attamen De Lugo, disp. 19, sect. 4, n. 50, dicit, D. Thomam, in diversis locis, pro utraque sententia citari posse. Benedictus XIV, lib. II *De Missæ sacrif.*, cap. 21, n. 7, dicit: « Ad D. Thomæ doctrinam propius accedere eam sententiam quæ neque in consecratione, neque in Sacramenti consummatione duntaxat, sed in utraque statuit Eucharistici sacrificii essentiam, probant Salmanticenses, *Cursus Theolog.* tom. 11, tract. 23 *De Eucharist.*, disp. 13, dub. 2, ubi, qui plura velit, rem pro dignitate digestam reperiet. »

ex hostiis præconsecratis in pixide asservatis, sed ex hostiis in sacrificio quod offerunt consecratis ; hoc enim fit etiam pro cæteris ordinatis sive in diaconos, sive in subdiaconos, sive in minores ordines ; et hoc quidem, tum quia ex se potius est, etiam pro laicis, communicare cum hostiis consecratis in sacrificio cui interfuerunt ; tum maxime ad significandum, potestatem ipsis collatam esse in ordine ad Sacrificium.

1107. 3° *Ratione. Primo, ex natura ipsa sacrificii.* Sacrificium consistit præcipue in oblatione et immutatione rei oblatæ. Porro in consecratione simul fit oblatio et immutatio victimæ. Ergo.

Prob. minor. Primo quidem contingit oblatio victimæ eo ipso quod ponitur in altari ; nec est necesse ut sacerdos dicat : *Offero ;* sed satis est quod reapse offerat per actionem, sicut in ara Crucis vere Christus sese obtulit Patri, quin tamen dixerit verbis ore prolatis : *Me offero tibi, Pater.* Secundo, quod intercidat immutatio plane sufficiens ad rationem sacrificii, patet, quia victima destruitur humano modo ; non est enim necessaria destructio physica et substantialis rei oblatæ, sed satis est quod fiat inutilis ad priores operationes et usus ; sic in veteri Lege, ovis jam vere sacrificata erat quando in altari erat occisa ; panes vere sacrificabantur quando coquebantur in fornace et deputabantur in cultum divinum ; et liquores, quando effundebantur : quippe res ita sacrificatæ amplius non sunt aptæ ad priores usus, et tamen non sunt physice ac substantialiter destructæ. Ita per consecrationem Christus ponitur super altare veluti in statu mortis, prohibitus nimirum a *naturali* sensuum externorum et potentiarum usu, et simul fit comestibilis ; ita ut jam non sit utilis ad alios usus. Hæc autem mutatio major est plerisque mutationibus quas, tum in Lege naturæ, tum in Lege scripta, humanus usus et mos requirebat ad sacrificium.

Propter hoc S. Greg. Nyssenus, jam citatus ubi de existentia sacrificii Missæ, et, alii Patres dixere, « tunc Christum sacrificium declarasse, cum corpus suum discipulis ad edendum præbuit ; nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit ; reddere ergo illud corpus ad statum cibi comestibilis fuit quasi occidere illud, non physice, sed moraliter seu humano modo. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 19, sect. 5, n. 67.

1108. *Confirmatur.* Quum, ex vi verborum, corpus et sanguis Christi ponantur separata ab invicem, licet, propter concomitan-

tiam, non fiat hujusmodi realis separatio, nihilominus actio sacrificativa est, ex natura sua, destructiva rei oblatæ ; sicut tanquam veri et proprie dicti martyres habentur sancti qui aut vulnera accepere, aut subiere supplicia nata ad mortem inferendam, quamvis miraculose evaserint illæsi, ut S. Joannes apostolus ante Portam Latinam. Unde, si in veteri Lege, sacrificans lethale vulnus intulisset victimæ, ipsa vere sacrificata fuisset, etsi Deus miraculose eam servasset. Nec obest exemplum Abrahæ, quod in contrarium adducit Bellarminus : utique Abraham mente duntaxat et voluntate, non autem vero et proprie dicto sacrificio immolavit suum filium Isaac ; sed hoc quia non perfecit actionem aptam ad illum necandum. Si enim reapse percussisset natum lethali vulnere, atque simul omnipotens Deus illæsum servasset, nonne vere ac proprie Abraham sacrificasset ?

1109. *Secundo, ex causa finali sacrificii Missæ.* Sacrificium Missæ, præter finem omnibus sacrificiis communem, habet ut sibi maxime proprium quod repræsentet passionem Christi. Atqui passio Christi repræsentatur in consecratione utriusque materiæ. Ergo et in illa reponitur essentia sacrificii Missæ. Consequentia patet, nam proprium est quartum universale quod dimanat essentialiter a specie, scilicet ab integra essentia (Vide Logic. n. 10); ergo, si Missa suum habet proprium ex Consecratione, in illa reponenda est tota ejus essentia. Major constat ex verbis Domini : *Hoc facite*, etc., et ex verbis Apostoli, I *Cor.* 11 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Minor colligitur ex D. Thoma, 3 p. q. 80, a. 12, ad 3 : « Repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari. »

1110. *Confirmatur.* Passio Christi non potest repræsentari vere ac proprie nisi per verum et proprie dictum sacrificium, quod sit illius repræsentativum. Atqui Consecratio sola repræsentat sacrificium Crucis ; nam, vi illius, corpus et sanguis Christi sistuntur et exhibentur seorsim, sicut in Cruce sanguis fuit a corpore separatus ; et in hoc est adæquata sacrificii Crucis ratio, per quod omnia consummata sunt ; nec ad hoc fuit opus quod Christus in sepulcrum positum fuerit ; quod in Missa significatur per communionem. Ergo.

1111. *Tertio, indirecte.* Adversarii tenent, Consecrationem

esse partem essentiæ sacrificii Missæ, sed negant, esse totam essentiam, quia per ipsam non fit destructio, neque immutatio victimæ. Porro in hoc est contradictio ; nam actio sacrificativa est proprie sola actio destructiva sive immutativa victimæ. Ergo, si Consecratio non est immutativa victimæ, est tantum conditio prævia ad Sacrificium. Ergo sacerdos qui non consecrasset, sed sumeret corpus et sanguinem Christi ab altero sacerdote consecrata, solus proprie ac vere offerret Sacrificium.

1112. *Confirmatur*. Vel tota Missæ essentia est in Consecratione, vel etiam partim in communione sacerdotis. Atqui posterius dici nequit. Ergo. *Prob. minor*. De fide est quod Christus, in novissima Cœna, verum ac proprie dictum sacrificium obtulerit. Ergo, si communio est de essentia Missæ, erit etiam de fide quod Christus seipsum propriis manibus communicaverit. Sed nedum illud sit de fide, ne certum quidem ; nam hoc tenetur, ad summum, ut probabilius, sicut asserit D. Thomas, 3 p. q. 81, a. 1, et colligitur indirecte ex illis *Luc.* 22 : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.... Non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Ergo. Si tamen communio esset de essentia Sacrificii, Evangelistæ, Christum communicasse, dixissent directe et aperte, sicut retulerunt ea quæ pertinent ad essentiam Sacramenti ; Eucharistia enim, quatenus est Sacrificium, non minus est necessaria Ecclesiæ, quam quatenus est Sacramentum.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

1113. *Obj.* 1° « Si per consecrationem vera et realis immolatio fieret, ea tamen non fieret in altari, sed in cœlo. Nam immolatio ibi fieri dicitur, ubi animal vivum occiditur ; sive ubi divisio fit corporis ab anima et sanguine. Porro divisio corporis Christi ab anima et sanguine, siqua fit per verba sacramentalia, non fit in altari, sed in cœlo ; ibi enim fieri debet divisio, ubi præexistit res ante divisionem ; Christus autem ante divisionem istam, in cœlo, non in altari præexistit. Itaque secundum hanc sententiam, immolatio non fit in altari, sed tantum partes rei immolatæ post immolationem in altari collocantur. At quis concederet, immolationem, quæ est sacrificium christianæ religionis, non in terra, sed in cœlo tantummodo celebrari? » Bellarminus, I *De Missa* 27. Ita etiam S. Alphonsus, lib. VI, n. 305.

Resp. Nego maj. Falsis innititur fundamentis illa Bellarmini difficultas, nempe *primo*, quod actio conversiva in consecratione Eucharistiæ sit adductiva corporis et sanguinis Christi ; *secundo*, quod Christus in propria specie sacrificetur, et quod corpus sanguisque ejus sint tanquam materia et terminus *a quo* Sacrificii, non vero terminus *ad quem*. Atqui falsitas prioris suppositi demonstrata est in priori parte (152) ; posterioris autem falsitas constat ex demonstratis in articulo præcedenti (1073-1075). Aliunde hæc positio prohiberet quominus Consecratio pertineret ad essentiam Sacrificii : quod ipse Bellarminus impugnat, in loco citato. Tandem, si valeret objectio, nulla esset proprie dicta immolatio Christi in terra per sacrificium Missæ ; siquidem Christus nec per communionem, neque per ullam ex his quæ Consecrationem subsequuntur actionibus, immolatur.

1114. *Inst.* Victima præexistere debet immolationi. Porro Christus quatenus victima non præexistit Consecrationi. Ergo. Consecratio nequit esse immolatio Christi.

Resp. Dist. major. Quando victima non producitur per actionem sacrificativam, *concedo ;* secus, *subdistinguo :* Præexistere debet natura seu ratione, *concedo ;* tempore, *nego*. Ratio distinctionis sat ex se patet.

1115. *Obj.* 2° Ad essentiam sacrificii necessario requiritur destructio vel immutatio rei oblatæ. Porro per Consecrationem non fit destructio vel immutatio rei oblatæ, sed productio illius ; siquidem res oblata est Christus quatenus existit sub speciebus : repugnat autem ut eadem actio sit simul productiva et destructiva ejusdem rei. Ergo. Ita iterum Bellarminus et S. Alphonsus.

Resp. 1° *Retorqueo*. Ergo nec est pars essentiæ, sed tantum conditio prævia ; nam sola actio proprie et essentialiter sacrificativa est actio destructiva vel immutativa victimæ ; ideo hæc difficultas æque pollet contra adversarios qui tenent, Consecrationem esse partem essentiæ sacrificii eucharistici.

2° *Nego min.* Actio consecrativa est, ex institutione Christi, non vero ex sua natura, simul *conversiva, oblativa* et *destructiva*. Dico *ex institutione Christi ;* nam ipse potuisset Eucharistiæ sacramentum sine sacrificio Missæ instituere. Deinde potuisset seipsum in Eucharistia offerre, sine destructione mystica, quia oblatio rei optime fieri potest sine ejus destructione ; sic sacerdos in sua consecratione offertur Deo, et Christus ipse a conceptu

suo omnibus suæ vitæ instantibus se Deo Patri obtulit. Quapropter actio conversiva, oblativa et destructiva sunt ab invicem formaliter distinctæ ; unde actio consecrativa, quia, ex institutione Christi, illas tres actiones continet virtualiter et eminenter, habet tres effectus formaliter distinctos, licet eodem instanti producat eos. Ideo non est destructiva sub eodem respectu quo est productiva ; et ita non est contradictio : prioritate rationis, illa actio est primum productiva et præparativa victimæ, atque ut sic transmutat panem et vinum : deinde est oblativa, quatenus scilicet victimam exhibet Deo in honorem et cultum ejus : tandem est destructiva, inquantum nempe constituit, vi verborum, corpus et sanguinem ab invicem separata, et per modum cibi et potus. Sic anima humana, licet una, est tamen sub vario aspectu vegetativa, sensitiva et intellectiva ; sic etiam in Deo una tantum est actio immutabilis ac sempiterna, qua mundum condidit, seipsum et justos diligit, peccatum odit, beatos remunerat in cœlis, et damnatos plectit in inferno ; et hæc omnia præstat eadem æternitatis duratione, sed sub vario respectu.

1116. *Obj.* 3° Si communio sacerdotis esset tantum pars integralis sacrificii Missæ, non vero essentialis, posset interdum omitti, sicut satisfactio, quæ est pars integralis sacramenti Pœnitentiæ. Porro nunquam omitti potest communio sacerdotis. Ergo.

Resp. Nego maj. et paritatem. « Ratio discriminis inter satisfactionem et sumptionem ea est quod satisfactio est pars, non solum integrans, sed levis in ratione partis ; ordinatur enim ad effectum minus principalem, nempe ad solam remissionem pœnæ temporalis ; et quidem cum ille effectus non sit semper necessarius vel etiam possibilis, non mirum quod aliquando ex levitate materiæ possit sine culpa gravi prætermitti. At vero sumptio est pars gravissima hujus holocausti et ordinata ad effectum ejusdem rationis, et ad cultum Dei, qui fit per completam destructionem victimæ ; quare non potest omitti sine gravissima culpa, licet solum sit pars. Neque enim omissio omnium partium habet parem indecentiam ; pars quippe hominis est manus, et pars etiam sunt capilli ; et tamen non ita necessarii sunt capilli ad integritatem et perfectionem hominis, sicut manus : illi enim pertinent ad quamdam decentiam et finem secundarium, manus vero ad operatio-

nes et finem primarium. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 19, sect. 5, n. 76.

1117. *Obj.* 4° Si Apostoli confecissent Eucharistiam in triduo mortis Christi, proprie dictum sacrificium obtulissent. Porro tunc nulla facta fuisset per consecrationem immutatio substantialis in victima. Ergo consecratio non est pars essentialis actionis sacrificativæ.

Resp. Transeat major; nego min. Utique, si tunc Apostoli consecrassent, vis consecrationis non fuisset constituere Christum in statu mortis, quum jam mortuus esset; sed nihilominus posuisset eum in statu victimæ, quatenus nempe illum effecisset aptum ad refectionem spiritualem, sicut substantia panis fit apta ad cibum per ignis coctionem. Et hoc plane sufficiebat in veteri Lege ad rationem sacrificii.

Ideo et in hoc casu duplex quoque inveniretur victimæ mactatio et destructio, prior scilicet in consecratione, et posterior in communione. Dico *transeat*, quia jure dubitatur an Apostoli potuissent valide consecrare in triduo mortis Christi. Nam sacrificium Missæ, prout a Christo institutum fuit, non potest offerri quin Christus ipse sit principalis offerens ; Christus autem est principalis offerens, non tantum quatenus Deus, sed etiam quatenus Deus homo. Atqui in triduo mortis, non erat homo. Ergo. Deinde sacerdotes consecrant vi horumce verborum : *Hoc est corpus meum*, etc., quæ proferunt enuntiative et formaliter. Quum vero Christus, in triduo mortis, non existeret ut homo, non poterat loqui. Ergo. Unde D. Thomas et alii Doctores, quando loquuntur de consecratione in triduo mortis Christi, non definiunt absolute quod potuerit fieri; sed loquuntur hypothetice, et inquirunt quid contigisset, si forte tunc facta fuisset.

PROPOSITIO VIII

Communio sacerdotis est de integritate sacrificii Missæ.

1118. Prob. 1° *Jure Canonico.* In capite *Comperimus*, *De Consecr.*, dist. 2, dicitur, immane esse sacrilegium non sumi utramque speciem ab eo qui sacrificat. Concilium Toletanum XII, cujus verba referuntur in cap. *Relatum*, *De Consecr.*, dist. 2, gravem imposuit pœnam sacerdotibus qui non communicabant, quoties Missam celebrabant, atque dixit : « Quale erit sacrifi-

cium, cujus neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur ? Ergo modis omnibus tenendum est ut quotiescumque sacrificans corpus et sanguinem Jesu Christi Domini nostri in altari immolat, toties perceptionis corporis et sanguinis Christi se participem præbeat. » — Concil. Tridentinum, sess. 13, cap. 8 : « In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent ; sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent : qui mos, tanquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet. » Porro, si communio sacerdotis non pertineret ad Sacrificii integritatem, non apparet cur tam caute et sub gravissimis pœnis præcipiatur, potiusquam dispensatio astantibus ; quum certius constet, Christum distribuisse Eucharistiam, quam sumpsisse, et utrumque dicatur esse extra rationem Sacrificii, et esse solummodo quidam usus Sacramenti et participatio victimæ immolatæ.

1119. 2° *Liturgia.* Rubrica *De defectibus Missæ* præcipit sacerdoti, si aquam loco vini consecraverit, vinum infundere in calice, atque illud consecrare ac sumere, etsi forte jam aquam sumpserit, ne scilicet imperfectum remaneat Sacrificium. Item si celebrans moriatur post consecrationem, præcipitur ut alius sacerdos etiam non jejunus prosequatur Sacrificium Sacramentumque sumat, ne Sacrificium remaneat imperfectum. Atqui non remaneret imperfectum, etiamsi non sumeretur Sacramentum, si communio non pertineret ad Sacrificii integritatem. Ergo.

1120. 3° *Ratione. Primo, ex perfectione sacrificii Missæ.* Sacrificium Missæ est exemplar omnium sacrificiorum veteris Legis, ideoque illorum omnium perfectiones in se complectitur. Porro in illis sacrificiis, victima non tantum immolabatur, sed etiam aut tota, ut fiebat in holocausto, aut partim, ut fiebat in aliis sacrificiis, igne cremabatur ; et ita duplicem destructionem victima subibat. Ergo ut figuræ adamussim in realitate et exemplari expleantur, non satis est victimam mactare, sed insuper oportet illam consumere.

1121. *Secundo, ex significatione.* « Quicumque Sacrificium offert, debet Sacrificii fieri particeps, quia exterius Sacrificium quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo, ut Augustinus dicit, X *De Civitate Dei.* Unde per hoc

quod participat Sacrificio, ostendit, ad se sacrificium interius pertinere. Similiter etiam per hoc quod Sacrificium populo dispensat, ostendit, se esse dispensatorem divinorum, quorum ipse primo debet esse particeps... Per hoc autem fit particeps quod de Sacrificio sumit, secundum illud Apostoli, I *Cor.* 10 : *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris ?* Et ideo necesse est quod sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat integre hoc sacramentum. » 3 p. q. 82, a. 4, o.

COROLLARIUM

1122. Quapropter, sicut homo sine manibus vel pedibus est essentialiter homo, non tamen integer ac perfectus ; ita Missæ sacrificium habet, sine communione sacerdotis, suam essentiam, sed non integram suam substantiam. Quo sensu, S. Augustinus, XVI *De Civitate* 5, dixit, « manducare panem, esse sacrificium Christianorum », scilicet quantum ad participationem rei oblatæ. Eodem sensu, officium sextæ feriæ in Parasceve aliqui Patres et Doctores appellarunt sacrificium, quia est completivum sacrificii præcedentis diei, et non mera communio sacramentalis. Unde D. Thomas, 3 p. q. 83, a. 2, ad 2 : « Hoc sacramentum est figura quædam et exemplum Dominicæ passionis... Et ideo in die quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti ; ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum in die præcedenti reservatur sumendum in illo die, non autem sanguis, propter periculum, et quia sanguis specialius est imago Dominicæ passionis. » Ergo illa sumptio est per modum sacrificii ; nam si esset mere sacramentalis, prodesset quidem sumenti, non autem Ecclesiæ ; et ad ipsam faciendam non necessario requireretur sacerdos. Ideoque patet cur sacerdos in illo officio dicat : *Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Nullo autem pacto illud officium est proprie dictum sacrificium, sicut aperte dicit ibidem D. Thomas, et Hugo Victorinus, lib. V : « Hodie non sacrificamus, dum hostia de manibus tollitur : non sacrificant amici, dum trucidunt inimici. »

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

1123. *Obj.* 1° Sacrificium Missæ est secundum ordinem Mel-

chisedech. Porro in sacrificio Melchisedech, et in aliis similibus veteris Testamenti, probabilius est quod panis et vinum non sumebantur, sed per combustionem et effusionem consumebantur. Ergo.

Resp. Dist. maj. Ita ut sit etiam omnium veteris Legis sacrificiorum exemplar, *concedo ;* ita ut in ipso contingant adamussim omnia et ea sola quæ fiebant in sacrificio Melchisedech, *nego.* Nam in Missa, non tantum panis et vinum, sed etiam caro et sanguis, imo vivus homo sacrificatur; ideo victima destruitur per immolationem et sumptionem, sicut fiebat olim in sacrificiis ovium et boum. Propterea Ecclesia, in Dom. VI post Pentecostem, dicit : « Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti, etc... »

1124. *Obj.* 2° Sacrificium Missæ est repræsentatio sacrificii Crucis. Porro sacrificium Crucis non repræsentatur per communionem sacerdotis. Ergo.

Resp. Dist. min. Adæquate, *concedo ;* partialiter, *nego.* Communio enim est etiam aliquatenus passionis Christi memoria, juxta illud I *Cor.* 11 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Nam, in antiqua Lege, secunda destructio victimæ per sumptionem, nedum fuerit opposita occisioni, econtra eam subsequebatur ac perficiebat.

1125. *Obj.* 3° Si sumptio Eucharistiæ esset pars integrans Sacrificii, laici, dum communicant, vel etiam ignis, dum sanctissimas species consumit, vere sacrificaret. Atqui hoc dici nequit. Ergo.

Resp. Nego maj. Ad verum et proprie dictum sacrificium, requiritur legitimus minister, nec satis est ut actio sacrificativa a quolibet eliciatur, sicut dictum est supra (1014 et 1015). Ergo [1].

1126. *Obj.* 4° Actio sacrificativa, etsi pertinens tantum ad Sacrificii integritatem, adscribi debet Christo tanquam principali

[1] Unde minus efficaciter clarissimus P. Perrone (*De Euch.*, p. 2, cap. 1, prop. 3), ut probet, essentiam sacrificii Missæ reponi totam in Consecratione, non autem in communione sacerdotis, infert quod alioqui quodvis aliud genus consumptionis hujus sacramenti, etiam ex parte populi, esset quoque de essentia hujus sacrificii.

offerenti. Atqui communio nullatenus potest adscribi Christo, quia non seipsum manducat in altari. Ergo.

Resp. Nego min. « Etiam in Cruce Christus fuit offerens, et tamen non se occidit, sed se exhibuit occidendum ; sic etiam in altari se exhibet manducandum ; quod sufficit ut manducatio ipsa tribuatur Christo magis proprie quam ejus occisio ; illa enim fuit solum permissive ; sumptio vero fit etiam ex ejus præcepto. Adde, antiquos sacerdotes apud Gentiles non semper manu propria occidisse victimas, sed aliorum ministerio, quibus signum occidendi dabatur ; quare poterit se Christus sacrificare, dum alius ex ejus commissione illum sacrificat. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 19, sect. 6, n. 80. Aliud adducit exemplum Bellarminus, posteaquam eamdem prorsus et ferme iisdem verbis tradiderit solutionem, 1 *De Missa* 27, prop. 7 : « In Testamento veteri, de ratione holocausti erat combustio, quæ tamen immediate, non a sacerdote, sed ab igne fiebat : sed vere dicebatur sacerdos cremare victimam, quando ignem illi subjiciebat. »

ARTICULUS III

DE COMPARATIONE SACRIFICII MISSÆ CUM CÆTERIS

Institui potest comparatio cum antiqui Testamenti sacrificiis, cum sacrificio in ultima Cœna oblato, et cum sacrificio Crucis : deinde comparari potest etiam cum Eucharistiæ sacramento. Claritatis gratia, germanam doctrinam sequentibus complectimur propositionibus :

PROPOSITIO I

Sacrificium Missæ est maximæ dignitatis, et infinite exsuperat omnia antiqua sacrificia.

1127. Prob. I pars. In sacrificio oportet tria considerare, scilicet *ritum*, *significationem*, *et virtutis honestatem*. Porro sub illo triplici aspectu Missæ sacrificium maximam habet excellentiam et dignitatem. Ergo.

Prob. minoris 1ª pars. Res oblata est infinitæ dignitatis, ut patet ; et modus offerendi est, in se, et quoad substantiam suam, maxime supernaturalis ac divinus ; quoad sensibilem vero actionem, est simplicissimus, mundissimus et facillimus. Ergo nihil

amplius, in ritu sacrificandi, ad perfectionem ejus desiderari potest.

1128. 2ª *pars*. Significatio hujus sacrificii est maxima, tam in rebus significatis, quam in modo significandi. Est enim expressa quædam et viva imago passionis Christi, et consequenter incarnationis aliorumque mysteriorum Christi, quibus nihil altius et excellentius operatus est Deus. Et (quod mirabilius est) hæc ipsamet significatio fit media alia actione divina prorsus ac supernaturali, per quam eadem res quæ uno modo significatur, alio modo fit realiter præsens ac contenta sub eisdem signis sensibilibus. Unde etiam fit ut divina virtus et sapientia in hujusmodi sacrificatione manifestetur perfectissime. Demum in ordine etiam ad offerentem, Missæ sacrificium, quantum in se est, significat animum valde religiosum erga Deum, et ad Christum maxime gratum ; in ipso enim fit perfectissima quædam professio divinæ potentiæ, et dominii in omnem creaturam, quam ad nutum voluntatis suæ unico verbo transmutare potest, et fit eximia quædam confessio supremæ excellentiæ et majestatis, quæ tanta est, ut res infiniti valoris ei debeat in sacrificium offerri ; fit denique grata commemoratio beneficiorum Christi et charitatis erga genus humanum. Est igitur Missæ sacrificium in sua significatione perfectissimum.

1129. 3ª *pars*. Quod spectat ad honestatem virtutis, reperiuntur in Missæ sacrificio conjuncta omnia bona quæ in aliis sacrificiis divisa erant ; habet enim efficaciam et valorem infinitum ; et aliunde tum ratione offerentis principalis, tum ratione rei oblatæ, tum ratione modi offerendi, est perfectissimum holocaustum, hostia pacifica, et hostia pro peccato, sicut ostendemus ubi de illius effectibus. Vide Suarez, in 3, disp. 76, sect. 2.

1130. Prob. II pars. Missæ sacrificium, non tantum singula, sed etiam omnia in unum collecta infinite exsuperat antiqua sacrificia : *primo*, ratione principalis offerentis et rei oblatæ, scilicet Christi, qui est infinitæ dignitatis : *secundo*, ratione modi offerendi, qui perfectior simul ac purior est : *tertio*, ratione efficaciæ ex opere operato et valoris ad impetrandum, propter realem Christi præsentiam et oblationem : *quarto*, ratione comprehensionis, nam honestatem illorum omnium eminentissimo modo complectitur.

1131. *Dices :* Multa antiqua sacrificia, utpote cruenta, magis, sub hoc respectu, repræsentabant sacrificium Crucis.

Resp. Nego. Illa enim significabant per alienum sanguinem; dum Missa significat per proprium Christi sanguinem, quem realiter præsentem continet ; unde illa proportio seu convenientia in effusione cruenta valde materialis est, quæ puritatem Legis gratiæ non decebat ; sed alia magis mystica, quæ altior est, et a sensibus abstractior, requirebatur. Non est enim de perfectæ repræsentationis ratione, quod etiam quoad modum conveniat cum re repræsentata, alioqui impossibile est ut intellectus habeat in se germanas ac perfectas corporum repræsentationes ; imo hoc esset impossibile ipsi imaginationi et sensibus omnibus, quum notionalis repræsentatio se habeat modo plane diverso a modo rerum quas repræsentat.

PROPOSITIO II

Sacrificium Missæ numero tantum et accidentalibus circumstantiis differt ab oblato in ultima Cœna.

1132. Prob. I pars. Hæc duo sacrificia conveniunt essentialiter in materia oblationis, in re principaliter oblata, in forma seu actione per quam fit oblatio, et in offerente principali, sicut facile patet. Porro in his quatuor consistit tota sacrificii essentia. Ergo.

1133. Prob. II pars. *Primo, ex parte rei oblatæ.* In Cœna oblatus est Christus mortalis : in Missa vero offertur immortalis et gloriosus. — *Secundo, ex parte sacerdotis offerentis.* In Cœna Christus obtulit per seipsum : in Missa autem, per manus et os sacerdotis : instrumentum vero quod adhibetur, nonnisi accidentaliter variat actionem. — *Tertio, ex parte effectus moralis.* In Cœna sacrificium fuit meritorium et satisfactorium, quatenus fuit a Christi persona : in Missa autem, quatenus est ab eadem persona, nec meritorium, neque satisfactorium est, quia Christus amplius non est in statu merendi et satisfaciendi ; est tamen morale instrumentum ad applicandum effectum meriti satisfactionisque inchoatæ in sacrificio Cœnæ, et consummatæ in sacrificio Crucis. Hæc vero differentia, quoad priorem partem, est etiam aperte accidentalis, cum oriatur solum ex diverso statu principalis offerentis ; imo in hoc servatur quædam proportio : quippe

etiam nunc proximus offerens per hanc actionem meretur et satisfacit ex opere operantis, si in debito statu sit. Quoad posteriorem vero, fere est nulla, quia etiam sacrificium Cœnæ fuit propitiatorium et efficax ad applicandam satisfactionem jam tunc inchoatam et in Passione consummandam. — *Quarto, ex parte significationis.* Cœnæ sacrificium significabat mortem Christi futuram, sed non *ut futuram:* Missa vero præteritam, sed non *ut præteritam.* Nam hæc differentia sano modo est intelligenda : si ex parte ipsorum signorum orta esset, valde intrinseca videri posset ; tamen revera solum oritur ex conditione seu statu rei significatæ : nam significatio quæ non in verbis, sed in rebus ponitur, non est (ut ita dicam) per modum compositionis, et ideo hujusmodi signa non significant, rem præteriisse, vel futuram esse, sed simpliciter repræsentant rem, ut imago Crucifixi quæ fuisset depicta ante adventum Christi, et adhuc existeret : ante tempus Passionis significabat Christum crucifigendum ; post illud tempus, significat crucifixum ; sed totum discrimen repetitur ex parte rei repræsentatæ, et neutiquam ex parte repræsentationis, quæ in se semper eadem est. Similiter in præsenti ; et ideo hæc differentia accidentalis est, præsertim quia, ex institutione Christi, semper fuit hoc sacrificium institutum, ut esset signum permanens pro eo tempore quo jam peracta esset mors Christi. — *Quinto, ex parte prototypi.* Sacrificium Cœnæ non fuit imago alterius sacrificii *incruenti*, sed potius veritas respectu præteritorum sacrificiorum, præsertim sacrificii Melchisedech, et exemplar respectu Missæ, quæ licet veritas sit respectu antiquorum, est tamen vera imago et repræsentatio sacrificii Cœnæ, sicut exponit S. Dionysius, *De eccles. hierarchia*, cap. 3, part. 3. Sed hæc differentia est etiam mere accidentalis ; spectat enim ad originem et extrinsecam causalitatem, non vero ad naturæ diversitatem ; sicut Filius est imago Patris, et una imago potest esse exemplar alterius ejusdem rationis ac perfectionis. *Sexto*, differunt in aliis circumstantiis, vel physicis, ut sunt tempus, locus, hæc vel illa numero materia panis et vini, etc. ; vel moralibus, ut sunt ritus, apparatus, etc. ; nam in hoc Christus fere nihil adhibuit, quia ipse per se non indigebat cæremoniis, et pro Apostolis vel non erat tempus opportunum, vel ipsi capaces non erant. Suarez, in 3, disp. 76, sect. 1.

PROPOSITIO III

Sacrificium Missæ cum sacrificio Crucis convenit in re oblata, et differt sacrificandi modo.

1134. Prob. I pars. Supra ostensum est (1069), Christum esse rem primario oblatam in sacrificio Missæ. Atqui in Cruce Christus fuit res oblata. Ergo. Unde conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 2 : « In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit. »

1135. Prob. II pars. *Primo*, conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 2 : « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. » *Secundo*, in ara Crucis cruente, in Missa vero incruente Christus offertur ; etenim sacrificium Crucis per realem passionem et mortem oblatum est, non quatenus fuit actio prava interficientium Christum, sed ut fuit passio voluntarie suscepta et oblata, juxta illud *Isaiæ* 53, 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit.* In Missa autem offertur sacrificium, absque reali morte, per mysticæ mactationis modum. Et quia differunt in ritu, differunt etiam in significatione mystica ; nam Crucis sacrificium fuit prototypon Missæ et omnium aliorum sacrificiorum. Differunt quoque in effectu ; siquidem sacrificium Crucis operatum est nostram redemptionem, quoad sufficientiam, et aperuit januam cœli, sicut late docet S. Paulus *ad Hebræos ;* Missæ vero sacrificium applicat, quoad efficaciam, fructum sacrificii Crucis, sicut docet Tridentinum, sess. 22, cap. 1. Ex dictis in propositione præcedenti, facile constat, illas differentias esse accidentales. At vero estne ita quoque de ritu ?

Quæritur an sacrificium Crucis et sacrificium Missæ, ratione ritus, sint specifice diversa ?

1136. *Resp. affirmative*, quia hic agitur de ritu essentiali seu de actione sacrificativa, quæ haberi potest tanquam sacrificii forma, et juxta quam denominatur sacerdotium ; sic enim Christus dicitur sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non vero secundum ordinem Aaronis. Neque enim satis est, quod res oblata sit eadem, quia sacrificium non consistit essentialiter

in re ipsa permanente, sed in actione circa illam ; unde, si actiones sint omnino diversæ rationis, quamvis circa eamdem rem materialiter versentur, erunt sacrificia diversa ; sic enim in veteri Lege sacrificium Agni Paschalis et Juge sacrificium erant essentialiter diversa ex ritu, quamvis res oblata esset utrinque ejusdem rationis. Atqui multo major est diversitas inter ritum sacrificandi per realem Christi mortem, et per consecrationem. Ergo, quoad ritum, Crucis et Missæ sacrificia differunt specie.

1137. N. B. Gonet (*De sacrif. Missæ*, disp. 11, a. 2, n. 66) dicit, illam distinctionem non esse *simpliciter* specificam, sed *aliquatenus* tantum, « quia cum habeant idem motivum formale, et distinctio se teneat solum ex parte abstracti materialis, non est proprie distinctio specifica, si aliunde verum sit, virtutem religionis in Christo non distingui specie a nostra. » Suarez vero (In 3, disp. 76, sect. 1, n. 6) oppositum sentit, tum quia sacrificium, sicut sacramenta, magis sumitur pro ritu externo et sensibili, quam pro sacrificio interno voluntatis ; tum etiam « quia sacrificium nostrum unum est propter unum ritum externum, etiamsi propitiatorium, vel laudis, aut holocaustum esse possit, ex diversis motivis. » Et hæc sententia mihi videtur probabilior ; sicut supra ostensum est (1105 et seq.), consecratio unius materiæ non satis est ad essentiam Sacrificii ; atqui tamen, non rei oblatæ, sed ritus tantum desideratur tunc perfectio.

COROLLARIUM

1138. Quidquid id est, Patres, dum dicunt, Missæ et Crucis sacrificium esse idem, attendunt ad rem oblatam, quæ prorsus eadem est utrinque ; vel etiam ita loquuntur, quatenus Missæ sacrificium est viva, realis et adæquata repræsentatio sacrificii Crucis, quemadmodum Filius est adæquata Patris imago. Illa enim ambo sacrificia dici possunt æqualia, cum idem in utroque sit principalis offerens, eademque res oblata ; quia ex his duobus capitibus pendet simpliciter perfectio Sacrificii. In reliquis vero se habent sicut excedens et excessum ; nam, in genere moris, oblatio Crucis superat oblationem Missæ, ratione difficultatis et majoris divinæ dignationis ; quippe assumpsit maxima mala pœnæ, quæ pro nobis obtulit Christus ; ideoque ex hoc capite et ratione status offerentis, Crucis sacrificium excessit in actuali merito et

satisfactione. Missæ vero sacrificium excedit in modo oblationis, quia fit modo impassibili et per actionem magis supernaturalem. Crucis ergo sacrificium magis aptum fuit ad operandam redemptionem; utrumque vero in ratione sua optimum est. Suarez, ibid., sect. 2, n. 2.

PROPOSITIO IV

In rei dignitate, sacrificium et sacramentum Eucharistiæ, quoad terminos, sunt æqualia inter se; in esse autem virtutis, sacrificatio est perfectior Sacramenti effectione.

1139. Prob. I pars. Eadem actio quæ est Sacrificium, est etiam effectio Sacramenti, et eadem res oblata quæ est terminus sacrificationis, est Sacramentum *in facto esse;* quocirca, si habeatur ratio terminorum duntaxat, non solum est æqualitas, sed etiam identitas. — Dixi *quoad terminos*, nam si terminus cum via comparetur, sic Sacramentum, ut est res permanens, perfectius est sacrificatione; et Sacrificium, quatenus est res oblata, perfectius est sacrificatione, et ideo effectione Sacramenti; quia terminus actionis perfectior est actione per quam fit. Si vero conferas sacrificationem cum usu Sacramenti, ipsa prorsus perfectior est, quia usus Sacramenti fit solum per localem applicationem Sacramenti; sacrificatio autem fit per excellentissimam actionem supernaturalem, quæ est ipsamet Sacramenti effectio. Atqui effectio rei est ex se perfectior illius applicatione. Ergo.

1140. Prob. II pars. Ratione actionis, Sacrificium præstat in Sacramentum; nam præstantius est conficere corpus Christi in honorem et cultum Dei, quam in utilitatem fidelium. Porro ita se habet actio sacrificandi et actio efficiendi Sacramentum; qua de causa D. Thomas, 3 p. q. 63, a. 6, dicit, cultum Dei potissimum pertinere ad Eucharistiam, ut Sacrificium est. Licet enim Sacrificium ordinetur quoque ad nostram utilitatem, et Sacramentum ad Dei honorem et cultum; hæc ordinatio non est primaria, sed secundaria, quia Sacrificium, ex vi sui objecti, ordinatur per se et immediate in cultum Dei, et significationem animi subjecti et grati erga ipsum; quæ ratio honestatis maxima est inter omnes morales.

1141. *Dices:* Sacramentum est finis Sacrificii; nam Sacrifi-

cium eo tendit, ut producat sacrum convivium. Porro finis ex se perfectior est via seu medio. Ergo.

Resp. Nego maj. Sacramentum proprie ac per se loquendo, non est finis Sacrificii ; nam per se solum tendit ad rem oblatam ut sic ; quasi materialiter vero inde fit, quod eadem res quæ fuit terminus Sacrificii, aptissima fuerit ut ad usum Sacramenti institueretur.

PROPOSITIO V

Naturæ ordine, terminum termino, et actionem actioni adaptando, Eucharistiæ sacrificium et sacramentum sunt æqualia ; ordine autem intentionis, prius, ordine executionis, posterius Sacramento est Sacrificium.

1142. Prob. I pars. Ibi non est proprie naturæ ordo, quia non est causalitas proprie dicta ; etenim sacrificatio et effectio Sacramenti, terminus Sacrificii et Sacramentum in *facto esse* non differunt ab invicem; et ideo unum non potest esse causa alterius.

1143. *Dices :* Ergo ratio Sacrificii includit rationem Sacramenti, et vice versa. Atqui hoc est impossibile, nam hæc duæ rationes sunt specificæ ac ultimæ. Ergo.

Resp. Dist. major. Si Sacrificium sumatur pro re oblata, *concedo;* si sumatur pro actione sacrificandi, *nego.* Nam de Sacrificii rei oblatæ ratione est quod sit sensibilis ; porro nequit esse sensibilis Christus nisi inquantum significatur per species. Attamen res oblata dicitur hostia seu sacrificium prout habet respectum ad actionem sacrificandi, a qua suam extrinsecam sumit denominationem. Quando autem Sacrificium sumitur pro actione sacrificandi, sic non constituitur intrinsece ex ratione Sacramenti, sed dicit habitudinem ad Eucharistiæ sacramentum, tanquam ad rem oblatam ; quod non est inconveniens, quia hæc habitudo ejusdem rationis est cum illa quam omnis actio sacrificandi dicit ad rem oblatam, tanquam ad materiam seu terminum suum.

1144. Prob. II pars. Sacrificium enim est res primario intenta in confectione Eucharistiæ, ut patet ex dictis modo (1140). Et confirmatur ex fine præcipuo sacerdotis omnis, qui est offerre sacrificium, sicut patet ex S. Paulo, *Hebr.* 5, 1 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in*

iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Unde, in sacerdotis ordinatione, potestas illi tradita exprimitur per verba quæ ordinem habent ad Sacrificium : *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.*

At vero, ordine executionis, ratio Sacrificii posterior est ratione Sacramenti, quia ex parte rei oblatæ supponit quidquid pertinet ad rationem Sacramenti, scilicet Christum contentum sub speciebus; et insuper aliquid aliud requirit, nempe mactationem mysticam seu ordinem ad illam, et quod ad Dei cultum supremum ordinetur.

CAPUT IV

DE CAUSA EFFICIENTE SACRIFICII MISSÆ

ARTICULUS I

DE AUCTORE SACRIFICII IN NOVA LEGE, SEU DE CAUSA INSTITUENTE

1145. Breviter innuuntur quæ omnino certa sunt. *Primo*, Christum ipsum instituisse sacrificium Missæ in novissima Cœna, quando scilicet vetera omnia abstulit sacrificia, constat luculentissime ex his hucusque delibatis, et ex professo fuit demonstratum in priori parte, ubi de institutione Eucharistiæ; licet enim non sit eadem ratio Sacrificii et Sacramenti, mysterium Eucharistiæ in re ipsa est utrobique idem. Aliunde Christus, utpote auctor novæ Legis, debuit instituere omnia quæ pertinent ad illius essentiam substantiamque : porro sacrificium est res potissima alicujus Legis ; unde D. Paulus, *Hebr.* 7, 12 : *Translato enim sacerdotio, necesse est ut et Legis translatio fiat.*

1146. *Secundo*, nullum vero aliud, præter Missam, sacrificium instituisse Christum, non minus perspicuum est ; et aperte testificantur Scriptura, Patres, Concilia et Ecclesiæ praxis. Unde conc. Tridentinum, sess. 22, in proœmio, dicit, hoc esse unum verum ac singulare sacrificium ; et tota sessione evidenter supponit, illud esse unicum.

At vero, quum potestas instituendi sacrificia sit omni societati connaturalis, inquiri potest an Christus, instituendo Missæ sacrificium, prohibuerit omnia alia sacrificia, adeo ut, ne Ecclesia qui-

dem polleat ad aliud instituendum ? Et propter hanc quæstionem ponitur hic articulus primus, quæ, ut solvatur, sit sequens :

PROPOSITIO

Ecclesia non potest aliquod sacrificium instituere.

1147. Prob. 1° *Scriptura.* Christus instituit ipse immediate sacrificium Missæ. Atqui eo ipso prohibuit implicite alia sacrificia instituere, quemadmodum legislator, eo ipso quod fert legem ad subditorum agendi rationem in talibus vel talibus adjunctis regulandam, prohibet ne se gerant alio modo ac per legem statuitur. Ergo. Unde in veteri Lege, postquam Deus ipse præbuisset populo suo aliqua sacrificia, non licuit illi populo, neque ejus pontificibus novos sacrificiorum ritus instituere, quia nimirum determinatio facta a Deo virtualiter includebat prohibitionem introducendi alia.

1148. 2° *SS. Patribus.* S. Augustinus, VIII *De Civitate*, cap. ult., probat, epulas seu cibos quos fideles offerunt ad sepulcra mortuorum, non esse sacrificia, quia unum tantum est sacrificium Christianorum. Et lib. XX, cap. 21 : « Sacrificamus Deo illo duntaxat ritu quo sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione præcepit. » Ita omnes alii Patres qui de sacrificio Missæ tractaverunt.

1149. 3° *Conciliis.* Concilia identidem docent ac Patres : et Tridentinum, sess. 21, cap. 2, definivit, Ecclesiam nihil posse quoad sacramentorum substantiam. Sub sacramentis autem videtur plane comprehendere mysterium Eucharistiæ absolute et simpliciter. Porro substantialis fieret mutatio circa illud mysterium, si, præter Missam, institueretur aliud sacrificium ; nam sicut, si cresceret in homine numerus potentiarum, vel in gubernio numerus ministrorum, esset substantialis immutatio ; sic in sacramentis et in sacrificio, quia sacrificium est signum ad nutum, humano more dijudicandum : atqui quando *unicitas* vel determinatus numerus est de essentia alicujus rei, eo ipso qui auget numerum, vel unico æquale ponit, eo ipso, inquam, illius essentiam pessumdat, sicut essentiam Dei pessumdaret qui plures Deos, vel quatuor personas divinas poneret. Ergo.

1150. 4° *Ratione. Primo, ex perfectione sacrificii Missæ.* Aliud sacrificium præter Missam esset penitus inutile. Porro Ec-

clesiæ non data est potestas ad inutilia. Ergo. Minor evidens est. Major constat, quia Missæ sacrificium est perfecta et adæquata repræsentatio sacrificii Crucis, ad quod tanquam ad exemplar referri debent cætera omnia sacrificia tum Legis naturæ, tum Legis scriptæ, tum Legis gratiæ. Ante sacrificii Missæ institutionem, ratio multiplicationis sacrificiorum ex ipsorum imperfectione repetebatur : partim enim et imperfecte unumquodque Crucis sacrificium adumbrabat ; unde oportuit illa multiplicare, sicut multiplicatæ fuerunt creaturæ, ut sermonem Dei internum et gloriam simul proderent ac recinerent.

At vero sicut unicus est Filius Dei, quia est adæquata figura substantiæ Patris ; ita et jam unicum esse debet sacrificium, quum Missæ sacrificium perfectissime passionem et mortem Christi repræsentet. Ergo quemadmodum unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Christus Redemptor omnium, sic unum et unicum est in Lege gratiæ sacrificium, videlicet Missa.

1151. *Secundo, ex unitate Ecclesiæ.* Sacrificium est visibile unitatis vinculum, atque ideo ad substantiam unitatemque Ecclesiæ pertinet. Porro Christus solus habuit potestatem instituendi ea quæ pertinent ad illius essentiam. Ergo. Minor constat ex demonstratis in tractatu de Ecclesia. Major constat, quia Sacrificium non minus est Ecclesiæ fundamentum, quam ipsa Sacramenta ; imo potiori ratione, « quia cum omnia ordinentur ad cultum Dei, qui potissime per sacrificium tribuitur, videtur Sacrificium esse velut finis proximus Sacramentorum. Merito igitur inter Ecclesiæ fundamenta numeratur. Sicut ergo ad Ecclesiæ unitatem, confessionem et perpetuitatem conveniens fuit, ut Sacramenta, tam in substantia quam in numero, essent immutabilia, ita fuit idem expediens in Sacrificio ; ideoque non est Ecclesiæ relicta potestas ad sacrificium instituendum, sed solum ad cæremonias addendas, quæ ad convenientem illius ornatum deservirent, in quibus licet sit aliqua varietas in Ecclesia, nullum est inconveniens, dummodo substantia Sacrificii non immutetur. » Suarez, in 3, disp. 74, sect. 4, n. 5.

ARTICULUS II

DE CAUSA OFFERENTE

Quum Christus ipse, sacerdos, et populus fidelis sit unusquis-

que suo peculiari modo offerens, de unoquoque aliquid pertingere oportet.

PARAGRAPHUS I

DE CHRISTO QUATENUS OFFERENTE SACRIFICIUM

1152. Error. Quidam theologi negasse videntur, Christum in sacrificio Missæ proprie offerre, et dicunt, sacerdotis oblationem illi adscribi solum remote, quatenus nimirum oblationem hujus sacrificii instituit, et juxta ejus voluntatem præceptumque offertur; vel etiam quia merita ejus operantur in hoc sacrificio. Atque Christum neque interna oblatione, neque externa actione semper offerre actu quoties Missa celebratur, suadere nituntur illis verbis *Hebr.* 9, 24 et 25 : *Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis : neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno.* Ita videntur sensisse Scotus, *Quodlib.* 20, Gabriel, lect. 26 et 27, et quidam alii pauciores. Sed opposita sententia non tantum communior, sed etiam verior est.

PROPOSITIO I

Christus Dominus est Summus Sacerdos qui principaliter offert sacrificium Missæ, quandocumque et ubicumque offertur.

1153. Prob. 1° *Scriptura. Psalm.* 109, et *Hebr.* 7 : *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Unde sic : Christus dicitur sacerdos in æternum, secundum, etc., propter Missæ sacrificium, sicut ostensum est supra (1026). Porro, si non ipse Sacrificium offerret, ope ministerii sacerdotum, non esset vere ac stricte sacerdos in æternum, id est, usque ad consummationem sæculi. Ergo. Deinde S. Paulus differentiam constituit inter novam et veterem Legem in hoc quod plures olim erant sacerdotes secundum illud tempus offerentes, nunc autem unus est sacerdos æternus, cui nullus succedit, sed reliqui omnes sunt ministri ejus ; sentit ergo S. Paulus, nunc etiam Christum offerre vere ac proprie tanquam principalem causam : alioqui, si Christus omnino ab hoc munere temperaret, nulla esset differentia,

quoad sacerdotum pluralitatem, inter veterem et novam Legem. Ita S. Paulum interpretantur fere omnes expositores.

1154. 2° *SS. Patribus.* S. Irenæus, IV *Adversus hæreses* 24 et 32 : « Per Jesum Christum offert Ecclesia. » — S. Chrysost., *Hom.* 83 in *Matth.* : « Qui tunc in illa Cœna confecit, ipse nunc quoque operatur. » Et *Hom. de proditione Judæ* : « Cum videris sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam. » S. August., XX *De Civitate* 20 : « Christus ipse offerens, ipse est et oblatio ; cujus rei Sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium. »

1155. 3° *Conciliis.* Lateranense IV, cap. *Firmiter*, dicit, Christum, in hoc mysterio, esse simul sacerdotem et sacrificium. Florentinum, in *Decreto*, dicit, sacerdotes conficere hoc mysterium in persona Christi. Tridentinum, sess. 22, cap. 1 et 2, dicit, eumdem Christum qui in Cœna et in Cruce obtulit, esse in hoc mysterio principalem offerentem ; ideoque infert, propter sacerdotum offerentium iniquitatem mundam hanc oblationem inquinari non posse.

1156. 4° *Ratione.* Dignitas rei oblatæ, quæ infinita ac purissima est, postulat similem principalem offerentem, ut talis oblatio nunquam fieri possit a persona quæ non sit Deo grata, et in omnibus suis actionibus pura et sancta, ne forte Deus dicat, sicut olim sacerdotibus veteris Testamenti : *Non suscipiam munus de manu vestra ;* nam, ut sacrificium sit sanctum atque acceptabile, et non possit inquinari, requiritur puritas, non solum in re oblata, sed etiam in manibus principalis offerentis, quia *honos in honorante, et injuria in persona læsa.* Porro sola persona Christi est per se sancta, et in omnibus actionibus suis rectissima; Ecclesia enim, in cujus persona sacerdos offert Sacrificium, quamvis semper sit sancta, tamen quandiu in hac vita militat, non omnino caret macula et ruga, donec in cœlo triumphet, et propterea non est ipsa tam proprie offerens sicut Christus, uti videbimus ; neque etiam est offerens simpliciter necessarius ex vi institutionis hujus sacrificii. Ergo.

1157. *Fit obviam difficultati.* In hoc datur magnum discrimen inter sacrificium et sacramentum, ad cujus dignitatem per se necessarium non est ut ministerium ejus, quod consistit in applicatione ad usum, et ideo potissime in *receptione* considera-

tur, sit omnino impollutum ex parte ministri seu personæ exercentis illud ministerium; dum omnino requiritur sanctitas offerentis principalis ad sanctitatem sacrificii, quia consistit in *actione*. « Neque obstat quod in sacrificio Missæ res ipsa quæ offertur, ex se Deo gratissima sit. Nam non res illa, sed rei illius oblatio proprie sacrificium est; sacrificium enim est actio, non res permanens. Porro licet res ipsa placeat ex se, tamen oblatio rei non placet, nisi offerens placeat, ac præsertim Deo, cujus sunt omnia, et qui nulla re indiget. Unde in Evangelio plus placuit Deo oblatio duorum minutorum a sancta vidua facta, quam oblationes multorum aureorum nummorum ab hypocritis et superbis factæ ; quamvis, cæteris paribus, gratior sit oblatio rei præstantioris, et proinde gratissima oblatio Corporis Domini, rei videlicet omnium præstantissimæ. » Bellarminus, II *De Missa* 4.

PROPOSITIO II

Non remote tantum et per accidens, sed actu Christus jugiter offert per sacerdotum ministerium.

1158. Prob. 1° *Directe, ex dignitate Sacrificii.* Tota Sacrificii essentia consistit in verbis consecrationis, quæ sacerdos profert enuntiative et formaliter, scilicet in persona Christi, qui physice concurrit tanquam principalis offerens ad panem et vinum transsubstantiandum; nam, licet humanitas ejus instrumentaliter concurrat in ea actione, concurrit tamen ut conjuncta divinitati : atque ideo Christus, ita concurrendo, se gerit ut supremus Dei cultor : et sicut actu concurrit ad omnia sacrificia, ita actu de illis cogitat et vult concurrere. « Nec refert quod loco distet, aut quod per seipsum sensibilia verba non proferat, cum hæc non sint de ratione offerentis, ut sic, ut per se constat; maxime cum Christus in cœlo existens intueatur omnes actiones ministrorum suorum, et possit velle in omnibus et per omnes Deum colere, et pro hominibus intercedere. Quod autem ita fiat, facile ostendi potest ex dictis in prima assertione ; et quia hoc est melius et perfectius, magisque conducens ad dignitatem et valorem ejus sacrificii ; nam, licet aliquis eleemosynam mittat per ministrum, tamen magis misericordem se ostendet, et meliori modo operabitur, si dum minister eleemosynam confert, ipse per sese (ut potest) ad elargitionem concurrat, eique actu consentiat ; et similiter,

quamvis honor a Rege per suum legatum exhibitus habeat quamdam specialem dignitatem a personâ regia, tanquam a principali honorante per suum ministrum, multum tamen, secundum moralem existimationem, adderetur, si Rex per seipsum (ut posset) concurreret. Sic igitur, in præsenti, ad exactam perfectionem hujus sacrificii, et ut omnino æquale sit ex parte offerentis sacrificio Crucis et Cœnæ, oportet ut Christus per seipsum aliquo modo offerat, et non tantum per legatum repræsentantem ; et hoc modo melius salvatur quod nunc exerceat munus Sacerdotis summi et æterni. » Suarez, in 3, disp. 77, sect. 1, n. 6.

1159. 2° *Indirecte, ex ruina fundamentorum adversariorum.* Christus offert Missæ sacrificium, vel actu, jugiter et immediate, vel, ut volunt adversarii, tantum quatenus aut voluit offerri in sui memoriam, aut quia hujus sacrificii efficacia fundatur in meritis Christi. Atqui posterius dici nequit. Ergo.

Prob. minoris 1ª pars. Primo quidem ratio seu habitudo offerentis valde diversa est a ratione instituentis ; nam Deus instituit antiqua sacrificia, et tamen non propterea erat principalis offerens in illis. — *Secundo*, hoc non satis est ut oblatio sit munda ex parte offerentis, Deoque accepta, sicut constat iisdem antiquis sacrificiis ; erant enim a Deo instituta, et tamen, quando ab iniquis offerebantur, erant illi invisa, quia ipse non respicit ad instituentem, ut sic, sed ad offerentem. Et eadem ratione hoc non satis est ad dignitatem et quamdam infinitatem sacrificii, sicut iterum constat antiquis sacrificiis ; fuerunt enim immediate instituta a Deo, qui infinitæ dignitatis est, et tamen in usu habebant solum valorem moralem, juxta offerentium dignitatem. Et in sacrificio Crucis, quamvis fuerit a Deo ordinatum (supposita tamen iniquitate interficientium Christum), infinitus valor dimanat ex infinitate personæ Christi offerentis. Nec refert, si addas, Christum ita fuisse instituentem, ut voluerit in sui memoriam celebrari ; nam per hoc non additur habitudo offerentis ; sed præcise habitudo exemplaris, quod est penitus extra rationem offerentis.

1160. *Prob. minoris 2ª pars. Primo*, efficacia meritorum magis effectum sacrificii, quam ipsam oblationem respicit, in qua tamen ratio sacrificii consistit, et quam integram præsupponit efficacia, sicut effectus præsupponit causam. Ergo quod oblatio ipsa habeat ab ipsius Christi meritis efficaciam operandi, non satis

est, ut propterea Sacrificium dicatur offerri a Christo. — *Secundo*, neque hoc satis est, ut Missæ sacrificium dicatur æquale, ex parte offerentis, sacrificio Crucis et Cœnæ ; illa enim fuerunt infinita, non quia nitebantur meritis Christi, sed potius, quia fuerunt ab offerente infinito, ideo fuerunt etiam valoris et meriti infiniti. Vide Suarez, ibid., n. 5.

1161. *Dices* cum Vasquez, disp. 225, cap. 3 : Si Missæ sacrificium honestatem moralem habeat, quia Christus immediate et actu offert illud, Christus per hanc oblationem meretur. Porro Christus amplius mereri nequit. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam ad merendum, non sufficit elicere actus honestos, sed insuper oportet esse in via et in statu passibili, alioquin et in ipso cœlo Christus et Beati indesinenter mererentur.

PARAGRAPHUS II

DE SACERDOTE QUATENUS OFFERENTE SACRIFICIUM

1162. I. Omnis sacerdos valide sacrificat in persona Christi. In priori parte ostensum est, solum sacerdotem rite ordinatum posse valide Eucharistiam conficere, ac ideo Missæ sacrificium offerre, quum utrumque una et eadem actione fiat. Neque per ullum peccatum amitti potest consecrandi et offerendi potestas, quia fundatur in charactere sacerdotali, qui est omnino indelebilis, ut definivit Trident., sess. 7, can. 9, et sess. 23, can. 4. Et rationes optimas tradit D. Thomas, 3 p. q. 82, a. 5 : « Sacerdos consecrat hoc sacramentum, non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cujus persona consecrat hoc sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quod est malus ; habet enim Dominus bonos et malos ministros seu servos. Unde, *Matth.* 24, dicit : *Quis putas est fidelis servus et prudens?* Et Apostolus dicit, I *Cor.* 4 : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi ;* tamen postea subdit : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Erat ergo certus, se esse ministrum Christi ; tamen non erat certus, se esse justum. Potest ergo aliquis esse minister Christi, etiamsi justus non sit. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, sicut vero Deo serviunt, non solum bona, sed mala, quæ per ipsius providentiam in ejus gloriam ordinantur. Unde manifestum est quod sacerdotes, etiamsi non sint justi, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare. »

1163. II. Non omnis sacerdos offert in nomine Ecclesiæ. Attamen si sacerdos sit vel excommunicatus, vel hæreticus, vel schismaticus, vel degradatus, non offert in nomine Ecclesiæ, licet offerat in persona Christi, quia ad hoc ministerium per se ac intrinsece necessarium non est ut gerat personam Ecclesiæ, sed ut personam Christi ; nam ad illud potestatem habet ratione characteris. Sed insuper sacerdotes ab Ecclesia deputantur, ut nomine illius orent, intercedant et offerant ; et ideo hoc munere exspoliari possunt quatenus ab unitate Ecclesiæ præciduntur ne ejus nomine sacrificent. Unde orationes Ecclesiæ quæ non pertinent ad Sacrificii essentiam, si recitentur a sacerdote qui non fuerit præcisus ab Ecclesia, etsi peccator, nihilominus fiunt in nomine Ecclesiæ, et ita acceptabiles sunt apud Deum. Si autem a sacerdote extra unitatem rejecto recitentur, non sunt acceptabiles apud Deum. In his enim quæ sunt ex institutione Ecclesiæ, proprie se habet sacerdos ut minister Ecclesiæ, in cujus persona loquitur et agit ; et ideo ab eadem potest omnino tali ministerio privari per censuras. In his autem quæ sunt ex institutione Christi, per se gerit personam Christi ; et, sub hac ratione, Ecclesia comparatur ad sacerdotem, non ut principalis offerens, sed ut populus ad publicum ministrum datum a Deo ; et ideo nullatenus potest ab illo avocare potestatem offerendi, ut sic, ne per degradationem quidem. Episcopus enim qui dat potestatem consecrandi, nequit postea illam retrahere, quia non dat propria virtute, sed instrumentaliter sicut minister Dei, cujus effectus non potest tolli per hominem, juxta illud *Matth.* 19 : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Vide 3 p. q. 82, a. 7, ad 3, et a. 8, ad 2.

1164. III. Corollarium. *Fructus principalis non pendet ex dignitate sacerdotis.* Quapropter principalis fructus, qui videlicet producitur ex opere operato, semper ex se idem est, quæcumque sit dignitas, vel indignitas sacerdotis celebrantis. Fructus qui defluit ex precibus, quatenus a sacerdote recitantur in nomine Ecclesiæ, est etiam semper idem, dummodo sacerdos non sit præcisus ab Ecclesia, quia est semper Deo grata. Tandem fructus qui est a sacerdote, quatenus in nomine proprio orat, pendet ab illius dispositionibus ; ideoque crescit pro perfectione harum dispositionum, et nullus est, si sacerdos indigne celebrat. Ita D. Thomas, 3 p. q. 82, a. 6. Hinc S. Alexander papa I, Epist. 2 : « Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, et peccata populi

comedunt ; quia suis precibus et oblationibus ea delent atque consumunt ; qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. »

Quoad excommunicatum, si non est vitandus, sed toleratus, preces Ecclesiæ in illius ore effectum suum sortiuntur, quia Ecclesia, eo ipso quod permittit fidelibus ab eo petere missas, consequenter etiam permittit, ut omnino ipsæ fructuosæ sint postulantibus. S. Alphonsus, lib. VI, tract. 6, n. 312.

PARAGRAPHUS III

DE POPULO FIDELI QUATENUS OFFERENTE SACRIFICIUM

1165. I. Fideles offerunt Sacrificium. Concors est sententia Catholicorum omnium, fideles qui sunt de Ecclesia Christi, omnes aliquo modo offerre Sacrificium cum sacerdotibus. Hoc aperte colligitur ex verbis canonis Missæ : « Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.... Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ... Unde et memores, Domine, nos servi tui ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, offerimus præclaræ majestati tuæ. »

1166. II. Quomodo offerunt ? Fideles offerunt, non rigorose, scilicet quatenus ministri, neque immediate, sed mediate tantum et denominative, nempe per sacerdotes. Tres autem sunt modi denominative et mediate offerendi Sacrificium per sacerdotes, quorum unus est generalis et communis omnibus fidelibus, non quidem per aliquam actionem singulorum, sed quatenus sunt de Ecclesia, in cujus nomine sacerdos offert. « Ex quo facile perspicitur, omnes missas communes censendas esse, ut quæ ad communem fidelium utilitatem et salutem pertineant. » *Cath. Rom.*, 2 p. cap. 4, n. 80. Et Trident., sess. 22, cap. 6 : « Siquidem illæ quoque missæ (in quibus solus sacerdos communicat) vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus spiritualiter communicet ; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. » Secundus modus est magis specialis, per actionem scilicet aliquam moventem sacerdotem ad offerendum ; v. g. per eleemosynæ seu stipendii erogationem, aut etiam per quemvis alium modum, quo procuretur Sacrificii celebratio.

Tertius modus est assistendo Sacrificio, maxime ministrando in ipso atque precibus respondendo ; qui enim assistunt vel ministrant Sacrificio, offerunt ratione magis peculiari, quam fideles qui non intersunt, et tanto perfectius hanc rationem participant, quanto propinquius et pluribus modis cooperantur. Vide Suarez, in 3, disp. 77, sect. 3.

CAPUT V

DE CAUSA FINALI SEU DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ

Circa hoc tria quæri possunt, nempe quosnam, quantos effectus et quomodo producat Missæ sacrificium ?

ARTICULUS I

DE SPECIEBUS FRUCTUUM SACRIFICII MISSÆ

1167. Error Protestantium. Sacrificium Missæ esse honorarium et eucharisticum, ultro confitentur Protestantes ; quippe, per ipsum, cultum laudesque Deo, necnon gratiarum actiones pro beneficiis acceptis, eminentiori modo rependimus. Sed acriter inficiantur, illud habere vim ad delenda peccata pœnasque peccati remittendas, et ullo pacto ad impetranda a Deo nova beneficia pollere. Quum enim prædicent, celebrationem Eucharistiæ, non proprie, sed lato tantum sensu esse sacrificium, consequenter negant, illud esse propitiatorium et impetratorium, quia, sicut ipsa sacramenta, nonnisi sumentibus prodesse potest. Atque, ut simul errorem arceamus et veritatem fulciamus, sequentes statuimus propositiones :

PROPOSITIO I

Missæ sacrificium est vere propitiatorium, id est, habet vim remittendi peccata mortalia et venialia, necnon pœnas peccatis condonatis debitas.

1168. Prob. 1° *Scriptura. Job* 1, legimus, sanctum illum virum, qui in Lege naturæ vivebat, quotidie pro peccatis filiorum suorum sacrificasse Deo ; et cap. 42, legimus, Deum ipsum jussisse, ut amici Job sacrificarent pro peccato suo. *Levit.* 4, 5 et 6, descri-

buntur varia sacrificia pro peccato. Utique vetera sacrificia non auferebant peccata *ex opere operato*, quia, ut dicit S. Paulus, *Hebr.* 10, impossibile erat sanguine hircorum et vitulorum auferri peccata ; sed tamen delebant maculas legales, et Deum, quoad pœnas temporales, propitium reddebant ; culpas autem, ex offerentium fide, cujus protestationes erant, vetera sacrificia expiabant. Unde sic : *Primo*, perfectio et vis quæ indita fuit umbris et figuris, prorsus esse debet in veritate et prototypo. Porro sacrificium Missæ se habet, quoad omnia antiqua sacrificia, sicut veritas et prototypus. Ergo. *Secundo*, sacrificium Crucis, quod est singulariter propitiatorium, non impedivit quominus antiqua sacrificia fuerint suo modo propitiatoria. Ergo neque impedit quominus sacrificium Missæ sit etiam suo modo propitiatorium ; nam sacrificium Crucis efficæciam habuit a tempore lapsus Adæ, et habiturum est usque ad consummationem sæculi. Ergo. *Confirmatur :* Sacrificium Missæ non minus commemorativum est passionis Christi, quam antiqua sacrificia ; imo est ejus viva, perfecta et adæquata imago ; cur idcirco non habebit vim quam habuere illa imperfecta sacrificia ? Unde S. Augustinus, *in Leviticum*, quæst. 57 : « Illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum, a cujus sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur. »

1169. *Matth.* 26 : *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In textu primigenio, adhibetur præsens tempus, et dicitur *effunditur*. Unde sic : *Primo*, sacrificium Missæ idem est ac sacrificium Cœnæ. Porro sacrificium Cœnæ fuit propitiatorium ; fuit enim in remissionem peccatorum. Ergo. *Secundo*, sacrificium Missæ est applicans promissiones novi Testamenti, et, propter hoc, ab Evangelistis et S. Paulo Eucharistia dicitur *Testamentum* Christi : hoc concedunt Lutherus et Calvinus. Porro inter promissiones novi Testamenti remissionem peccatorum recenset Jeremias, cap. 32, et S. Paulus, *Hebr.* 8. Ergo. — *Hebr.* 5, 1 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Porro, in Ecclesia Christi, sacerdotes non aliud præter Missam offerunt sacrificium. Ergo Missa est sacrificium pro peccatis, seu est propitiatorium.

1170. 2° *SS. Patribus.* S. Justinus, in *Dialogo cum Triphone*, dicit, sacrificium vaccæ, quod offerebatur pro elephantiacis, fuisse figuram Eucharistiæ, quæ offertur pro expiatione peccatorum. — Origenes, *Hom.* 13 *in Leviticum*, cum adduxerit verba Domini quibus jubemur mysterium Eucharistiæ conficere in memoriam ejus, subdit : « Ista est commemoratio sola quæ propitium facit Deum hominibus. » — S. Athanasius, in sermone *De defunctis*, quem S. Damascenus citat in sermone ejusdem argumenti, dicit : « Incruenta Hostiæ oblatio propitiatio est. » S. Hieronymus, in cap. 1, epist. *ad Titum :* « Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant ab uxorum coitu ; quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? »

1171. 3° *Liturgiis.* In liturgia S. Jacobi apostoli legitur : « Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi. » In liturgia S. Basilii : « Dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus et offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, et pro piaculo populi tui. » — In liturgia S. Chrysostomi : « Idoneos nos redde ad offerenda tibi dona et sacrificia pro peccatis nostris, et populi ignorantiis. »

1172. 4° *Conc. Trident.* Sess. 22, cap. 2 : « Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium istud esse vere propitiatorium, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, et gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. » Et can. 3 : « Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium ; vel soli prodesse sumenti ; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus aliisque necessitatibus offerri debere : anathema sit. »

1173. 5° *Ratione. Primo, ex re oblata.* In Missa vere et proprie offertur Christus, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris. Ergo.

Secundo, ex fine hujus sacrificii. Ex confesso Protestantium, Eucharistia fuit a Deo Christo instituta in remissionem peccatorum. Porro ad hoc non fuit instituta quatenus sacramentum. Ergo quatenus sacrificium. Minor multipliciter suadetur. In primis Eucharistia quatenus sacramentum fuit instituta ad alimoniam animarum nostrarum, neutiquam ad sanandas animas. Deinde quatenus sacramentum non prodest directe nisi eam sumentibus. Tandem, quatenus sacramentum, nedum sit instituta ad remissionem peccatorum, illa præsupponit deleta, et propter hoc Apostolus, II *Cor.* 11, dicit: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat,* etc.

Quæres an Missæ sacrificium conferat immediate et ex opere operato augmentum gratiæ?

1174. Affirmant pauciores, quia Sacrificium non est minus nobile ac perfectum quam Sacramenta, quæ hoc modo augmentum gratiæ producunt. Sed illud fundamentum est debile; nam quantavis sit nobilitas ac perfectio hujus sacrificii, non ordinatur per se primo ad augmentum gratiæ, sed ad cultum Dei. Unde communissime negant melioris notæ theologi, inter quos Suarez, Vasquez, De Lugo, Gonet, Salmanticenses, S. Alphonsus. Alioqui liceret offerre sacrificium Missæ ad augendam gratiam in parvulis; et dives, quin actus pietatis et charitatis eliceret, posset sanctior fieri et beatior in patria præ illis qui multa et maxima charitatis opera agunt, puta si plurimi sacerdotes pro eo quotidie Sacrificium offerrent, dum est adhuc in purgatorio.

PROPOSITIO II

Sacrificium Missæ habet vim impetrativam pro obtinendis a Deo beneficiis sive spiritualibus, sive temporaneis.

1175. Prob. 1° *Scriptura. Levit.* 7, et passim describuntur multa sacrificia impetratoria, quæ jam oblata fuerant in Lege naturæ. II *Regum*, ult., David impetratoria obtulit sacrificia pro peste avertenda. II *Machab.* 3, Onias obtulit salutarem hostiam pro vita temporali Heliodori, quam impetravit. Porro Missæ sacrificium omnem perfectionem omnemque efficaciam antiquorum sacrificiorum continet eminenter, uti jam sæpius inculcatum est, et expresse docet Trident., sess. 22, cap. 1 : « Hæc denique

illa est (oblatio munda) quæ per varias sacrificiorum, Naturæ et Legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio, complectitur. » Ergo.

I *Timoth.* 2, « Scribit Apostolus, faciendas in Ecclesia obsecrationes, orationes, postulationes, et gratiarum actiones pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus. Exponunt sancti Patres de publicis precibus quæ fiunt in Missa; et volunt, Apostolum hoc præcepisse, ut sacrificium etiam offerretur pro temporali pace et tranquillitate Ecclesiæ. Vide August., *Epist.* 59 *ad Paulinum*; et commentaria Chrysostomi, Theophylacti et Œcumenii, in hunc locum; Ambros., VI *De Sacramen.*, cap. ult. » Bellarminus, II *De Missa* 3.

1176. 2° *SS. Patribus.* Tertull., *Ad Scapulam*, cap. 2 : « Sacrificium pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui in infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus qui opibus indigent. » Eadem fere iisdem verbis habet S. Cyrillus Hieros., *Catechesi* V. S. Chrysost., *Hom.* 18 et 21 in *Act. Apost.*, et alibi sæpe docet, offerri Sacrificium pro fructibus terræ, proque aliis necessitatibus. S. Augustinus, XXII *De Civit.* 8, meminit sacrificii Eucharistiæ oblati ad purgandam domum a dæmonum vexatione. S. Gregor. Magnus, *Hom.* 37 in Evangelia, et Beda, IV *Histor. Angliæ* 22, scribunt, diversis temporibus, idem miraculum contigisse, ut cum Missæ sacrificium offerretur pro homine captivo in alia regione, et ignorante quid pro se fieret, ejus vincula divinitus solverentur, ipsa hora Sacrificii. Bellarm., ibid.

1177. 3° *Praxi Ecclesiæ.* « Liturgiæ omnes, Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, non semel inter offerendum, orandum præcipiunt pro pace, pro copia fructuum, et pro aliis hujus generis temporalibus beneficiis. » Bellarm., ibid.

1178. 4° *Concil. Trident.* Sess. 22, cap. 2: « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem offertur. » Idem habetur in can. 3.

1179. 5° *Ratione.* Ex præcedenti propositione constat, sacri-

ficium Missæ valere pro peccatis dimittendis ; ergo a fortiori valet pro beneficiis impetrandis; nam si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem sacrificium adducetur, ut amicis et reconciliatis bona spiritualia et temporalia, quæ ad salutem expediunt, est largiturus!

ARTICULUS II

DE QUANTITATE, SEU DE INTENSITATE ET EXTENSIONE FRUCTUUM MISSÆ

1180. I. Declaratur quæstio. 1° Quum multiplex distinguatur offerens Missæ sacrificium, nempe Christus ut principalis, sacerdos ut instrumentalis causa, Ecclesia et fideles ut remote et denominative concurrentes; inquiri potest an Missæ sacrificium, quatenus est ab illis singulis, habeat valorem et fructus infinitos?

1181. 2° Quia in re distingui soleat comprehensio ab extensione, quæ potissimum quoad effectus alicujus causæ debent accurate distingui; inquiritur præterea an Missæ sacrificium habeat valorem et fructum infinitum, sive ratione intensitatis, seu comprehensionis, sive ratione extensionis. Etenim licet causa aliqua non possit formam producere ultra certum gradum intensitatis, potest tamen aliquando totam illam formam et æque intensam in multis subjectis producere ; sic vox humana eodem modo sonat, sive viginti, sive centum aures eam accipiant. Et ideo inquiritur an Missæ sacrificium, sive pro uno aut pauciori-bus, sive pro pluribus offeratur, æque prosit ipsis singulis?

1182. 3° Apud omnes certum est, Missæ sacrificium, quatenus, et a sacerdote, et fidelibus, et Ecclesia offertur, habere effectus undequaque finitos intensive, scilicet in ratione meriti, quia, ut dicit S. Gregor. Magnus, *Hom.* 5 in Evangelia, « non perpendit Deus in suo sacrificio quantum, sed ex quanto offeratur. » Porro et sacerdos, et fideles, et Ecclesia ipsa, quantumvis sancta, semper est dignitatis finitæ. Idcirco non nisi hunc vel alterum gratiæ et satisfactionis gradum obtingere possunt: qui tamen gradus augeri potest, prout acceptabiliores Deo fiunt offerentes.

1183. 4° Oportet etiam sedulo distinguere satisfactorium ab

effectu impetrativo, quia diversimode ad utrumque se habet Missæ sacrificium, uti infra aperiemus.

1184. II. PUNCTUM CONTROVERSIÆ. Quapropter difficultas est tota de valore et fructu sacrificii Missæ prout offertur a Christo, principali offerente, et quidem quatenus est satisfactorium pro pœnis debitis peccatis jam condonatis; an scilicet Missa oblata pro quatuor vel pluribus habeat pro unoquoque æqualem fructum remissionis pœnæ extensive, quam si offeratur pro uno tantum; an vero fructus satisfactorius dividatur in quatuor, vel plures partes? Et circa hoc valde scinduntur theologi, qui hinc et inde etiam melioris notæ magno agmine pugnant. Etenim æqualem esse fructum, affirmant Melchior Canus, Cajetanus, Vasquez, Gonet, Salmantic., continuator Tournely, La Croix, S. Alphonsus, qui, liber VI, n. 312, dicit, hanc sententiam esse communissime receptam a recentioribus. Sapientissime tamen advertit, sententiam oppositam esse probabilem; et ideo non licet quidem sacerdoti, dum accipit stipendium ab uno, applicare Missam pro illo in generali cum aliis, nisi saltem sub conditione, nempe modo ille non defraudetur. » Negant vero Scotus, S. Bonaventura, S. Thomas, Paludanus, Durandus, Bellarminus, Suarez [1], De Lugo, Sylvius, Bona, Toletus, Benedictus XIV, etc. Fagnanus, *De sepulturis*, cap. 3, n° 47, dicit, hanc sententiam esse receptissimam, et autoritate Ecclesiæ approbatam.

PROPOSITIO I

Valor sacrificii Missæ, quoad sufficientiam, est intensive infinitus, sed quoad efficaciam, seu ex parte effectus, est semper finitus.

1185. PROB. I PARS. *Primo, ex Missæ dignitate.* Sacrificium mutuatur suum valorem a duplici capite, nimirum rei oblatæ, et offerentis dignitate. Porro, in Missæ sacrificio, res oblata et principalis offerens sunt dignitatis infinitæ. Ergo et valor sacrificii. Nec obest quod Christus utatur ministerio sacerdotis; nam quemadmodum indignitas hujus ministri nullo pacto ad mundam oblationem valet inquinandam, ut docet Trident., sess. 22, cap. 1; ita nec ejus finitas sacrificii infinitatem coarctare potest:

[1] S. Alphonsus citat Suarezium pro opposita sententia; attamen ex professo Suarez, in 3, disp. 79, sect. 12, n. 7, secundam fulcit sententiam.

utrinque par ratio occurrit. Unde in negotiis humanis valor alicujus doni non pendet ab illo qui illud defert tanquam servus, sed ab eo qui offert; a fortiori, in sacrificio Missæ, Pater æternus, non ad ministri manus, sed in faciem Christi sui respicit. Ad rem optime S. Chrysost., *Hom.* in II *ad Timothæum :* « Volo quiddam dicere plane mirabile. Quid vero istud est? Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo conficiunt, nihil habet ista quam illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus qui illam ante sacraverat. »

1186. *Secundo, ex illius natura.* Missæ sacrificium est idem ac sacrificium Cœnæ, imo idem ac sacrificium Crucis, sola offerendi ratione diversa, estque ejus viva, perfecta et adæquata imago, eodem ferme pacto quo Filius Dei est perfecta imago Patris et figura substantiæ ejus. Porro Cœnæ et Crucis sacrificium habuit intensive valorem infinitum. Ergo et Missæ sacrificium; alias nec esset æque perfectum, neque adæquata eorum imago.

1187. Prob. II pars. *Primo, ex impossibilitate rei.* Effectus intensive infinitus implicat contradictionem; ergo sacrificium Missæ non potest hujusmodi effectum producere. Sed nihilominus valor ejus in se consideratus est intensive infinitus; sicut infinita est virtus creatrix Dei, etsi creatura non sit capax infinitæ perfectionis.

1188. *Secundo, ex modo quo Missa operatur effectus.* Crucis sacrificium, etsi habeat valorem infinitum intensive, attamen nunquam operatur infinitum effectum in hominibus, quia non potest in illis tot merita et satisfactiones producere, ut non polleat amplius producere. Porro Missæ sacrificium non habet vim, nisi ad applicanda sacrificii Crucis merita et satisfactiones. Ergo.

1189. *Tertio, ex subjecto effectuum.* Causa universalis omnis agit atque suos producit effectus, pro mensura dispositionum subjecti in quo operatur. Porro sacrificium, quatenus propitiatorium et impetratorium, sortitur effectus qui nonnisi in creaturis tanquam in subjectis esse possunt; quarum igitur dispositiones sunt semper in præfinita mensura : « Quamvis hæc oblatio ex sua quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro

omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem eorum devotionis, et non pro tota pœna. » 3 p. q. 79, a. 5. Ergo.

1190. *Nota.* Attamen, quia effectus satisfactionis augetur pro meliori dispositione ejus pro quo offertur vel cui datur, datur etiam, sub hoc respectu, aliqua infinitas valoris syncategorematica : quippe fervor et devotio potest crescere absque limite ; ergo et effectus satisfactionis. Ita omnes theologi. Quapropter quantitas meriti vel satisfactionis applicandæ per Missæ sacrificium nullatenus relinquitur penes arbitrium sacerdotis celebrantis, qui omnino impar est, sive ad augendam, sive ad minuendam illam; dum Summus Pontifex, quando indulgentiam concedit, quantitatem pœnæ remissæ determinat.

PROPOSITIO II

Sacrificii Missæ fructus est etiam extensive infinitus quoad offerentes illud, id est, quantumvis magnus sit numerus offerentium, unusquisque tantum percipit, quantum si solus offerret.

1191. Prob. *Primo, ex inconvenienti.* Omnes confitentur, fideles qui sacrificio Missæ intersunt, aliquatenus offerre cum sacerdote. Porro æque uberrimos percipiunt fructus, inquantum offerentes, sive numerosiores, sive pauciores intersint; alioqui potius esset Missæ privatæ quam parochiali interesse, imo potius esset, ut unusquisque solus alicui sacrificio interesset, et alios arceret; quæ omnia sunt absurda et contra Ecclesiæ mentem ac praxim. Ergo.

1192. *Secundo, ex ordinatione sacerdotum.* Sive major, sive minor sit numerus diaconorum qui in presbyteros ordinantur, unusquisque eosdem fructus, et pro se et pro aliis adipiscitur, atque totum Missæ fructum potest ad libitum applicare, sicut declaratum est in priori parte, post Benedictum XIV; et late docet Suarez, in 3, disp. 79, sect. 12, n. 4 et 5 ; et tenet De Lugo, *De Euch.*, disp. 19, sect. 12, n. 252. Hæc enim oblatio communis æquivalet pluribus, tot scilicet quot sunt offerentes ; sicut si aliquis eadem expressione et eadem formula plures baptizaret, plura numerice sacramenta omnino æqualia, ac si unum baptizaret, conferret.

1193. *Tertio, ex ruina fundamentorum oppositorum.* Si minueretur fructus Missæ, minueretur vel ratione rei oblatæ, vel ratione oblationis, vel ratione offerentium. Porro nihil horum dici potest. Ergo. *Prob. min.* Prima pars constat, quia res oblata est infiniti valoris; unde sive plures, sive pauciores offerant, semper æqualis pretii rem offerunt. In veteri Lege, quando plures offerebant victimam aliquam, v. g., agnum, utique, ex parte rei oblatæ, minus fructuosa ac laudabilis erat oblatio, quam si unusquisque per se totum agnum obtulisset, quia res oblata erat finiti pretii et valoris; sed hoc inconveniens non contingit in Missæ sacrificio, ut patet. Aliunde in omnibus missis quæ aut simul, aut successive celebrantur quotidie, eadem est omnino res oblata in omnibus, et nihilominus integer est atque ab aliis independens fructus uniuscujusque sacrificii. — Secunda pars facile patet, nam oblatio sacrificii non fit, ex concursu plurium offerentium, minus grata in singulis et minus Deo acceptabilis, ac si unus tantum offerret : quippe conjunctio et veluti conflatio singularum oblationum in unam moralem et communem nullatenus detrahit earum valori, sicut omnibus notum est etiam pro rebus humanis. — Tertia pars non minus perspicua est; namque si spectetur ratione principalis offerentis, qui est infinitæ dignitatis, collucet, nullatenus posse ita minui fructum Sacrificii. Si spectetur ratione causæ instrumentalis, videlicet sacerdotis ut offerentis in persona Christi, non minui potest fructus, siquidem quantumvis numerosi sint sacerdotes, unusquisque est adæquate causa instrumentalis, et adæquate minister publicus, per quem cæteri omnes privati offerunt. Tandem, si spectetur ratione fidelium, neque ex hac parte potest Missæ fructus minui; nam qua proportione augetur numerus personarum, augetur dispositio offerentium, quæ est mensura fructus quem Christus ex vi sacrificii Missæ largitur. Ergo.

PROPOSITIO III

Effectus Sacrificii respondens oblationi sacerdotis, ut sic, quem ipse potest pro aliis offerre, utpote finitus, non æque prodest singulis applicatus ac si tantum uni applicaretur.

1194. Prob. 1° *Praxi Ecclesiæ.* Si Missæ sacrificium æque prodesset singulis, sive pro multis, sive pro uno tantum offera-

tur, nunquam deberent sacerdotes uni tantum applicare Sacrificii effectum; cur enim privarent cæteros tanto fructu, si absque unius detrimento possint multi alii æqualem fructum percipere? Porro, juxta usum Ecclesiæ, non ita fit, sed quandoque offertur Sacrificium, v. g., pro anima Petri, ut illi omnino prosit, quantum ex intentione sacerdotis potest, pro illa tantum et non pro aliis applicari solet. Imo Ecclesia imponit parocho obligationem applicandi, diebus dominicis et festivis, Missam suis parochianis. Item omnibus qui curam animarum habent. Ergo. Unde ipsimet sacerdotes, qui nec titulo beneficii, neque ratione stipendii, tenentur celebrare, sed applicant sacrificium pro libitu, modo pro uno, modo pro altero defuncto, v. g., hodie pro matre, cras pro fratre, etc., celebrant. Si autem vera esset sententia adversariorum, hæc praxis esset erronea; nam si duo sacrificia offerrentur, et unumquodque applicaretur omnibus animabus purgatorii, nihil detraheretur ex fructu applicato matri et fratri, sed econtra duplicaretur. Et parochus cæterique sacerdotes melius facerent applicando, illis diebus, Missam pro universali Ecclesia. Ecclesiæ autem praxis prævalet auctoritati cujuscumque doctoris, ut recte dicit D. Thomas, 2-2, q. 10, a. 12, et *Quodlib.* 2, a. 7.

1195. Quum hæc praxis admodum molesta sit adversariis, Gonet, *De sacrif. Missæ*, disp. 11, a. 5, n. 100, dicit cum Cajetano : « Arguendi instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi Missam dari, aut suo defuncto : nihil enim minus ipse habebit, si mille alii petant eamdem missam pro seipsis et aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur ; imo ex hujusmodi indevotione sic petentis, damnum videtur incurrere, quod minus sibi proderit. » Sed pace illius! Hæc monitio non tantum menti fidelium et sacerdotum maxime piorum contradicit, sed etiam Ecclesiæ, quæ optime novit consuetam agendi rationem, et tamen nunquam illam corripuit; econtra ipsi valde favet; nam, ut advertit Magister sententiarum, dist. 45, q. 2, a. 4, quæstiunc. 2, instituit, non tantum orationes, sed et missas peculiares pro uno, aut vivo, aut defuncto, sicut videre est in Missali Romano [1].

[1] Suarez, in 3, disp. 79, sect. 12, n. 7, merito ita discurrit : « Est per se incredibile, gratis et sine ulla causa posuisse Christum in sola libertate sacerdotis, ut vel multis, vel paucis, vel uni tantum omnino æqualiter sua obla-

1196. 2° *Conciliis*. Benedictus XIV, III *De Missæ sacrificio*, cap. 21, n. 6, refert decretum concilii Lambethensis, habiti an. 1282, quod sententiam oppositam et praxim damnavit; deinde Concilium persolvit ita rationem sui decreti : « Licet ipsum sacrificium, quod est Christus, sit infinitæ virtutis, non ~~tantum~~ tamen in sacrificio suæ immensitatis summam plenitudinem operatur; alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam missam dicere. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distributione certa suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili alligavit. » Collect. Harduin., tom. 7, col. 862.

Concil. Constantiense, sess. 8, damnavit propositionem Wiclefi (est 19) qua dicebat, orationes specialiter uni applicatas non plus ei prodesse, quam generales. Atqui, servata proportione, idem dici potest de Missæ fructu satisfactorio, quum sit finitus.

1197. *Confirmatur*. Urbanus VIII damnavit sequentem propositionem : « Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. » Contradictoria igitur est vera, scilicet hoc est contra justitiam. Porro, si vera est sententia adversariorum, offerre unam tantum missam pro pluribus personis quæ singulæ persolverunt tot integra stipendia, esset quidem contra Ecclesiæ prohibitionem, et ideo contra obedientiam, non vero contra justitiam; etenim nihil singulis detrahit, et utrinque servatur æqualitas, sive pro uno, sive pro multis celebret. Ergo. Fagnanus, qui fuit secretarius S. Cong. Concilii sub Urbano VIII, dicit, hoc articulo, pro rei gravitate mature discusso, S. Congregationem postea secutam fuisse hanc sententiam in suis decretis *De celebrat. Mis.*; deinde refert decretum, quo declaratur, graviter peccare, et ad restitutionem teneri qui non tot missas quot eleemosynas ad hunc finem receperunt, celebrant.

Quocirca Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrificio*, cap. 21,

tione prodesse posset; nec minus credibile est, dedisse Christum sacerdotibus hanc facultatem, et tanto tempore fuisse tam ipsis quam Ecclesiæ incognitam. Vel econverso, incredibile est, illis esse notam, et tamen voluntarie non uti illa; sine causa enim limitarent sacerdotes hunc effectum ad unam vel ad paucas personas, si possent omnibus et singulis totum applicare, imo, si Christus voluisset, ut posset hoc modo omnibus applicari, melior institutionis modus fuisset hanc institutionem dare ipsi Sacrificio secundum se, independenter a voluntate sacerdotis, quam hoc gratis sine causa ponere in ejus arbitrio. »

n. 6 et sequentibus, postquam varias SS. Pontificum retulerit constitutiones ad coercendam sacerdotum avaritiam atque simoniacam labem quoad stipendia Missarum avellendam, subdit, n. 15 : « Quis non crederet, tot salubres constitutiones sacerdotum avaritiam refrenasse ? Et nihilominus scimus, sufficientes haud fuisse ad eam cohibendam : aliqui enim suffulti plurium theologorum opinione, qui, etsi Sacrificii fructum quoad effectum et in actu secundo, ut aiunt, finitum esse fateantur, attamen opinantur, illud pluribus applicatum æque singulis prodesse, ac si uni tantum applicaretur, instar radii solaris, qui æque tamen in unum ac in multos se effundit.... Ejusmodi opiniones et subdolæ artes, unice ab avaritia excogitatæ, jam a sæculo XIII in Ecclesiam irrepserant [1]. »

Sed quod urgentissimum videtur, est trigesima propositio synodi Pistoriensis a Pio VI damnata, 28 aug. 1794, tanquam falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wiclefo ; juvat, pro momento rei, hanc propositionem, etsi paulo longiorem, integram referre : « Doctrina Synodi, qua dum profitetur, credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis ; *dein continuo* subjicit : non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fru-

[1] In V *De Synodo diœcesana* 8, n. 6, ita refutat Walafridum Strabonem, qui oppositam sententiam defenderat : « At non animadvertit Walafridus, quod, etsi Sacrificium ex parte rei oblatæ, et principalis offerentis, scilicet Christi, sit infinitæ virtutis, non tamen, ita ejus institutore Christo volente, infinitos producit effectus : secus, si finem excipias colendi Deum, et supremum latriæ actum, qui sane ex qualibet, quantumvis crebro repetita, Divinæ Victimæ immolatione, semper Deo exhibetur, quoad cætera quæ ex Sacrificio reportare intendimus, superflua esset ejusdem iteratio (Hanc rationem, quam innuit tantum Benedictus XIV, evolvit Suarez, in 3, disp. 79, sect. 12, n. 7). Semel autem posito, quod effectus Sacrificii finitus sit, perspicuum jam est, illud plus ei prodesse cui applicatur, quam aliis : uti enim ratiocinatur Suarez, tom. 3, in 3 part., disp. 78, sect. 1 et disp. 79, sect. 12, aut consideratur tanquam propitiatorium seu satisfactorium ; et certe pro illo speciatim satisfacit, in cujus debiti solutionem Deo exhibetur : aut consideratur tanquam impetratorium ; et profecto ad beneficia illi uberius elargienda Deum movet, pro quo nominatim sacerdos divinam hostiam immolans, Deum exorat. Rem totam explicat D. Thomas in IV, dist. 45, q. 2, art. 4, quæstiunc. 1, et quæstiunc. 2. »

ctus Sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet. *Unde et consequenter traducit* velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiat. »

« Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii quæ fit a sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus, faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus : quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum. »

1198. 3° *Ratione. Primo, ex natura fructus satisfactorii.* Fructus quem sacerdos applicat ad satisfaciendum Deo, est finitus et applicatur per modum pretii ad solvendum debitum. Atqui pretium quod est finitum, si idem solvatur pro multis, minus valet singulis, quam si pro uno solveretur. Ergo et hoc sacrificium, quod ex sua institutione habet vim satisfactivam. Unde D. Thomas, in IV, dist. 45, q. 2, a. 4, quæstiunc. 2, ita expresse thesim nostram fulcit : « Si valor suffragiorum consideretur secundum quod valent ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiæ, suffragia pro multis facta tantum singulis prosunt ac si pro uno tantum fierent; quia charitas non minuitur, si dividatur effectus ejus in multos, imo magis augetur; et similiter etiam gaudium quando pluribus est commune, fit majus, ut dicit Augustin., VIII *Confessionum* (cap. 4 prope initium); et sic de uno bono facto non minus lætantur multi in purgatorio, quam unus. Si autem consideretur valor suffragiorum inquantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quam quod pro eo communiter fit et pro multis aliis : sic enim effectus suffragii dividitur ex divina justitia inter eos pro quibus suffragia sunt. Unde patet quod hæc quæstio dependet ex prima ; et ex

hoc etiam patet quare institutum sit ut suffragia specialia in Ecclesia fiant [1]. »

1199. *Secundo*, *ex convenientia*. « Cur autem id voluerit (Christus), non est nostrum curiosius inquirere. Videtur tamen id voluisse, tum ut hoc modo frequentaretur hoc sanctum sacrificium, sine quo religio consistere non potest; tum etiam, quia id requirebat ordo divinæ Providentiæ. Quæ est etiam causa cur Christus assidue interpellet pro nobis in cœlo, cum tamen videatur unica interpellatione potuisse omnia statim impetrare; et similiter cur pretium infinitum quod in Cruce acquisivit, quo totus mundus continuo salvari potuisset, nonnisi quibusdam, et in certa mensura applicari voluerit : horum enim omnium causa est, quia voluit Christus omnia fieri secundum ordinem Providentiæ. » Bellarminus, II *De Missa* 4, sub fine. Adde quod ita magis præbetur fidelibus occasio procurandi celebrationem Mis-

[1] De Lugo, *De Eucharist.*, disp. 19, sect. 10, n. 200, dicit, D. Thomam in dicto loco, loqui solum de suffragiis et satisfactione ex opere operantis, quam unus pro alio offert. Eamdem expositionem tradit S. Alphonsus, lib. VI, n. 312 : « Ubi dicit (S. Doctor) quod Missa pluribus applicata, minus prodest singulis, non quidem loquitur de Missa uti sacrificio, sed uti suffragio ab Ecclesia instituto, quod effectum certe finitum habet; et ideo quo pluribus illud applicatur, eo minus singulis juvat. »

Sed D. Thomam loqui etiam de Missa uti Sacrificio, testatur Benedictus XIV, lib. V *De Synodo diœcesana*, cap. 8, n. 6. Et sane S. Doctor, in quæstiuncula 3, sibi proponit hanc secundam difficultatem : « Inter Ecclesiæ suffragia præcipuum est Eucharistia, cum contineat totum Christum, habet quodammodo efficaciam infinitam ; ergo, una oblatio Eucharistiæ quæ communiter pro omnibus fit, valet ad plenam liberationem eorum qui sunt in purgatorio. » Ad quam difficultatem solvendam, non respondet, ibi sermonem esse tantum de precibus Ecclesiæ et de satisfactione ex opere operantis, sed aperte supponit, agi de Sacrificio ipso et satisfactione ex opere operato : « Quamvis virtus Christi, quæ continetur sub sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Unde non oportet quod per unum altaris sacrificium tota pœna eorum qui sunt in purgatorio, expietur, sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis homo offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis. Unde et quandoque plures Missæ in satisfactionem unius peccati injunguntur. Unde S. Chrysost., S. Cyrillus, S. August., etc., non dicunt, per unum sacrificium expiari totam pœnam, sed multam illis pro quibus offertur, utilitatem accedere. Credibile tamen est quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, ut patet per Damascenum, in sermone *De Dormientibus*. »

sæ, uberiores eleemosynas erogandi, capellanias et alia hujusmodi fundandi in commodum animarum. Si res ita non esset, non apparet ratio cur sacerdoti Christus dederit facultatem applicandi Missam quibus vult.

1200. *Nota.* Sacrificium Missæ quatenus impetratorium habet infinitum valorem, si habeatur ratio sacrificii tantum; et ideo, ut sic, æque prodest sive pro multis, sive pro uno offeratur. Nam vis impetrandi, quæ est in hoc sacrificio, non est fundata in speciali promissione, sed in intrinseca dignitate et valore ipsius sacrificii.

Sed licet hoc sacrificium ex se sit valens ad impetrandum, tamen non applicatur ad impetrandum, nisi ut orationi conjungitur, quia non impetratur nisi quod petitur vel desideratur ab alio; et ideo impetratio per se pertinet ad orationem quam Sacrificium facit exaudiri, et hoc modo impetrat. Oratio autem, cæteris paribus, efficacior est ad impetrandum in particulari et speciatim facta, quam si generatim pro multis fiat, quia oratio, ut impetret, requirit proportionem cum re postulata. Propterea concil. Constantiense, sess. 8, damnavit sequentem Wiclefi propositionem : « Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, cæteris paribus. » Si autem effundantur successive plures orationes speciales pro singulis, unaquæque habet totam vim quam haberet, si sola recitaretur; nam sola concomitantia nihil detrahit efficacitati uniuscujusque, sicut multa opera bona nihil amittunt de suo merito, quando simul exercentur. Ex his ergo colligitur quid sit de Sacrificio dicendum; nam, si applicetur ad multa impetranda, quæ una generali petitione continentur, sicut talis oratio minus efficax est in singulis, ita etiam Sacrificium minus tunc impetrabit pro illis, quia proportionatur orationi. Quod constat insuper ex Urbani VIII et aliorum Pontificum decretis; nam sacerdos qui plura stipendia recipit pro pluribus missis *de Beata*, vel *de Spiritu Sancto*, etc., non minus obstringitur titulo justitiæ ad tot missas celebrandas, quam si stipendia fuissent erogata pro missis *de Requiem*. Propterea Ecclesia missas multiplicat sæpe sæpius ad unam et eamdem rem impetrandam. Ad quod etiam confert, quod hic effectus impetrationis non est semper infallibilis, quia nec fundatur in promissione, neque habet semper conjunctam absolutam Christi voluntatem;

et ideo, ut de facto impetret, multum juvare potest modus petitionis, specialis vel generalis. Et in hoc est essentiale discrimen inter impetratorium et propitiatorium fructum ; hic enim, quum sit simpliciter ex opere operato, et nullo modo pendeat ab oratione, est semper infallibilis, ut tenent omnes theologi, et non obscure docet Tridentinum, sess. 22, cap. 1 ; nam in hoc sensu dicit, « hanc oblationem nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari posse. » Si vero sit specialis oratio, quamvis hæc multiplicetur, et unum sacrificium ad omnia illa impetrandum offeratur, æque potens erit ad omnia, et ad singula, quia ipsum de se semper est æque sufficiens, et alioqui ex parte orationis est etiam æqualitas. Suarez, in 3, disp. 79, sect. 12, n. 8.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

1201. *Obj.* 1° Sacrificium Missæ imitatur sacrificium Crucis, cujus est adæquata repræsentatio. Porro fructus sacrificii Crucis non minuuntur pro singulis hominibus, prout crescit numerus eorum quibus applicatur. Ergo.

Resp. Dist. maj. Quoad essentiam, *concedo;* quoad applicationem fructuum, *nego*. Hæc applicatio est quid penitus extrinsecum Sacrificio atque pendens a libera Christi voluntate; unde non valet argumentum a pari. « Neque in hoc debuit assimilari hoc sacrificium sacrificio Crucis ; illud enim non erat reiterabile ; quare debuit per unam oblationem extendi ad omnes ad modum causæ universalis, præsertim cum illa oblatio in seipsa formaliter haberet valorem infinitum ad satisfaciendum ; at vero oblatio Missæ non est actio Christi satisfactoria, sed prodest per satisfactionem Crucis sibi annexam, quæ potuit limitato modo annecti, nec fuit cur ita fieret. » De Lugo, *De Eucharist.*, disp. 19, sect. 12, n. 251. Deinde etsi Crucis cruentum sacrificium fuerit valoris infiniti quoad sufficientiam, finiti tamen fuit quoad efficientiam, quia non producit nisi effectus finitos, ut egregie explicat D. Thom., 3 p. q. 79, a. 7, ad 2.

1202. *Obj.* 2° Sol non minus illuminat ac calefacit plures homines quam unum, et verbum non minus auditur a multis quam ab uno. Ergo a fortiori sacrificium Missæ, in quo immolatur Christus, sol justitiæ et Verbum Dei, non minus prodest multis quam paucis.

Resp. Nego conseq. et paritatem. Sacrificium Missæ quatenus propitiatorium, non debet luci, igni, et sermoni comparari, sed pretii solutioni, quæ, si finita sit, non potest æque multis ac uni tantum prodesse. Lux, ignis et sermo naturaliter et absque ulla intentione suos sortiuntur effectus; sacrificium autem Missæ valet partim, sicut oratio, ex affectu orantis, partim ex Dei institutione et voluntate.

1203. *Obj.* 3° Fructus Missæ est spiritualis. Porro res spiritualis non potest ita distribui ut unus partem, et alius alteram partem habeat. Ergo quando applicatur multis, vel nullus percipit illum, vel omnes et singuli totum et integrum percipiunt. Sed prius dici nequit, et est contra Ecclesiæ praxim. Ergo.

Resp. Dist. min. Duplex est quantitas, scilicet alia dimensiva et molis, quæ supponit partes divisibiles; alia est virtutis et perfectionis *(Ontolog.* 169). Porro fructus Missæ, utpote spiritualis, non habet quidem dimensivam quantitatem, sed habet quantitatem perfectionis, quæ competit entibus spiritualibus. Quando igitur dicitur, singulos pro quibus offertur Missa, sortiri tantum partem fructus, idem est ac si dicatur, ipsis applicari Missæ fructum in gradu inferiori ac remissiori, quam si uni tantum applicaretur.

1204. *Obj.* 4° Sacrificii Missæ valor in se est infinitus, ideoque utcumque magnus sit numerus eorum qui participant illum, quum omnes finito modo participent, possunt æque participare pro capacitate sua, sive plures, sive pauciores sint. Neque adæquata unius participatio excludit participationem alterius; fit enim pro mensura dispositionum in suscipientibus existentium. Porro quantitas devotionis unius nihil detrahit quantitati devotionis alterius. Ergo nec Missæ minuitur vis satisfactoria pro primo oblatæ, ex eo quod pro secundo, tertio, quarto, etc., offeratur.

Resp. Nego conseq. Argumentum optime concluderet pro offerentibus Sacrificium, non autem pro his quibus applicatur fructus satisfactorius, qui totus pendet a Christi voluntate et institutione.

1205. *Obj.* 5° Concors videtur sententia omnium fidelium atque mens Ecclesiæ, quod parochus qui, diebus Dominicis et festivis, prout ei præscribunt canones, offert Sacrificium pro parochianis, æque eis prodest, sive latior, sive angustior sit pa-

rochia. Atqui hoc non esset, si unicuique decrescat Missæ fructus, prout augetur numerus eorum pro quibus offertur; nam ex illis parochianis multi mere passive se habent quoad oblationem Sacrificii, præsertim festis suppressis. Imo Missa a Papa celebrata pro omnibus Ecclesiæ fidelibus, minus unicuique prodesset, prout magis dilataretur Ecclesia. Ergo.

Resp. 1° *Nego maj.* Fideles plerique hanc rem prorsus ignorant; unde non possunt habere sententiam quoad illam; imo non pauci sacerdotes quibus hanc quæstionem proposui, eam ut inauditam habuerunt, et ingenue professi sunt, se nunquam de illa cogitasse.

2° *Nego conseq.* Nulla est repugnantia, nullumque inconveniens, si concedatur, etiam in illis casibus fructum satisfactorium non æque uberum suscipi, si augeatur numerus suscipientium. Qua de causa non pauci a Papa flagitant humillime pro se, vel pro suis peculiares orationes, vel etiam Missæ oblationem. Vide supra 1198.

Inst. S. Hieronymus, cujus verba referuntur in cap. *Non mediocriter*, *De Consecratione*, dist. 5, videtur hanc quæstionem disertis verbis decidere, ait enim : « Dum igitur pro cunctis animabus (alias pro centum) Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro unoquolibet ipsorum diceretur, accipitur. » Ergo.

Resp. Nego anteced. Ad probat. : *disting.* : Quantum ad meritum facientis, *concedo;* quantum ad utilitatem ejus pro quo fit, *nego.* Hæc est distinctio S. Bonaventuræ. Quum enim illative loquatur S. Hieronymus, manifeste apparet, eum de sacerdote intellexisse, ita ut non minus sit ei meritorium celebrare pro multis, quam pro singulis, imo magis si moveatur ex majori fervore charitatis. Sed magis ad rem quadrat distinctio a D. Thoma superius (1198) allata, scilicet valor suffragiorum consideratus ratione charitatis unientis membra Ecclesiæ, idem est pro multis et pro singulis, ac si pro uno tantum fierent, imo crescit, prout in multo plures dividitur effectus, sicut gaudium quanto pluribus est commune, eo majus fit; unde in purgatorio animæ justorum non minus omnes de uno bono lætantur, quam una. Sed si consideretur valor suffragiorum inquantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium pro uno tantum, quam pro singulis valeret, si inter multos distribueretur. Et hanc exposi-

tionem sequuntur communiter theologi, canonistæ et summistæ, teste Fagnano, post Tabienam, *De sepulturis*, cap. 2, n. 73.

ARTICULUS III

DE MODO QUO MISSA OPERATUR SUOS EFFECTUS

Prætermissis variis theologorum sententiis, quas perpendere tempus non suppetit, illico id quod verisimilius apparet, triplici propositione complectimur.

PROPOSITIO I

Sacrificium Missæ plures producit effectus ex opere operato.

1206. Prob. 1° *Praxi Ecclesiæ.* Ecclesia semper se gessit in celebranda Missa supponendo, quosdam illius fructus non pendere a dispositionibus, neque a sanctitate sacerdotis qui offert; sic missa sacerdotis excommunicati etiam denuntiati semper habita fuit ut sufficiens ad solvendum debitum ex stipendio sacrificium. Porro, si Missæ fructus non essent ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, magis penderent a dispositionibus et sanctitate offerentis, quam a dispositionibus illius pro quo offertur, sicut videre est in quolibet alio opere satisfactorio. Ergo.

Ne dicas, hoc sacrificium esse fructuosum ex opere operantis, independenter a ministro, quia Christus semper est principalis offerens; nam hic fructus non est ex eo quod Christus sic offerendo quasi de novo satisfaciat; quippe non est in statu satisfaciendi. Ergo ut fructus sit certus et de se infallibilis, oportet quod sit per modum applicationis ex vi talis sacrificii, quatenus a Christo oblati; et hoc ipsum est esse ex opere operato.

1207. 2° *Conc. Tridentino.* Sess. 22, cap. 1, docet, Christum instituisse hoc sacrificium, « ut illius (sacrificii Crucis) salutaris virtus in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. » Idem latius docet, cap. 2. Atqui applicatio quæ fit ex institutione Christi, includit causalitatem ex opere operato; si enim esset tantum ex merito et satisfactione operantis, Missa nihil haberet peculiare et proprium ex institutione Christi, neque in hoc antiquis præstaret sacrificiis.

Ergo. Consulto tamen Concilium non adhibuit formulam *ex opere operato*, sicut fecerat, sess. 7, pro Sacramentis, ne scilicet damnaret aliquos theologos catholicos in oppositum sentientes. Et aliunde ex Scriptura et Traditione res non videtur ita evidens, ut debeat definiri.

1208. 3° *Ratione. Primo, ex perfectione Missæ.* Sacramenta novæ Legis omnia habent effectum ex opere operato ; ergo Missæ sacrificium debet habere aliquem similem effectum sibi proportionatum. *Probatur conseq.* Sacrificium non minus quam Sacramenta pertinet ad dignitatem et excellentiam novæ Legis, neque minus dignum ac perfectum est in ratione sacrificii, quam Sacramenta in ratione sacramenti. Concilia autem docent, Sacramenta efficere quod significant, quia, non egena et vacua sunt elementa, sed plena virtute sanguinis Christi, in quo jam effuso nituntur ; porro hoc apprime convenit sacrificio Missæ, ut patet ; imo juxta pristinum loquendi morem, sacrificium et sacramentum Eucharistiæ comprehendebatur utrumque sub communi nomine sacramenti seu mysterii Eucharistiæ ; quocirca Patrum et Conciliorum sensa æque de Sacrificio ac Sacramento intelligi debent.

1209. *Secundo, ex inconvenientibus.* Primum sequeretur, sacrificium Missæ pro aliis oblatum non magis eis prodesse quam communionem pro eisdem factam. Porro hoc est falsum et contra omnium mentem. Ergo. *Prob. maj.* Communio potest Deo offerri pro alio quoad satisfactionem ex opere operantis et impetrationem, sicut testificatur quotidiana praxis pientissimorum ; omnia enim opera religionis sunt satisfactoria et impetratoria ; a fortiori sumptio Eucharistiæ. Si autem ab oblatione Sacrificii, ut sic, adimas vim ex opere operato, nihil in ipsa superest quod pro alio offerri possit, præter satisfactionem et impetrationem ex opere operantis. Ergo nulla remanet diversitas.

1210. Deinde « sequi ex contraria sententia videtur, oblationem Sacrificii, qua in hoc mysterio Christus offertur, non esse de se magis fructuosam, magisque applicativam Redemptionis, quam sit oblatio interna ejusdem Christi et passionis ejus, quam unusquisque fidelis sua privata devotione facere potest. Consequens autem est etiam absurdum et contra totius Ecclesiæ sensum et traditionem ; nam sacrificium hoc, reipsa oblatum, censetur habere specialem efficaciam ultra solum desiderium, seu interiorem actum. » Suarez, in 3, disp. 79, sect. 1, n. 4.

1211. *Nota.* Attamen quia sacrificium Missæ per se prius institutum fuit, ut uni Deo vero eximius cultus persolvatur, et passio Christi recolatur, ad quem finem non est necesse producere effectum ex opere operato, ideo non tam per se atque intrinsece fuit illi indita vis producendi effectus ex opere operato, sicut fuit indita Sacramentis, quorum finis primarius est gratiam hominibus conferre.

PROPOSITIO II

Effectus quos ex opere operato applicat Missa, dimanant e sacrificio Crucis.

1212. Prob. 1° *Scriptura. Hebr.* 9, 12: *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.* Et 10, 10: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Et versu 14: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Hic et alibi multoties S. Scriptura docet aperte, omnem gratiam, sive per Sacramenta, sive per quodvis aliud conferatur instrumentum, a Passione et sacrificio Crucis dimanare.

1213. 2° *Conc. Tridentino.* Sess. 22, cap. 1. Vide supra (1207), et totum caput 2, in quo ita habet: « Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc (oblationem incruentam) uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. »

1214. 3° *Ratione.* Omnis efficacia sacrificii Missæ debet fundari in aliquo merito et satisfactione Christi. Porro nonnisi in merito et satisfactione Crucis fundari potest; ex quo enim Christus mortuus est amplius non fuit in statu merendi atque satisfaciendi. Ergo.

1215. *Nota.* « Cavendum autem hic est aliud extremum quorumdam, qui dicunt, efficaciam hujus sacrificii non solum fundari in satisfactione Christi, sed etiam in satisfactionibus Ecclesiæ et Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ servantur, et per hoc sacrificium applicari possunt. Hoc enim verum non est, proprie loquendo, prout loquimur, de proprio effectu ex opere operato, qui in sola Christi institutione et promissione fundatur; Christus autem non fundavit institutionem suam, neque Sacra-

mentorum, neque Sacrificii, in alienis meritis, sed in propriis, quia neque aliis indigebat, neque aliter fieri decebat, cum potestas excellentiæ ejus ad hæc omnia sufficeret, et habitura esset effectum independenter ab operibus alienis, juxta vim suæ institutionis et promissionis. Dico autem *proprie loquendo de effectu ex opere operato*, quia per modum indulgentiæ interdum potest Ecclesia applicare de thesauro suo satisfactionem aliquam, mediante sacrificio Missæ, sicut id facere consuevit mediis aliis operibus, vel media susceptione alicujus sacramenti, ut latius dicemus de indulgentiis disputantes ; tunc autem ille effectus distinctus est ab effectu ex opere operato, et extrinsecus atque accidentario illi cunjunctus. » Suarez, in 3, disp. 39, sect. 1, n. 10.

PROPOSITIO III

Sacrificium Missæ, quoad justificationem, habet vim ex opere operato, non ad modum Sacramentorum, scilicet non immediate et directe, sed mediate et indirecte tantum [1].

1216. Prob. 1° *Conc. Tridentino*. Sess. 22, cap. 2: « Hujus quippe oblatione placatus Dominus, et gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. » Quibus verbis patet, Sacrificium non esse instrumentum Dei ad justificandum, sicut Sacramenta, sed tantum impetrare a Deo gratiam et donum pœnitentiæ, quibus fretus peccator accedit ad Pœnitentiæ sacramentum fitque justificatus. Unde D. Thomas de his pro quibus offertur Missæ sacrificium, dicit : « *Peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* » In IV, dist. 12, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2, ad 4.

1217. 2° *Ratione. Primo, ex fine primario Missæ.* Sacrificium immediate ac primario refertur ad cultum Deo persolvendum, et secundario tantum et veluti per redundantiam, ad hominum utilitatem ; dum Sacramentum immediate ac primario ordinatur ad hominum sanctificationem. Ergo utrumque non eodem modo sortitur suum effectum quoad nostram justificationem ; scilicet Sacramentum immediate et directe, Sacrificium vero me-

[1] Ita Bellarm., Vasquez, Gonet, quibus favet De Lugo, contra Suarezium et alios.

diate et indirecte, quatenus impellit Deum ut gratiam hominibus impertiat.

1218. *Secundo, ex modo quo sacrificium Crucis justificat.* Missæ sacrificium non habet majorem vim quam Crucis sacrificium, quum ab eo efficaciam suam omnem mutuetur. Porro sacrificium Crucis non immediate efficienterque justificavit, sed mediate tantum, nimirum impetratorie ac meritorie ; alioqui omnes homines continuo justi fuissent effecti, consummato illo sacrificio, nam Christus pro omnibus hominibus se Deo Patri obtulit in ara Crucis. Ergo sicut Crucis sacrificium placavit Deum et impetravit, ut peccatores per debita media salutem consequerentur ; ita Missæ sacrificium non justificat immediate, sed impetrat ut ex merito sacrificii Crucis gratia et donum pœnitentiæ hominibus concedatur.

1219. *Tertio, ex inconvenienti.* « Si sacrificium Missæ immediate justificaret, requireret necessario præviam dispositionem in eo pro quo offerretur. Quod si verum esset, non liceret Sacrificium offerre pro iis quos scimus in peccato libenter manere, nec pro obduratis et impœnitentibus ; quorum tamen contrarium certissimum est. Peccarent etiam qui pro se Sacrificium offerri peterent, nisi simul se ad gratiam recipiendam præpararent ; quod falsum esse, nemo dubitat. » Bellarm., II *De Missa* 4. Aliunde sacramentum Pœnitentiæ non esset simpliciter necessarium ad remissionem peccatorum mortalium, post Baptisma commissorum.

COROLLARIUM

1220. Quapropter sacrificium Missæ est maxime impetratorium ; habet enim vim ad modum orantis et supplicantis, ut orationem ipsam adjuvet, et præcipua efficacia ipsi indita est quatenus offertur a Christo Summo Sacerdote, qui post resurrectionem suam nec mereri, neque satisfacere potest, sed tantum impetrare. Sicut autem oratio, licet possit esse meritoria, inquantum fit ab homine justo adhuc in via, et simul satisfactoria, quatenus est opus laboriosum, tamen ex se et ex proprio officio impetratoria est ; sic Sacrificium, quod est quædam oratio actionibus expressa, proprie impetratorium est.

1221. *Dices :* Id quod producit gratiam ex opere operato, po-

test facere de attrito contritum. Porro id nequit præstare sacrificium Missæ. Ergo. Ita Suarez.

Resp. Dist. maj. Si immediate et directe producat gratiam, *concedo;* si mediate et indirecte tantum, *nego.*

1222. *Inst.* 1° Id quod producitur per modum impetrationis, non producitur ex opere operato. Porro Missæ sacrificium producit justificationem per modum impetrationis. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si illa impetratio fiat media oratione, *concedo;* si fiat ex vi operis meritorii jam a Christo patrati, *nego.* Sacrificium Missæ est impetratorium auxilii ad pœnitentiam disponentis et excitantis, non mediante oratione, sed ex vi sua, id est, ratione operis quod agitur, et ratione dignitatis, tum rei oblatæ, tum principalis offerentis, sicut arguit Trident., sess. 22, cap. 2.

1223. *Inst.* 2° Effectus qui producitur ex opere operato, producitur infallibiliter. Atqui justificatio non producitur infallibiliter in his pro quibus Missa offertur; experientia enim constat, illud sacrificium offerri pro multis peccatoribus, qui propterea non convertuntur. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si ponatur obex, *nego;* si non ponatur, *subdistinguo :* producitur infallibiliter, *absolute*, *nego;* eo modo et ea mensura quam prædefinivit divina institutio ac Providentia, *concedo.* Primum Sacramenta ipsa non producunt infallibiliter gratiam in ponentibus obicem ; unde nec Sacrificium. Deinde peculiares et secundarios effectus Sacramenta non absolute producunt infallibiliter; v. g. Extrema Unctio producit sanitatem corporis ex opere operato, et tamen illam non semper producit, sed prout divina Providentia expedire judicaverit; sic etiam ipsummet Eucharistiæ sacramentum producit ex opere operato auxilium efficax ad operandum, et tamen non ita absolute, ut infallibiliter in quibuslibet adjunctis producat. Ideo non mirum est, quod neque Sacrificium suos effectus secundarios, etsi ex opere operato, attamen non absolute ac semper producat infallibiliter. Adde quod persæpe contingere potest, ut homo, pro libertate sua, auxilio infallibiliter obtento abutatur.

EXCUTIUNTUR TRIA DUBIA

Quæritur 1° an peccata venialia proxime et immediate remittat sacrificium Missæ?

1224. Affirmant multi, duce Melchiore Cano, lib. XII *De locis theol.* Gonet levissimum huic sententiæ admiscet temperamentum, dicens (*De sacrif. Missæ*, disp. 11, a. 4, n. 91), Missæ sacrificium immediate venialia delere, non quidem sine actu ex parte pœnitentis, sed cum actu qui per se et independenter a Sacrificio non satis fuisset ad remissionem venialium. Atque sic temperatam illam sententiam dicit esse valde probabilem.

Nihilominus communior et verior sententia tenet, per sacrificium Missæ, peccata venialia, non secus ac lethalia, remote et mediate tantum remitti. Ita sentire videtur D. Thomas, in IV, dist. 12, q. 2, a. 2, quæstiunc. 1, ad 1, et aperte, docent Suarez, in 3, disp. 79, sect. 5, Vasquez, disp. 228, q. 3, S. Alphonsus, lib. VI, n. 311, etc. *Primo* quidem, quoad modum remittendi peccata, Tridentinum, sess. 22, cap. 2, non distinguit inter mortalia et venialia. *Secundo*, peccata venialia, cum sint maculæ quædam animæ libero arbitrio contractæ, non tolluntur sine pia animæ actione ipsis aliquatenus repugnantis, quam etiam gratiæ sanctificantis infusio comitetur.

Quæritur 2° an immediate remittat pœnas, sive ex mortalibus, sive ex venialibus condonatis relictas?

1225. Communis et certa sententia affirmat. *Primo* quidem Tridentinum, sess. 22, cap. 2, docet, sacrificium Missæ, non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offerri. Et sess. 25, cap. 1, docet, « purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. » Porro non potest illis defunctis mediate prodesse, impetrando scilicet auxilium quo eliciant actum satisfactorium; ipsæ enim non sunt capaces activæ satisfactionis, alioqui possent seipsas e purgatorio liberare; sed sunt capaces satisfactionis passivæ tantum, ab aliis nimirum applicatæ. Ergo.

Secundo, sacrificium Crucis, secundum externum actum doloris, sanguinis effusionis, ac mortis, maxime proprie et directe fuit satisfactorium pro pœna peccatis nostris debita. Ergo conveniens erat, ut sacrificium Missæ incruentum, quod cruenti repræsentativum est, proprie et directe institueretur ad fructum ejusmodi satisfactionis ex opere operato nobis applicandum ; ita enim quod in sacrificio Crucis accidit secundum sufficientiam, in Missæ sacrificio fit secundum efficaciam.

Tertio, Sacramenta sunt instituta ad producendam gratiam immediate ; ideo conveniens fuit ut Sacrificium institueretur ad remittendam pœnam peccatis condonatis debitam, nam remissio culpæ et justificatio tantum pertinent ad intrinsecam hominis sanctitatem ; unde remissio pœnæ fieri potest per intrinsecam condonationem, absque intrinseca hominis mutatione. Porro Missæ sacrificium est huic effectui valde accommodatum, quia operatur, non tantum in offerentibus, sed etiam in his pro quibus offertur, etiamsi ipsi nihil operentur aut recipiant. Quapropter D. Thomas, 3 p. q. 79, a. 5, o, dicit : « Non est autem institutum (Eucharistiæ sacramentum) ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra ejus, sicut et nutrimentum unitur nutrito... Inquantum vero est Sacrificium, habet vim satisfactivam. »

Quæritur 3° an Missæ sacrificium conferat etiam immediate ex opere operato augmentum gratiæ?

1226. Affirmant aliqui pauciores, quia Sacrificium non est minus nobile ac perfectum, quam Sacramenta, quæ hoc modo augmentum gratiæ producunt. Sed hoc fundamentum est omnino debile ; nam quantavis sit nobilitas hujus sacrificii, non tamen ordinatur per se primo ad augmentum gratiæ, sed ad cultum Dei. Unde communissime negant theologi melioris notæ, inter quos Suarez, Vasquez, De Lugo, Gonet, Salmanticenses, S. Alphonsus, etc. Alias liceret offerre sacrificium Missæ ad augendam gratiam in parvulis, et dives, quin actus pietatis et charitatis multos eliceret, posset sanctior fieri et beatior in patria esse, præ illis qui innumera et maxima charitatis opera faciunt, puta si plurimi sacerdotes pro eo quotidie Sacrificium offerrent, dum in terris degit.

CAPUT VI

DE SUBJECTO SACRIFICII MISSÆ SEU DE ILLIS PRO QUIBUS OFFERRI POTEST

Dicemus 1° de his qui sunt capaces suscipiendi aliquos fructus Missæ, 2° de conditionibus requisitis ex parte ipsorum, ut illos fructus percipiant, 3° de applicatione a sacerdote facienda.

ARTICULUS I

DE HIS QUI SUNT CAPACES SUSCIPIENDI MISSÆ FRUCTUS

PROPOSITIO I

Missæ sacrificium offerri potest et debet pro universa Ecclesia militante, et omnibus membris ejus.

1227. Prob. 1° *Scriptura. Hebr.* 5, 1 : *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Ergo saltem pro hominibus qui sunt de Ecclesia. Unde conc. Tridentinum, sess. 22, cap. 2, et can. 3, simpliciter definivit, sacrificium hoc debere pro vivis offerri.

1228. 2° *Praxi Ecclesiæ.* In Missa fit imprimis oblatio pro universa Ecclesia. Ergo ita fuit ab Ecclesia institutum. Sed hæc institutio supponit potestatem ex parte sacerdotis, aptitudinem et sufficientiam ex parte Sacrificii ; et præterea obligationem inducit ita faciendi, nam sacerdos tenetur ritum Ecclesiæ servare. Et hæc est ratio a priori hujus obligationis. Ratio autem potestatis ex parte sacerdotis sumitur ex illius munere ; est enim mediator et intercessor apud Deum pro universa Ecclesia. Ratio demum sufficientiæ ex parte Sacrificii desumitur, vel ex infinitate ejus, vel certe ex eo quod est veluti commune bonum totius Ecclesiæ, atque ideo omnium nomine offerri potest et debet.

COROLLARIUM

1229. Quapropter sacerdos celebrans, si aliquem de Ecclesia excludat a communi oblatione, graviter peccat, propter odium formale, aut saltem virtuale ; et si publice excludat, graviter scan-

dalizat. Nam, etsi non tenemur ex charitate pro singulis orare, tenemur tamen eos a communibus orationibus non excludere, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 35, a. 8 et 9. Aliunde agit contra institutionem et intentionem Ecclesiæ, cujus minister et legatus est sacerdos.

1230. Qui ita excluditur, nihil percipit de fructu qui provenit ex opere operato et privata intercessione sacerdotis ; sed num participabit nihilominus de fructu qui provenit ex orationibus quas sacerdos recitat in persona Ecclesiæ ? Affirmat Suarez (In 3, disp. 48, sect. 2), cui favet Bona (*De Sacrif.*, cap. 1, § 4), quia oblatio et oratio Ecclesiæ generalis est ex intentione et verbis Ecclesiæ. Quibus contradicit De Lugo, disp. 19, sect. 10, n. 224; « quia, licet legatus utatur verbis Regis apud Pontificem, si tamen non habeat animum significandi per verba quod ipsa sonant, et hoc notum sit Pontifici, certe non petit totum id quod verba sonant nomine Regis... Adde, Ecclesiam non offerre immediate hoc sacrificium, sed per sacerdotem, qui immediate offert. Si ergo sacerdos non vult offerre immediate pro tali persona, non potest Ecclesia offerre mediate pro illa, quia causa mediata non causat mediate quod causa immediata non causat immediate. »

Quæritur an sit etiam de præcepto divino, scilicet ex institutione Christi, quod sacerdos offerat pro universa Ecclesia?

1231. Negat De Lugo, disp. 19, sect. 10, n. 220, quia alias « non posset Ecclesia prohibere, prout aliquando prohibet, ne offerat pro aliquibus, scilicet pro excommunicatis, et præcisis. » Sed, pace tanti viri, hæc ratio non mihi videtur omnino efficax ; nam potuit Christus Ecclesiæ concedere potestatem coarctandi applicationem Missæ, sicut illius judicio commisit jus et munus definiendi quandonam obliget præceptum divinum communicandi ; nihil enim obstat quominus suum tulerit præceptum cum tali, vel tali annexa restrictione. Et hoc maxime quia S. Paulus dicit absolute : *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

PROPOSITIO II

Licet offerre sacrificium Missæ pro infidelibus excommunicatis.
(Ita communiter contra Sotum et Vasquezium.)

1232. Prob. 1° *Scriptura.* I *Esdræ* 6, pro Dario, I *Machab.* 12, pro Spartiatis, II *Machab.* 3, pro Heliodoro, oblata sunt sacrificia, quia nullo Dei præcepto vetitum erat sacrificium pro infidelibus offerre. Porro nec in nova Lege Deus prohibuit offerri Sacrificium pro infidelibus. Ergo a fortiori licitum est nunc illud offerre pro ipsis, quum Missa sit ex se sacrificium magis sufficiens magisque universale.

1233. 2° *Praxi Ecclesiæ.* Certum est, in primævis Ecclesiæ sæculis, Missæ sacrificium fuisse oblatum pro regibus, imperatoribus et omnibus hominibus, sicut aperte colligitur ex S. Clemente, VIII *Constit. Apostol.* 18 et seq., et ex Tertulliano, lib. *ad Scapulam*, cap. 1 : « Sacrificamus pro salute Imperatoris. » Porro illo tempore reges et imperatores erant infideles, imo ethnici. Ergo.

1234. *Ratione.* Sacrificium Crucis fuit oblatum pro omnibus hominibus, etiam infidelibus, juxta illud, I *Timoth.* 2 : *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui tradidit semetipsum pro omnibus.* Ergo et sacrificium Missæ potest pro omnibus offerri, quia, sicut illud fuit universale quoad sufficientiam, ita hoc debuit suo modo esse universale quoad efficaciam, seu ad applicandum aliquo modo fructum illius sacrificii, saltem per modum impetrationis.

COROLLARIUM

1235. Ideo a fortiori sacrificium Missæ potest offerri pro catechumenis, præsertim cum talis fuerit usus primitivæ Ecclesiæ, ut testantur S. Clemens, VIII *Constit. Apostol.* 45, S. Chrysost., in *sua liturgia*, et S. August., *Epist.* 107, *ad Vitalem.* Imo forsan eo ipso quod offertur pro universa Ecclesia, et pro catechumenis offertur ; licet enim nondum sint Ecclesiæ per solemnem Baptismi professionem et characterem, attamen jam per fidem et fortasse per charitatem sunt veluti substantialiter de Ecclesia. Quidquid id est, consultius est pro eis offerre, vel saltem habere generalem intentionem offerendi pro omnibus fidelibus,

juxta Ecclesiæ intentionem, vel Dei placitum ; nam in hoc potest esse aliquod commodum, et nullum occurrit periculum.

1236. *Dices :* Obstant illa S. Augustini, I *De anima* 9 : « Quis offerat sacrificium Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi ? »

Resp. Nego. « Id enim, ut explicat D. Thomas (In IV, dist. 12, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2, ad 4), intelligi debet de membris *actu* vel *potentia*, cujusmodi sunt omnes homines quandiu vivunt. Ibi enim loquitur Augustinus de parvulis qui moriuntur absque Baptismo, quibus nullo modo potest prodesse Sacrificium, cum non sint, nec esse possint membra Christi. » Gonet, disp. 11, a. 3, n. 72.

Quæritur quomodo offerre liceat Missam pro infidelibus ?

1237. *Respondeo :* Duplici modo, directe et indirecte. Indirecte quidem petendo Ecclesiæ augmentum et aliquid simile, quod fieri nequit nisi per infidelium conversionem. Directe vero, quando offertur pro bono infidelium spirituali aut temporali. Prior modus frequentior fuit in Ecclesia, sicut patet ex liturgiis S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi ; et in Missali Romano habetur specialis Missa pro extirpando schismate. « Posterior autem modus est etiam licitus, non solum in generali, sed etiam in particulari, quia nulla est prohibitio nominandi ipsam personam, dummodo excommunicata non sit ; erit tamen consultius et consuetudini Ecclesiæ magis consentaneum, nunquam expresse nominare personam aliquam infidelem, ita ut ab aliis audiri possit, ne fortasse scandalum aliquod, aut admirationem ingerat. » Suarez, in 3, disp. 78, sect. 2, n. 8.

PROPOSITIO III

Sacerdoti, quatenus est minister Ecclesiæ, non licet offerre Sacrificium pro quibuslibet majori excommunicatione ligatis.

1238. Prob. « Ratio est, quia id prohibitum est in cap. *Nobis* et cap. *Sacris*, *De sentent. excom.;* est enim hic unus de effectibus majoris excommunicationis, ut videre est in tractatu de censuris... Non omittam autem advertere, sine ullo scrupulo (quidquid Soto significet), posse sacerdotes, in *Memento*, orare pro excommuni-

catis, privata oratione et intentione ; quia de hoc nulla est facta ab Ecclesia prohibitio ; imo aliqui dubitant an fieri possit, de quo alias. » Suarez, ibid., n. 10.

COROLLARIUM

1239. Hinc a fortiori non licet offerre sacrificium Missæ pro hæreticis et schismaticis, qui ut tales cognoscuntur, licet non fuerint Ecclesiæ denuntiati. Neque licet Missam celebrare *publice* pro his quibus Ecclesia denegavit sepulturam ecclesiasticam, qui a fortiori excluduntur a participatione publica Eucharistiæ; et aliunde hoc fieri nequiret sine contradictione et aliquo fidelium scandalo vel admiratione.

PROPOSITIO IV

Sacrificium Missæ potest offerri pro animabus purgatorii.

1240. Prob. 1° *Scriptura.* II *Machab.* 12, 42 et seq. : *At vero fortissimus Judas..... facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans: nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis : et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Porro Missæ sacrificium, utpote eorum exemplar, omnium antiquorum sacrificiorum perfectiones eminenter continet. Ergo.

1241. 2° *SS. Patribus.* Hanc veritatem aperte docet Tertull., *De corona militis*, cap. 3; S. Cyprianus, lib. I, *Epist.* 9 ; S. Ambros., in *orationibus de obitu Theodosii, Valentini, et fratris sui Satyri ;* S. Chrysost., *Hom.* 69 *ad populum*, ubi dicit ab Apostolis id sancitum fuisse ; S. August., *De cura pro mortuis,* cap. 1, et IX *Confessionum* 12 et 13; S. Cyrillus Hierosol., *Catech.* V *mystag.*

1242. 3° *Liturgiis.* Id luculentissime patet liturgiis omnibus, et quidem perantiquissimis, scilicet S. Jacobi, S. Matthæi, S. Marci ; et expresse testificatur S. Clemens, VIII *Constit. Apostol.* 9. Pontificale Romanum, in forma ordinationis presbyteri,

ita habet : « Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis. » Et in Missali multæ sunt Missæ speciales pro defunctis.

4° *Concil. Tridentino.* Sess. 22, cap. 2, et can. 3 ; et sess. 25, in decreto *De purgatorio*, docet, « animas in purgatorio detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. »

1243. 5° *Ratione.* S. Chrysost., *Hom.* 3 *in epist. ad Philippenses*, præclaro encomio persolvit rationem efficaciæ Sacrificii pro defunctis oblati : « Non frustra instituerunt Apostoli, ut cum tremenda mysteria celebrantur, fieret eorum commemoratio qui ex hac vita decesserunt. Sciebant enim, magnum inde lucrum, multamque utilitatem eis provenire. Cum enim adsit populus universus, et collegium sacerdotale manus attollat, et coram posita sit tremenda Hostia, quomodo iram Dei non placabimus pro illis orantes? »

PROPOSITIO V

Sacrificium Missæ potest Deo offerri in honorem Sanctorum.

1244. Prob. 1° *SS. Patribus.* S. Cyprian., *Epist.* 34, de quibusdam martyribus dicit : « Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus quoties Martyrum passiones celebramus. » In epistola autem 37, quasi explicans quomodo pro Martyribus Sacrificium offeratur, dicit : « Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. » — S. August., XXII *De Civitate* 10 : « Sacrificium non Martyribus, sed Deo immolamus, ad quod Sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote qui sacrificat, invocantur (scilicet ut auctor salutis et bonorum omnium, quem per Sacrificium colimus) ; Deo quippe, et non Sanctis, sacrificat, quamvis in memoriam sacrificet eorum. » — S. Chrysost., *Hom.* 21 *in Acta* : « Pro Martyribus offerre nihil aliud est quam in illa hora Sacrificii vocari ; nam etiam pro Martyribus magnus honor est nominari, Domino præsente, dum mors illa perficitur, et horrendum Sacrificium, et ineffabilia Sacramenta. »

1245. 2° *Praxi Ecclesiæ.* Fere singulis anni diebus, occur-

runt dies festi in honorem Sanctorum ab Ecclesia instituti, et quibus sacerdotes Sacrum celebrant in honorem ipsorum, sive ut ab ipsis auxilia efflagitent, sive ut Deo pro donis eis collatis gratias rependant. Unde orationem quæ præit immediate Secretis, ita claudit sacerdos : « Ut illis (Sanctis) proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem. »

1246. 3° *Conc. Tridentino*. Sess. 22, cap. 3 : « Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed soli Deo, qui illos coronavit ; unde nec sacerdotes dicere solent : offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule : sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. » Et can. 5 : « Si quis dixerit, imposturam esse, missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit : anathema sit. »

1247. *Nota*. Proprie et stricte non tam pro sanctis, quam pro nobis offertur Sacrificium, quando in eorum honorem celebratur ; « petimus enim ut magis ac magis a fidelibus glorificentur in terris ; quod nostra est utilitas et commoditas, quamvis in Sanctorum gloriam redundet ; sicut in oratione Dominica petimus : *Sanctificetur nomen tuum ; adveniat regnum tuum ; fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra*, et possumus Sacrificium offerre ad hæc omnia impetranda ; nec tamen propterea proprie dicemur orare aut offerre Sacrificium pro Deo, sed pro nobis, ut glorificemus Deum. Quod si sit sermo, non de honore extrinseco Sanctorum, qui intrinsece est in nobis, sed de accidentali gloria intrinseca ipsis Sanctis, quæ consistit in illuminationibus et gaudiis accidentalibus, dicendum est, directe nos nunquam petere Sanctis hanc gloriam accidentalem, sed vel indirecte, quatenus ex nostris actibus redundare potest ; nam hæc vicissitudo gloriæ accidentalis semper creditur oriri ex his quæ in Ecclesia militante fiunt, ideoque solum usque ad diem Judicii esse duraturam : vel certe, si aliunde etiam oriri potest, habet in singulis beatis suam legem certam, stabilem et independentem ab orationibus nostris ; et ideo ad nos non pertinet pro eis orare, quantum ad augmentum hujus gloriæ. Proprie igitur loquendo, hoc sacrificium non offertur pro Sanctis, nisi

inquantum aliquo modo offertur pro nobis....; et hæc est resolutio Innocentii III, in cap. *Cum Marthæ*, juxta quam intelligendum est etiam quod D. Thomas ait, in IV, dist. 12, q. 2, a 1, quæstiunc. 2, ad 2, hoc sacrificium offerri posse pueris baptizatis qui ante usum rationis decedunt. » Suarez, in 3, disp. 78, sect. 3, n. 8.

PROPOSITIO VI

Nullo pacto Missæ sacrificium offerri potest pro damnatis.

1248. Prob. 1° *SS. Patribus*, Vide præsertim S. Augustinum, I *De origine animæ* 9 et 10, et *De cura pro mortuis agenda*, cap. 1; et S. Gregorium Magnum, XXXIV *Moralium* 13 (alias 16), et IV *Dialogorum* 44.

1249. 2° *Jure Canonico*. In capite *Pro obeuntibus*, dist. 13, q. 2, dicitur, non esse offerendum Sacrificium pro impiis defunctis, id est, quando eos in mortali peccato mortuos esse constiterit. Et cap. *Placuit*, dist. 16, q. 2, prohibetur offerri pro his qui violentam mortem sibi inferunt.

1250. 3° *Ratione*. *Primo*, nullatenus damnatis prodesse potest sacrificium Missæ, quum desperata sit eorum correctio; ergo. — *Secundo*, jam nec in potentia, neque in actu sunt membra Christi; ergo neque pro eis potest offerri sacrificium Christi. — *Tertio*, illis non potest prodesse hoc sacrificium ex justitia, ut per se constat; neque etiam ex misericordia, nam ut recte dicit S. Bernardus, serm. 8 in psalm. *Qui habitat :* « Illi jam non sunt in statu misericordiæ, sed rigorosæ vindictæ. » — *Quarto*, damnatis nulla fit remissio culpæ, nec pœnæ; alias multiplicatis sacrificiis, posset auferri universa pœna; quod est contra æternitatem et perpetuitatem illius status. Sequela patet, nam qua ratione per unum sacrificium tolleretur aliqua pars pœnæ, per aliud simile, et cæteris omnibus paribus, posset tolli æqualis pars ; ergo tandem posset tota absumi, quia illa pœna ex parte qua diminueretur, scilicet ex parte subjecti seu intensionis, finita est. Quod autem quidam dicunt de remissione per partes proportionales, fictitium et voluntarium est. Suarez, in 3, disp, 78, sect. 3, n. 2.

COROLLARIA

1251. Hinc 1° abutuntur auctoritate S. Augustini, qui ipsa freti sentiunt, in inferno dari, non quidem liberationem, sed quamdam pœnæ relaxationem. Utique in *Enchiridio*, cap. 110 et 112, docet præclarissimus Doctor, pœnas damnatorum posse mitigari, sed non intelligit de damnatis ad æternas pœnas, bene autem de animabus in purgatorio detentis; nam illius tempore vox *damnatus* utriusque infelicis sortis homines complectebatur.

1252. Hinc 2° falsa quoque est sententia Scoti et aliquorum qui dicebant, sacrificium Missæ posse damnatis prodesse ad remissionem pœnæ temporalis, nimirum pœnæ debitæ aut venialibus, aut mortalibus peccatis ante mortem condonatis, sicut pro vivis qui in peccato mortali existunt. *Primo*, etsi hoc pro homine peccatore et adhuc viatore contingere posset, non ideo posset quoque damnato contingere, quia hic magis est incapax salutis omnisque misericordiæ. — *Secundo*, quamvis daremus, aliquam temporalem pœnam damnati posse finiri per rigorosam solutionem et vindictam, non inde sequeretur, posse etiam per sacrificium remitti; nam tempus viæ definitum est ut in eo possit fieri talis commutatio pœnæ seu applicatio pœnarum Christi in remissionem pœnæ ignis, quia Christus duntaxat viatorum redemptor est, non damnatorum; et ideo talis commutatio, aut in via debet fieri, si sub via purgatorium quoque comprehendamus, aut, si rigorose de via loquamur, in ea saltem homo debet ita uniri Christo, ut capax sit talis commutationis seu applicationis passionis ejus. Suarez, ibid. n. 4. Unde S. Inquisitionis congregatio illam Scoti doctrinam reprobavit, et Congregationis resolutionem confirmavit Innocentius XI, sicut videre est apud Ferraris, V. *De Missæ sacrif.*, a. 7, n. 20.

ARTICULUS II

DE DISPOSITIONIBUS EORUM PRO QUIBUS OFFERTUR SACRIFICIUM

PROPOSITIO I

Non baptizatus quilibet incapax est effectus hujus sacrificii ex opere operato.

1253. Prob. 1° *SS. Patribus.* S. August., I *De anima et ejus origine* 9 : « Quis offerat corpus Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi? » S. Chrysost., *Hom.* 3 *in epist. ad Philipp.*, dicit, hoc sacrificium non posse offerri pro catechumeno defuncto ; quod verum esse non potest, nisi quoad effectum ex opere operato ; nam, quoad impetrationem, potest pro illis offerri, sicut ostensum est supra (1235).

1254. 2° *Praxi Ecclesiæ.* Juxta antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, catechumeni non possunt adesse mysteriis, ex quo incipit fieri oblatio Sacrificii ; semper igitur existimati sunt incapaces effectus hujus sacrificii ex opere operato ; alias cur prohiberentur adesse et cum aliis offerre?

1255. 3° *Ratione. Primo, ex incapacitate catechumeni.* Ex Christi institutione, nemo est capax suscipiendi alia sacramenta nisi per characterem qui imprimitur in Baptismate ; ille enim character est potentia passiva spiritualis, qua unusquisque fit capax suscipiendi alia sacramenta (Vide dicta ubi *de Sacram. generatim*, n. 360-368) : qua de causa Baptismus dicitur janua Sacramentorum. Porro non minus est janua ad percipiendum fructum Sacrificii ex opere operato ; ratio videtur eadem utrinque. Ergo. Propterea Ecclesia specialiter offert pro fidelibus, quo nomine intelligit baptizatos, quando dicit : « Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei. » Baptismus enim est signum seu sigillum fidei ; et hi sunt proprie fideles, *in foro Ecclesiæ*, qui per Baptismum fidem solemniter professi sunt, illiusque sigillum in anima impressum habent.

1256. *Secundo, ex visibilitate Ecclesiæ.* Sacrificium Missæ est potissimum signum visibilitatis Ecclesiæ, datum ipsi, ut pro se suisque membris illud offerat, eisque prosit ex opere ope-

rato. Porro homines, per Baptismum constituuntur membra hujus Ecclesiæ visibilis ; quum per ipsum solum proprie pertineant ad formam extrinsecam Ecclesiæ, uti dictum est in tractatu *De Ecclesia*. Ergo soli baptizati sunt capaces hujus fructus ex opere operato.

1257. *Confirmatur*. Soli baptizati sunt capaces mensæ Domini, nam prius generari debent homines, quam nutriri, et prius reconciliari, quam ad convivium amicorum admitti. Atqui participare fructui Sacrificii ex opere operato est aliquo modo participare mensæ Domini ; nam, ex institutione Domini, Sacrificii oblatio et Sacramenti confectio sunt una et eadem actio virtualiter duabus æquivalens. Ergo.

Quæritur utrum animæ purgatorii sint capaces fructus ex opere operato sacrificii Missæ

1258. Negant Soto, dist. 13, q. 2, a. 1, Melchior Canus, XII *De locis theolog.* 13, ad 9, etc. *Primo* quidem illæ animæ non sunt amplius membra Ecclesiæ visibilis ; ergo neque sunt in statu in quo Sacrificium possit eis prodesse ex opere operato, sicut nec visibilia Sacramenta eis utilia esse possunt. *Secundo*, illæ animæ non sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi ; ergo neque ulla satisfactio eis jam prodesse potest, saltem ex certa lege et promissione, sicut fit ex opere operato. *Tertio*, propter hanc rationem, alia suffragia et indulgentiæ Ecclesiæ non applicantur eis infallibiliter, sed per modum suffragii, sicut dicunt, ut Deus de congruo acceptet et applicet illa : quod significat S. August., lib. *De cura pro mortuis agenda*, cap. 1, et in *Enchiridio*, cap. 19. Ergo idem est dicendum de Sacrificio ; nam eadem est ratio, et quotiescumque Sancti loquuntur de oblatione hujus sacrificii pro defunctis, eam per modum deprecationis suffragiique explicant.

1259. Affirmant probabilius D. Thomas, in IV, dist. 45, q. 2, a. 3, ad 3, Durandus, dist. 12, p. 4, Bellarminus, II *De purgatorio* 8 ; Suarez, in 3, disp. 39, sect. 10, n. 4 et 6, etc. Atque hæc sententia, etsi forte non omnino convincentibus, saltem magni ponderis innititur rationibus, quæ sat pollent ad magnam probabilitatem ingenerandam. *Primo* quidem, conc. Tridentinum, sess. 25, cap. 1, docet, inter suffragia Missæ, Sacrificium maxime defunctis prodesse ; ergo, si alia prosunt infallibiliter,

hoc multo magis ; vel quamvis aliis operibus hæc infallibilitas denegaretur, non esset neganda Missæ, propter illius excellentiam. Accedit quod Tridentinum, sess. 22, cap. 2, et can. 3, eodem modo dicit, sacrificium hoc offerri pro vivis et defunctis. Et eodem modo loquuntur SS. Patres. *Secundo*, in ordinatione presbyteri, æque ei dicitur : « Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis. » Ergo verisimile est, hanc potestatem esse æque efficacem circa utrosque. Ex his ergo omnibus sufficiens habemus fundamentum, ut credamus, Christum ita instituisse hujus sacrificii efficaciam ; quum nulla sit ratio ob quam animæ fuerint ab hoc effectu excludendæ, sicut patebit exsufflatione rationum in oppositum supra adductarum.

1260. *Ad primam :* Animæ purgatorii, quia nondum triumphant, aliquo modo pertinent adhuc ad Ecclesiam militantem ; qua de causa cum ipsis quamdam spiritualium bonorum communicationem habemus. Negatur paritas instituta inter Sacramenta et Sacrificium : *primo*, propter diversum finem ; nam Sacramenta ordinata sunt ad gratiam conferendam, cujus augmenti incapaces sunt animæ purgatorii ; sacrificium vero est ordinatum ad pœnas peccatorum tollendas, cujus effectus sunt capaces illæ animæ. *Secundo*, ratione modi quo efficitur seu applicatur effectus ; Sacramentum enim applicatur per aliquam actionem circa subjecti corpus exercitam, et ideo non operatur nisi in anima corpori unita ; Sacrificium vero operatur solum per quamdam extrinsecam ordinationem seu relationem, quæ terminari potest ad animam etiam a corpore separatam.

Ad secundam : Negatur consequentia, nam, licet animæ illæ non sint in statu in quo possint per se satisfacere, sunt tamen in statu in quo possunt frui aliorum, præsertim Christi, satisfactionibus.

Ad tertiam : Negari potest antecedens ut valde dubium, et hinc negari etiam consequentia. Deinde etsi hoc verum sit de cæteris suffragiis, non ideo esset necessario applicandum sacrificio Missæ, quod dignitate et efficacia quasi infinite cæteris suffragiis præcellit.

1261. *Nota.* Ad doctrinæ complementum, oporteret demonstrare, sacrificium Missæ, quoad remissionem pœnæ, non prodesse, etiam in præsenti vita, ei qui in peccato mortali versatur.

Sed hæc quæstio opportune locum obtinebit in tractatu *De sacramento Pœnitentiæ*. Quoad nunc, satis sit radicalem referre rationem quam tradit D. Thomas, 3 p. q. 79, a. 7, ad 2 : « Sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam et ad remissionem culpæ, et adeptionem gratiæ et gloriæ, sed effectum non habet, nisi in illis qui passioni Christi conjunguntur per fidem et charitatem, ita et hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum, nisi in illis qui conjunguntur huic sacramento per fidem et charitatem. » Hæc enim beneficia sunt amicorum, nec est ratio ulla ob quam ad inimicos extendantur.

PROPOSITIO II

Ex parte illius pro quo offertur Sacrificium, non requiritur actualis devotio, ut ejus fructum percipiat.

1262. Prob. 1° *A priori*. « Ille pro quo offertur, non concurrit active, sed habet se passive, sicut ille pro quo aliquis jejunat vel offert alia pia opera ; non ergo requiritur ejus cooperatio, sed ignorans et nihil agens poterit illum fructum acquirere. » De Lugo, disp. 19, sect. 10, n. 196.

1263. 2° *A posteriori*. Sæpe sæpius offertur Sacrificium pro his qui plane ignorant, pro se offerri ; imo et pro his qui nollent illius fructus percipere, puta quando offertur pro sanitate restituenda pientissimis qui vehementer cupiunt dissolvi et esse cum Christo. « Ratio est quia ego non possum impedire ne alius pro me offerat Sacrificium, cum oblatio non sit actio mea, sed solius offerentis ; Sacrificium autem pro me oblatum affert secum illum effectum, sicut Baptismus vel martyrium ; ergo non possum impedire effectum ad quem ego nullo modo concurro. » De Lugo, ibid.

PROPOSITIO III

Verisimillimum est quod uberiorem Sacrificii fructum satisfactorium percipit qui aptiori dispositione majorique devotione potitur [1].

[1] Ita De Lugo, disp. 19, sect. 10, n. 200 et seq., contra Suarezium, disp. 79, sect. 10, n. 11 et seq.

1264. Prob. 1° *Directe. Primo, ex efficacia ex opere operato.* Sacramenta uberiorem fructum producunt in his qui perfectiori dispositione ea suscipiunt. Porro, cum Missæ sacrificium producat etiam ex opere operato suum effectum satisfactorium, nulla apparet solida ratio cur non producat quoque fructus satisfactorii quantitatem pro mensura dispositionis. Ergo.

Confirmatur. Hæc est aperta D. Thomæ sententia : « Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, et non pro tota pœna. » 3 p. q. 79, a. 5, o. « Illis tamen prodest plus vel minus, secundum modum devotionis eorum. » Ibid., a. 7, ad 2.

1265. *Secundo, ex convenientia rei ipsius.* Causa efficiens intensiorem producit effectum, si agat in subjecto aptiori ad ipsum recipiendum. Porro Sacrificium oblatum pro illo qui majori potitur devotione, operatur in subjecto aptiori ad ejus effectum recipiendum. Ergo. Deinde, procul dubio, magis satisfacit homo qui majori charitatis fervore exsequitur opera satisfactoria. Atqui satisfactio Christi non minus pollet quam satisfactio privata hominum. Ergo si applicetur ei qui majori charitate fervet, in ipso uberiores sortietur effectus.

Scio, hanc geminam rationem non esse omnino efficacem; et primæ quidem posset ita responderi : Utique omnis actio quæ recipitur in aliquo subjecto, intensiorem in ipso producit effectum pro accuratiori illius dispositione, sicut sol magis illuminat et calefacit, prout subjectum aptum est ad lucem et calorem recipiendum : sed satisfactiones non prosunt per modum actionis, sed per modum solutionis debiti, et non recipiuntur in subjecto satisfaciente ; unde non est simile. Secundæ vero sic quoque responderi potest : Applicantur satisfactiones Christi, quæ nec augentur, neque minuuntur in se, sive major, sive minor sit fervor charitatis illius cui applicantur ; dum satisfactiones propriæ intrinsece augentur vel minuuntur, prout a ferventiori, vel tepidiori corde exeunt. Concedo igitur ultro, non esse paritatem stricte sumptam. Attamen est quædam proportio analogiæ, et si res ponderetur juxta suavissimam providentiam Salvatoris, a cujus voluntate adæquate pendet, invenitur magna convenientia; Ipse enim Magdalenæ magis diligenti magis dimisit, sicut habe-

tur *Luc.* 7, 47 : *Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit ;* quia Deus intuetur cor. Unde, *Luc.* 19, mnam Dominus jussit auferri a servo nequam, et dari, non egenti alicui, sed illi qui decem mnas jam habebat ; et quia valde hujus facti mirationem susceperunt astantes, ait : *Dico autem vobis quia omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.* Quocirca illa dispositio inter quantitatem fructus et accuratioris dispositionis est in genere causæ moralis, non autem physicæ ; et hoc modo datur aliqua paritas inter Sacramenta et Sacrificium : inter effectum qui recipitur physice in subjecto, et debitum solutum quod extrinsece tantum et per respectum recipitur in eo cui applicatur.

1266. *Indirecte. Primo*, Suarez dicit, dari magnum discrimen inter gratiam, quæ est effectus Sacramenti, et remissionem pœnæ, quæ est effectus Sacrificii ; nam gratia perficit intrinsece, dum remissio pœnæ nullam confert intrinsecam perfectionem. Hoc verum est, et libenter concedo, sed non obstat ; nam dignitas satisfacientis pensanda est et reputari pro aliquo debet : porro homo cui applicantur satisfactiones Christi, est membrum ejus ; quæ autem præstat Christus, eo ipso præstat ut aliquo modo ejus corpus mysticum et membra percipiant, quia nobis datus, nobis natus est. Unde satisfactiones Christi, quando nobis applicantur, fiunt nostræ, et sunt veluti nostra proprietas, sicut actiones quas elicimus ; et ideo pensanda est dignitas ac devotio illius cui applicantur, cum ipse quasi de suo debitum solvat.

1267. *Secundo*, objicit Suarez, remissionem pœnæ se habere sicut donationem. Atqui donationis quantitas non pendet a dispositionibus illius in cujus gratiam fit, sed a donante. Ergo quantitas fructus Missæ non pendet ex dispositionibus recipientis, sed ex applicatione celebrantis. — *Resp.* 1° *Dist. maj.* Si fiat sine pretio æquivalente pœnæ, *concedo ;* secus, *nego.* Porro in præsenti, remissio non fit sine æquivalente pretio quod Christus constituerit penes dominium illius qui satisfacit. 2° *Nego conseq.* Sacerdos determinat personam cui fit talis remissio ; et ideo non potest determinare quantitatem illius effectus, sicut facit Papa, dum indulgentias concedit. Alias eadem satisfactio quam imponit sacerdos in sacramento Pœnitentiæ, æquales sortiretur effectus in duobus vel pluribus hominibus, licet valde diversæ

essent ipsorum dispositiones ; quod tamen nequit sustineri. Ergo.

1268. *Dices :* « Sacerdos ita potest, pro sua libertate, applicare effectum oblationis, ut possit illum dividere inter duos per æquales partes, et tunc singuli habebunt æqualem effectum, licet unus sit sanctior alio, et magis devotus ; ergo non pendet ex dispositione suscipientis, sed ex mera applicatione et distributione sacerdotis. » Ita Suarez.

Resp. Dist. maj. Determinare potest partem effectus, in actu primo, nempe quoad virtutem et efficaciam, *concedo ;* in actu secundo, nempe quoad effectum jam productum et veluti in *facto esse*, *nego.* Priori modo, utique potest applicare æqualem partem pro utroque diverse disposito ; sed nihilominus aptius dispositus, utpote membrum Christi, per quem satisfacit, uberiorem fructum percipit, quia illa æqualis pars efficaciæ amplius non est æqualis, sed excedens, si habeatur respectus dignioris subjecti cui conceditur, et per quam ipse satisfacit moraliter, utpote agens per Christi satisfactiones. Posteriori modo, sacerdos non potest fructum applicare, quum id pendeat ex institutione Christi, sicut vis satisfactionis quam pœnitenti confessarius ad remissionem pœnæ peccatis condonatis debitæ imponit.

Quæritur an necesse sit quod ille pro quo offertur Sacrificium, habeat nunc et actu temporalem pœnam luendam, ut reapse illius fructum percipiat ?

1269. *Respondeo affirmative ;* nam si nulla sit pœna hujusmodi, impossibilis est actio remissiva, « sicut in naturalibus, ut agens agat positive, necesse est ut supponat aliquam privationem, et, ut agat privative, id est, expellendo, necesse est, ut supponat aliquid formæ in subjecto, quia si tota est expulsa, nihil illi superest agendum. Et ob hanc rationem, nihil potuit hoc sacrificium ex opere operato conferre Beatissimæ Virgini ; et idem est de quocumque justo pro eo tempore in quo nullum habet reatum temporalis pœnæ. » Suarez, in 3, disp. 79, sect. 10, n. 14. Solutio enim supponit debitum, nec magis potest proprie fieri antequam contrahatur, quam satisfieri præcepto audiendi Missam die Dominica, si quis intersit Sabbato, vel etiam omnibus aliis heb-

domadæ diebus. Alias posset aliquis solvere debitum pro peccatis futuris, et sic impune peccare quotidie.

ARTICULUS III

DE APPLICATIONE FACIENDA A SACERDOTE

Dicemus 1° de fructu applicando, 2° de intentione requisita, 3° de tempore quo facienda est applicatio, 4° de his quibus facienda est, 5° de obligatione applicandi Missam, ratione officii, 6° de obligatione applicandi, ratione stipendii.

PARAGRAPHUS I

DE FRUCTU APPLICANDO A CELEBRANTE

1270. I. Triplex fructus Missæ. Imprimis operæ pretium est innuere tripartitam fructus Missæ distributionem : alius enim est *generalis*, alius *specialis* et alius *specialissimus* [1]. — *Primo*, *generalis* ex eo provenit quod generaliter Missæ sacrificium pro omnibus fidelibus vivis ac defunctis offertur; est enim idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis, quod pro omnibus oblatum est. Quapropter ad hoc munus sacerdos est ab Ecclesia specialiter deputatus, et in Canone effunditur oratio pro Papa, Antistite, totaque Ecclesia, tum militante, tum patiente. Unde hic fructus extenditur ad omnes qui sunt aliquo modo de unitate Ecclesiæ, dummodo obicem non ponant; estque extensive infinitus, quatenus unusquisque sumit quantum si esset solus, quicumque sit numerus fidelium. — *Secundo*, *specialis* colligitur ex natura Sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur ; ideo subest dispositioni sacerdotis et prodest illis pro quibus Missa dicitur. — *Tertio*, *specialissimus* sic dicitur quia est proprius sacerdoti celebranti; nam sacerdos offert etiam pro seipso, juxta illud Apostoli *Hebr.* 5, 3: *Debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Unde in Offertorio sacerdos dicit : « Suscipe, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis. »

[1] Aliqui *medium* appellant fructum quem dicimus *specialem*, *specialem* vero illum quem dicimus *specialissimum*: Ita Bona.

1271. II. Fructus specialissimus non subest dispositioni sacerdotis. Hic obiter inquirere solent theologi an fructus specialissimus subsit dispositioni sacerdotis, ita ut possit illum applicare cæteris ? Primum non licet accipere stipendium pro applicatione illius fructus ; nam S. Officii Congregatio, die 13 decemb. 1659, proscripsit sequentem propositionem : « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. » Hoc Congregationis decretum sua auctoritate Apostolica confirmavit Alexander VII. Sane, advertit sapienter S. Alphonsus, « prorsus latet quantus sit ille fructus specialissimus, et utrum adæquet fructum medium (seu specialem) ; multi opinati sunt, nescio quonam fundamento, esse tantum ejus tertiam partem ; atque nescitur utrum habeat effectum satisfactorium, quem tamen communiter postulant qui stipendia largiuntur. » Lib. VI, n. 318.

1272. Deinde inquiri potest an, secluso Ecclesiæ vetito pro applicatione ex stipendio, sacerdos valeat aliis transferre hunc fructum? Rem ut valde dubiam habent Vasquez, Suarez, Bonacina et alii : Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrificio*, cap. 21, n. 15, retundit avaritiam sacerdotum qui duplex stipendium accipiunt pro eadem missa, et pro uno applicant fructum specialissimum, atque subdit : « Putarunt, se posse hunc tertium fructum qui cæteroquin est veluti actio immanens, quæ nequit ab agente in alium transire, alteri cedere, atque hac ratione novam eleemosynam accipere. » Præterea, licet non se haberet sicut actio immanens, non ideo posset applicari, quia, ut citato loco advertit S. Alphonsus, « sicut ex institutione Christi fructus generalis non potest alteri applicari, ita neque hic specialissimus. »

PARAGRAPHUS II

DE INTENTIONE REQUISITA AD APPLICANDUM FRUCTUM

1273. I. Sufficit habitualis. In tractatu *De actibus humanis* (152), et in tractatu *De Sacramentis in genere* (162), recensuimus atque descripsimus præcipuas intentionis species, illico igitur inquirimus quænam ex illis requiratur ad validam Sacrificii

applicationem. Vasquez et alii quibus astipulatus est Bona (*De sacrif. Missæ*, cap. 1, § 5), eamdem pro applicatione Missæ, quam pro Sacramentorum ministratione, dicunt esse necessariam intentionem, scilicet aut actualem, aut virtualem, quæ ab actuali proveniens et non revocata adhuc remanet secundum suam virtutem. Cæteri tamen theologi catervatim verius affirmant, sufficere intentionem habitualem; ita Suarez, De Lugo, Tournely, La Croix et alii quos citat et sequitur S. Alphonsus, lib. VI, n. 335. Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrificio*, cap. 16, n. 8, hanc sententiam ut vulgarem tradit : « Cum de intentione scripsimus quam sacerdotem habere oportet Missam celebraturum faciendi id quod Ecclesia facere intendit, optimam docuimus esse actualem intentionem; virtualem tamen sufficere, minime vero habitualem. At intentionem applicandi vulgatior sententia statuit sufficere habitualem; applicatio enim est quasi quædam donatio seu translatio fructus qui e Missa percipiendus est; quæ donatio seu fructus translatio valida est, etiamsi multo tempore ante facta sit, et multis actibus interrupta, dummodo revocata non fuerit. » Ratio discriminis inter confectionem Eucharistiæ vel alterius sacramenti et applicationem Missæ facile patet : in Sacramentis conficiendis intentio ministri concurrit tanquam causa instrumentalis, et ideo requiritur aliqualis ejus influxus, qui non datur, nisi ad minus virtualis sit intentio; dum in applicatione fructus, intentio neutiquam producit fructum, qui semper producitur, etiamsi nulla interveniat intentio quoad applicationem; intentio igitur in applicatione determinat tantum subjectum cui donatio fructus est facienda.

1274. II. Debet sacrificans determinare personam cui applicatur Missa. Et hinc evidenter collucet, necesse esse, ut persona cui fieri debet applicatio, sit determinata in intentione sacerdotis; sicut nulla est donatio vel testamentum, si non determinetur donatarius vel hæres. Unde si quis recipiat a diversis personis tria stipendia, ut Missam celebret pro fine diverso, vel pro tribus defunctis, atque celebret, intendens modo generali tantum unum ex tribus finibus, vel tribus defunctis, non fit applicatio. Si vero intendat in unaquaque celebratione tres fines simul, vel tres defunctos nullumque excludat, tunc satisfacit, modo intendat applicare singulis æqualem fructus partem; fructus enim Sacrificii divisibilis est, et ideo, expleta tertia celebratione, singuli reci-

piunt fructum saltem æque uberum, ac si una missa pro singulis seorsim celebrata fuisset. Dico *saltem æque uberum*, nam si vera esset sententia quæ dicit, Missam æque prodesse singulis quando pro omnibus simul dicitur, ac si uni tantum applicaretur, hunc reciperent fructum triplum. Vide S. Alphons., lib. VI, n. 335, q. II.

1275. Attamen neutiquam necesse est ut sacerdos cognoscat finem propter quem petitur Sacrificium, vel personam cui Missa applicanda est; sed satis est quod intentio feratur in adjuncta quæ objective determinent finem vel personam; v. g., si unum vel plura acceperit stipendia ab eodem et ad eumdem finem, sufficit celebrare juxta intentionem dantis. Si vero a pluribus acceperit ad varios fines, vel etiam ab uno, sed ad multos fines, satis determinata est illius intentio, si intendat missas applicare juxta ordinem temporis, ita ut prima petita prima dicatur, etc., vel etiam, si non possit haberi ratio temporis, sufficit ut intendat celebrare singulas missas juxta ordinem majoris earum necessitatis, prout Deus illum noverit. Sacerdos igitur qui, pluribus stipendiis receptis pro totidem missis, celebraret intendens modo generali tantum satisfacere uni stipendio, nulli satisfaceret.

Quæritur an Deus attendat habitæ, vel debitæ celebrantis intentioni, scilicet ei quam de facto habet, vel ei quam debuisset habere?

1276. I. Causa hujus quæstionis. Hæc quæstio ponitur potissimum pro his sacerdotibus qui voto obstringuntur ad prælati sui nutui obtemperandum; nam in cœtibus religiosis communiter applicatio Missarum pendet a Prælato; unde si sacerdos ipsi refragetur in applicandis missis quas celebrat, inquiritur an Missa applicetur juxta intentionem Prælati, vel sacerdotis? Paucissimi dicunt, sacerdotem non posse valide applicare contra intentionem prælati præcipientis ut offerat pro alio. Scotus et Gabriel hoc coarctant ad casum quo religiosus tenetur ex justitia celebrare pro alio; Ledesma et Corduba restringunt ad casum quo religiosus prohibetur per mandatum Prælati a celebratione Missæ; et Gavantus hanc sententiam probabilem existimat.

1277. II. Vera sententia. Attamen omnes melioris notæ theologi plane in oppositum sentiunt; ita Suarez, Vasquez, De Lugo, Benedict. XIV, S. Alphonsus, etc. « Communis (sententia)

ea videtur esse, applicationem ei prodesse cui sacerdos intendit applicare : non enim sacerdos Sacrificii duntaxat est minister, sed etiam dispensator vi suæ ordinationis ; itaque ut in conficiendo Sacramento ab auctoritate non pendet superioris, ita potestatem habet ei Sacrificium applicandi, cui voluerit. » Benedict. XIV, lib. III *De sacrif. Missæ*, cap. 9, n. 4. Non enim potest prælatus inferior impedire vel irritare gesta per subditum cui hæc a superiori commissa sunt. Porro in Sacramentorum collatione et Sacrificii oblatione, Christus est Princeps Supremus, et sacerdotes, vi characteris sacerdotalis, agunt omnia ex potestate et voluntate Christi immediate. Unde, in ordinatione sacerdotis, non dicitur simpliciter : *Accipe potestatem offerre Sacrificium*, sed cum addito : *Tam pro vivis, quam pro defunctis.* Ergo et quoad confectionem, et quoad applicationem, sacerdos operatur ut minister Christi, et ex commissione ac potestate ab ipso accepta. Vide De Lugo, disp. 19, sect. 10, n. 210 et seq., S. Alphonsum, lib. VI, n. 334.

1278. III. Corruuntur fundamenta adversariorum. Quapropter adversarii immerito in hoc instituunt paritatem inter potestatem applicandi Sacrificium, et potestatem emittendi votum aut Religionem profitendi, quam Prælatus vel Ecclesia ita enervare potest, ut subditum reddat inhabilem ad illa ; in hoc enim casu non agit tanquam potestatem habens immediate a Christo. Præterea, si esset paritas, nulli applicaretur Missa, sicut non valide, invito Prælato vel Ecclesia, emittitur votum aut fit professio religiosa ; idcirco, etiamsi non applicaretur Missa juxta intentionem celebrantis, non ideo fieret applicatio juxta Superioris intentionem ; quod tamen nemo admittit, scilicet Missam ita celebratam nemini applicari. Ergo.

1279. *Nota.* Ex his liquet, idem dicendum esse de illo qui ratione vel promissionis, vel stipendii, teneretur applicare Missam tali vel tali personæ, aut propter talem vel talem finem, et tamen alteri personæ applicaret, vel ob alienum finem celebraret.

1280. *Dices :* Sacerdos tenetur se gerere ut Christi minister, ac proinde juxta illius voluntatem. Porro Christi voluntas est, ut minister applicet Missam vel juxta Prælati intentionem, vel juxta debitum justitiæ. Ergo.

Resp. 1° *Retorqueo.* Sacerdos tenetur se gerere ut Christi

minister, ac proinde juxta illius voluntatem. Porro Christi voluntas est, ut nunquam celebret indigne et nunquam dispenset sacramenta indignis. Ergo. 2° *Dist. maj.* Tenetur, etc., ita ut illicite agat, si aliter sese gerat, *concedo;* ita ut invalide agat, *nego.* Etenim non minus sacerdotis voluntati commissa est applicatio Sacrificii, quam ipsa oblatio, sicut supra dictum est (1277). Itaque operatur contra voluntatem Christi, quatenus Christo displicet peccatum ; non vero contra voluntatem Christi, qua sacerdotii potestatem absolute ipsi commisit.

PARAGRAPHUS III

DE TEMPORE QUO FACIENDA EST APPLICATIO

1281. Qui tenent, Communionem sacerdotis esse de essentia Sacrificii, consequenter dicunt, applicationem factam, etiam post Consecrationem, esse validam, dummodo facta fuerit ante Communionem. Sed, quia hæc sententia est valde incerta, non licet eam in praxim traducere ; nemo enim debito certo satisfacit per solutionem valde dubiam. Unde sacerdos tenetur Missam applicare saltem ante Consecrationem.

Sed, « ut omnibus se expediat difficultatibus, in præparatione ad Missam, antequam sacris se vestibus induat, ne omittat Sacrificii fructum applicare. » Benedict. XIV, lib. III *De sacrif. Missæ*, cap. 16, n. 9.

« Optimum quoque aliquibus visum est quod sacerdos qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter et nominatim exprimat, non generaliter et in confuso, quia singulis minus prodesset ; suum enim effectum producit secundum modum quo applicatur ; perfectior autem applicatio est cum omnes singillatim nominantur. » Bona, *Lib. ascetico de sacrif. Missæ*, cap. 1, § 5.

PARAGRAPHUS IV

DEFINITUR GENERATIM CUINAM FACIENDA SIT APPLICATIO

I. — Delineatur duplex regula.

1282. I^a^ REGULA. Ad arcendos scrupulos et anxietates quæ, circa Missæ applicationem, vexare possunt sacerdotem, operæ pretium est, ut ipse, rejectis incertis opinionibus, Sacrificii fru-

ctus intendat applicare primo et principaliter ei pro quo celebrare tenetur, ratione beneficii, eleemosynæ, promissionis aut specialis obligationis. Tunc sine ejus præjudicio, et inquantum licite potest, aliis item applicare poterit sibi charitate aut alia quavis ratione peculiariter conjunctis, seu commendatis, suam intentionem intentioni Christi Summi Sacerdotis perfecte conformando et submittendo. Sic enim poterit, tuta conscientia, ex infinito thesauro meritorum et satisfactionum Christi, cujus dispensator est constitutus, partem aliquam in plures derivare, quæ ex summa et ineffabili Dei misericordia nonnisi uberrima sperari potest. Bona, ibid.

Caveat tamen sedulo ne ipse omni intentione evacuetur, ut rem totam penes Dei voluntatem remittat; nam est quæstio valde controversa inter theologos utrum applicatio Sacrificii poni possit in Dei voluntate, qui ejus fructum applicet ut sibi libuerit. Vide Benedict. XIV, lib. III *De sacrif. Missæ*, cap. 16, n. 8, ubi præclarissimus Pontifex movet hanc quæstionem quin eam dirimat.

1283. II[a] REGULA. Quando fructus Missæ applicatur incapaci, v. g., si celebretur Missa pro aliquo defuncto qui damnatus sit; tunc necessaria est applicatio conditionata, alioquin fructus remanet in thesauro Ecclesiæ. « In praxi autem quando dubitatur an is pro quo offerimus, sit, vel non sit capax fructus, consultum est, in missis gratuitis, illas applicare vel nobis ipsis, vel alteri sub conditione, si persona cui applicantur non sit capax; in missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione, ut præjudicium non fiat cui obligatio adsit applicandi. » S. Alphonsus, lib. VI, n. 336. Vide etiam Suarezium, in 3, disp. 79, sect. 10, n. 15.

II. — Excutiuntur duo dubia.

Quæritur 1° an licita ac valida sit applicatio Missæ ei qui primus oblaturus est eleemosynam?

1284. Imprimis certum est, esse graviter culpabilem istam agendi rationem; nam quum hæc consuetudo jam incepisset in Hispania grassari, atque ipsi suffragarentur aliqui theologi quæ-

stio delata fuit Clementi VIII, qui eam submisit S. Concilii Congregationi. Sacra autem Congregatio, post accuratam disquisitionem, respondit : « Quam rem Sanctitas Sua ad sacram Congregationem Cardinalium concilii Tridentini interpretum, pro materiæ gravitate examinandam rejecisset, in sacra Congregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, quæ ex ejusdem Congregationis sententia, hujusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem, explosit ac improbavit. » Paulus V, peracto diligenti examine, sacræ Congregationis sententiam sua auctoritate communivit eamque datis ad universos episcopos litteris promulgavit, die 15 novembris 1605.

1285. Propter hoc decretum, quidam cum De Lugo (*De Pœnitent.*, disp. 13, n° 137) existimant, hanc agendi rationem esse graviter illicitam, sed nihilominus validam esse applicationem ; et verba Congregationis non videntur implicare invalidam applicationem. Attamen rectius tenetur, esse invalidam, quotiescumque ratio propter quam Missa postea petitur, nondum existit quando celebratur ; effectus enim Missæ non potest manere suspensus, et propter hoc applicatio, ut sit certo valida, debet fieri ante Consecrationem. Unde merito S. Congregatio uti multis nominibus periculosam damnavit praxim prædictam. Ita La Croix, n. 222, et S. Alphonsus, lib. VI, n. 337, ubi subdit : « Bene tamen advertit Tournely, p. 791, cum Vasquez, Aversa et Quarti, quod si sacerdos prævideat, quod postulabuntur missæ pro aliquo defuncto, bene potest eas nunc offerre, et deinde stipendium percipere, quia hoc casu jam offerrentur pro persona determinata. » Quod tamen vix suaderem, utpote aliquantisper avaritiam olens. Deinde fieri potest ut qui Missam est petiturus velit ipse cum amicis et conjunctis interesse illi, et non sit eleemosynam erogaturus, nisi sub hac conditione, et sic læderetur justitia consurgerentque incommoda, quæ facile fingi possunt. Unde existimo, nonnisi raro et in quibusdam tantum adjunctis, hoc fieri posse absque ullo incommodo.

Quæritur 2° an sacerdos debeat satisfactionem quæ provenit immediate ex opere operato, offerre pro omnibus Ecclesiæ membris?

1286. Negant communiter theologi cum Suarez contra Vasquez. Etenim « neque jure divino ad hoc tenentur (sacerdotes), neque ex præcepto Ecclesiæ, quia neutrum horum scriptum est, aut traditione habetur ; neque etiam ex ritu Missæ, vel omnibus verbis quæ in Canone vel oblationibus ejus dicuntur, colligi potest ; nam, ut fiat universalis oblatio, satis est quod deprecatio sit universalis, et quod ad efficaciam impetrationis Sacrificium offeratur ; nam alias, cum fructus satisfactionis definitus sit, vix aliquid superesset, quod pro aliquo in speciali applicari posset. » Suarez, in 3, disp. 78, sect. 2, n. 3. Hasce rationes fusius tradit, disp. 79, sect. 9, n. 4 et 5, et subdit : « Denique, ut Ecclesia posset hoc præcipere, deberet designare quanta vel quota pars effectus esset sic applicanda pro universa Ecclesia : hoc autem neque fecit, neque facile fingi potest. Nulla ergo est talis obligatio in sacerdotibus, sed in eorum voluntate positum est, ut totum hunc fructum applicent, vel per specialem, vel per generalem intentionem, prout eis libuerit, vel licuerit. Non est enim in hoc aliquod universale præceptum positum, sed unusquisque operari debet juxta suam propriam et peculiarem obligationem ; vel si nullum habuerint, juxta prudens et honestum arbitrium. » Easdem rationes affert De Lugo, disp. 19, sect. 10, n. 221 et 222.

PARAGRAPHUS V

DE OBLIGATIONE APPLICANDI MISSAM RATIONE OFFICII

I. — Existentia obligationis.

1287. « S. Tridentina Synodus, sess. 23, cap. 1, loquens de iis qui curam habent animarum : *Cum præcepto*, inquit, *divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre.* Qui de morali scribunt theologia quæstionem illam excitarunt, an verbis illis, *pro his Sacrificium offerre*, teneantur qui curam habent animarum Missam tantummodo celebrare, an etiam onus habeant applicandi Sacrificium populo sibi commisso ; in qua quæstione

S. Congregationis semper ea fuit sententia, cum qui curam animarum habet, teneri Missam applicare pro populo omnibus diebus Dominicis et festis diebus ex præcepto, sive parochus sæcularis, sive amovibilis, sive non (nam et qui amovibilis est, animarum curam habet), sive congruam habeat, sive non habeat ; illudque duntaxat S. Congregatio concedit parocho, si pauper sit, ut etiam die festo applicare possit Missam ei qui sibi eleemosynam dederit, dummodo celebret in parochia, ne populus Missa careat, et alio die per hebdomadam celebret, et populo applicet loco ejus quam applicare debuerat festo illo die cum eleemosynam accepit, ut docuimus, *Edict.* 10, tom. 1, ubi vetera et recentia S. Congregationis decreta a Summis Pontificibus confirmata congessimus. » Benedict. XIV, lib. III, *De Missæ sacrif.*, cap. 8, n. 2. Idem latius tradidit ac decrevit in encyclica *Cum semper*, 19 aug. 1744, § 2, 3, 4 et 5.

II. — Natura hujus obligationis.

1288. Obligatio applicandi sacrificium Missæ diebus ab Ecclesia præfixis est simul *divina*, *personalis* et *realis*.

Primo quidem est *divina*, nam id aperte docet conc. Tridentinum, sess. 23, cap. 1 *De Reformatione :* « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre. » Et expresse declarat Benedictus XIV, encyclica *Cum semper*, § 2, ubi ita habet : « Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a S. Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint ; quum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, cumque prædicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative præposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse ; quodque magis interest, quum hæc intelligentia a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata ; nihil jam amplius ulli Vestrum desiderantibus superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in Vestris respective diœcesibus omni studio procurare debeatis. » Ut optime no-

tat præclarus Craisson (1484), etsi ad Ordinarios per Italiam constitutos tantum fuerit directa illa encyclica, obligat tamen in tota Ecclesia, quia declarat jus commune. Aliunde hujus encyclicæ statuta confirmavit pro orbe universo Pius Papa IX per encyclicam *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858. Illud autem divinum præceptum invenitur in istis Domini verbis, *Joan.* 21 : *Pasce agnos meos.... pasce oves meas*, quibus alludit concil. Tridentinum, in citato loco.

1289. *Secundo*, est *personalis*, id est, qui curam animarum habent, tenentur ipsi Missam celebrare et applicare, nec id possunt præstare ministerio alterius sacerdotis, nisi in casu necessitatis, vel occurrente causa canonica ; ita pluries decisum est a S. Congregatione Concilii (scilicet 26 jan. 1771, 18, jul. 1789, 13 mart. 1843, 25 sept. 1847. Vide Bouix, *De Parocho*, part. V, cap. 6, prop. 5). Nec ulla valet consuetudo contra hujusmodi personalem obligationem, sicut declaravit S. Concilii Congregatio, 25 sept. 1847. Ideo parochi non possunt suis vicariis vel alienis sacerdotibus committere curam celebrandi pro parochia, etiamsi stipendium persolvant ; et consequenter nec Canonici titulares possunt hoc onus imponere canonicis honorariis ; hi enim nec pertinent ad Capitulum, neque, ut tales, habent curam animarum [1]. Causæ autem quæ eximunt ab hac personali obligatione

[1] Quum tamen ante prædicta Congregationis decreta, jam invaluisset mos, ut interdum missa Conventualis, quæ dicitur pro benefactoribus, celebraretur ab his qui non erant de Capitulo, ideo non applicabant Missam pro benefactoribus. Obligatio celebrandi pro benefactoribus non est communiter *personalis*, sed tantum *realis* : unde ille mos retineri potest, dummodo tamen Missa applicetur pro benefactoribus, et sumatur ex massa distributionum, ut stipendium detur ei qui non tenetur ex officio celebrare Missam. Ita decrevit Benedictus XIV, in encyclica *Cum semper*, § 18.

Hic obiter quæritur 1° an canonici honorarii teneantur aliquando missam Conventualem Capituli cantare, v. g. diebus dominicis, eamque applicare pro Capituli benefactoribus, quin ullum jus habeant ad eleemosynam?

Resp. 1° Si eam celebrent, certum est, eos teneri ad eam applicandam benefactoribus ; id enim pluries decisum a S. Cong. Concilii confirmatum est a Benedicto XIV, constit. *Cum semper*, 19 aug. 1744, in paragrapho 17.— 2° Non minus certum est, canonicos honorarios et alios quosvis sacerdotes qui non sunt de Capitulo, non teneri ad dicendam missam Conventualem, atque, si eam celebrent, habere jus ad eleemosynam. Ratio est, quia obligatio applicandi missam Conventualem benefactoribus Capituli oritur *ex beneficio*, non autem *ex titulo*, sicut sæpe declaravit S. Congregatio Concilii, signanter in

plures recensentur, quarum tres præcipuæ sunt infirmitas, absentia legitima et obligatio celebrandi missam Conventualem, v. g. quando parochus est simul canonicus titularis. Nec existimatur ratio sufficiens missa celebranda, etiam præsente cadavere, si suppetat vicarius vel alius sacerdos qui possit et consentiat ad cantandam missam pro defuncto ; tunc parochus tenetur illo die missam diei celebrare et applicare parochianis. Vide Craisson, *Manuale Juris can.*, n. 1493.

1290. *Nota.* Parochus huic obligationi satisfacere potest per missam privatam, nec tenetur, saltem ex jure communi, celebrare missam solemnem, quæ dicitur parochialis. Id expresse declaravit S. Rituum Congregatio ; et aliunde, cum hæc lex sit onerosa, stricte sumenda est : porro nec Tridentini, nec SS. Pontificum, neque SS. Congregationum decreta, quæ hujus obligationis meminerint, faciunt mentionem alicujus missæ solemnis vel parochialis; ergo. Dixi *saltem ex jure communi,* quia Episcopus posset hoc onus imponere parocho.

Attamen omnino requiritur ut missa pro populo applicanda

Evensi, die 4 maii 1646. Unde illa obligatione obstringuntur ii soli qui participant de beneficio. Ita canonistæ omnes ; juvat tamen aliqua proferre testimonia :

Ferraris, voce *Canonicus*, art. 5, prop. 76 : « Canonici pro missa Conventuali, quam quotidie celebrare, et Sacrificium pro benefactoribus et fundatoribus applicare tenentur, nullatenus possunt *aliam* eleemosynam recipere, non obstante consuetudine, nec tenuitate reddituum. » Prop. 77 : « Pro hujusmodi missa Conventuali debetur canonicis distributio ex massa communi. »

Pignatelli, *Consult.* 321, tom. 1 : « Fundatores non ita præcise intendunt cultum ecclesiæ, quin etiam exprimant aliquo modo intendere etiam fructum divinorum officiorum pro se et suis ; et quia Capitulum regulariter habet aliquas obligationes, ideo missa Conventualis solet regulariter applicari juxta Capituli applicationem, et proinde non remanet libera applicatio. Præterea, quia canonici et beneficiati percipiunt fructus canonicatuum et beneficiorum sub onere inserviendi ecclesiæ in celebratione divinorum officiorum. Hoc enim onus est annexum beneficio ; et ideo illud suscipiunt eo ipso quod acceptant beneficium ; quia cum beneficium detur propter officium, trahit secum hanc obligationem. Celebratio autem divinorum officiorum, debita ecclesiæ ratione beneficii, non importat solas horas canonicas, sed etiam missam Conventualem tanquam partem præcipuam. »

Nec obest quod « iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. » Benedict. XIV, const. *Cum semper*, § 14.

celebretur in ecclesia parochiali, sicut declaravit S. Concilii Congregatio, 17 novemb. 1629, et communiter tenent canonistæ. Unde parochus absens, etiam ex legitima causa, non potest satisfacere oneri Missam celebrandi pro populo, si celebret extra ecclesiam parochialem; sed tenetur alteri hoc onus committere. Vide Bouix, *De Parocho*, part. V, cap. 6, prop. 7.

1291. *Tertio*, est *realis*, id est, si ille qui curam animarum habet, impediatur a celebrando, tenetur Missæ celebrationem pro suis subditis procurare per alienum sacerdotem, ex suis expensis. Juxta enim Tridentini decretum (sess. 23, cap. 1) qui curam animarum habent, eodem præcepto divino tenentur Missam applicare pro suis ovibus, et eis verbum Dei ac Sacramenta dispensare. Porro pastor qui non potest per seipsum Sacramenta ac verbum Dei dispensare, tenetur id præstare per alium idoneum sacerdotem. Ergo. (Vide S. Alphons. lib. VI, n. 326.) Ideo parochus qui morbo vel alio impedimento prohibitus nequit celebrare diebus a lege ecclesiastica præfixis, tenetur ad procurandam Missæ celebrationem pro populo, aut per vicarium, aut per alium

Neque obstat, si non fiant quotidianæ distributiones; « Valet enim etiam tunc ratio supra allata a Pignatello; nempe beneficiato, hoc ipso quod acceptarit beneficium, incumbere onus divinorum officiorum; porro missa Conventualis quotidiana cum cantu est pars et quidem præcipua hujus oneris. Præterea distributiones, si de facto non fiant, fieri tamen de jure debent; et ubi desunt redditus speciales, tertia pars fructuum præbendæ in distributiones convertenda est; ergo beneficiatus recipiens illam tertiam partem dici potest distributionem percipere, etiamsi de facto illam non recipiat per modum distributionis quotidianæ. Unde concludendum, etiam hodie in Gallia, ubi non fiunt distributiones, non posse canonicos, dum sua quisque vice missam Conventualem cantant, pro illa eleemosynam accipere. » Bouix, *De Capitulis*, 3 part. cap. 3, n. 4.

Corollarium. Quocirca canonici honorarii, dum diebus dominicis missam Conventualem applicant benefactoribus Capituli, jus habent ad eleemosynam percipiendam ex massa distributionum. Quod aliunde declaravit S. Congregatio Concilii, et confirmavit Benedictus XIV, constit. *Cum semper*, § 18 et 19, occludens duo quorumdam capitulorum effugia: « Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa Conventualis non semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis aut Mansionariis; quos minus æquum videtur pro Missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum. »

« Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa Conventuali, ad nihilum

sacerdotem, cui stipendium erogare debet. Si habeat duas parœcias et gaudeat facultate Missam bis celebrandi eadem die, tenetur utrumque applicare pro singulis parœciis ; ita pluries declaravit S. Concilii Congregatio, et nuper, 8 junii 1843. Si autem parochus, ob rationabilem causam non potuit die Dominica vel festo secundam missam celebrare, tenetur missam pro populo suæ secundæ parochiæ applicare infra hebdomadam ; et hæc obligatio urget etiam pro festis suppressis, uti expresse declaravit S. Congregatio Concilii episcopo Cabilonensi, qui geminum illud dubium ipsi proposuerat, 18 junii 1873.

Attamen qui annexas habent parœcias, non tenentur offerre pro illi specialem missam, quia, ex jure ecclesiastico, annexæ parochiæ censentur una parochia cum illa in qua dispensantur Sacramenta.

Hinc qui non celebrasset, neque fecisset celebrare, statutis diebus, teneretur ex justitia supplere aliis diebus, etiamsi omisisset bona fide; etenim ab hac obligatione Pius VII declaravit, an. 1802, non fuisse exemptos parochos Galliarum, qui sæviente

fere redactæ, vix foret ut aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem synodus, sess. 24, cap. 15, opportunas rationes ostendit quibus canonicalium præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere. »

Quæritur 2° *an Episcopus possit canonicis honorariis imponere onus applicandi benefactoribus Capituli missam Conventualem, quin ullum jus habeant ad eleemosynam ?*

Resp. negative. Alioquin defraudaretur intentio benefactorum, qui, saltem Ecclesia ita disponente (constit. *Cum semper*, § 14), beneficia Capitulo erogarunt, ea conditione, quod missam Conventualem celebrantes aliquam ex prædictis beneficiis eleemosynam reportent. Ideo Episcopus ad canonicos honorarios tali eleemosyna privandos impar est, quemadmodum impar est ad parocho adscribendam eleemosynam missæ a vicario aut alio sacerdote celebratæ. Unde S. Congregatio Concilii, potiusquam celebrans missam Conventualem careat eleemosyna, reduxit numerum missarum, adeo ut missa Conventualis, in quibusdam capitulis, tantummodo diebus festivis applicetur benefactoribus. Congregationis resolutiones confirmavit Benedictus XIV, constit. *Cum semper*, § 19.

Dices : Potest saltem Episcopus, dum aliquem sacerdotem instituit canonicum honorarium, ipsi imponere, uti conditionem *sine qua non*, onus applicandi missam Conventualem absque ulla eleemosyna ; nec ei facit injuriam, quum haudquaquam teneatur illum ad talem dignitatem promovere.

acerbissima persecutione, in Hispanias migraverant ; attamen condonavit præteritas omissiones. Idem declaravit Pius IX, 3 jun. 1858, in encyclica *Amantissimi Redemptoris.*

III. — Subjectum hujus obligationis.

1292. Ex concilio Tridentino, encyclica *Cum semper*, 19 aug. 1744., et encyclica *Amantissimi Redemptoris*, obligatione applicandi Missam ratione muneris et officii astringuntur omnes qui vere ac proprie curam animarum habent. Ideo Papa pro tota Ecclesia, Episcopus pro sua diœcesi, Prælatus pro sui ordinis subditis, Superior monasterii pro hujus monasterii membris, et Parochus pro sua parochia, sive inamovibilis, sive amovibilis sit, sive ditescat, sive aporietur, sive congrui suppetant parochiæ redditus, sive non : « Tenore præsentium decernimus et declaramus, quod licet parochi seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diœcesibus seu parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo applicaretur, eadem

Resp. Nego. Episcopus enim non potest apponere conditionem illicitam. Porro præfata conditio est illicita, utpote adversa praxi Ecclesiæ Romanæ, et intentioni fundatorum, qui, ut modo dixi, beneficia impertiverunt, ea conditione, ut celebrans missam Conventualem habeat jus ad eleemosynam. Deinde etiamsi non obstaret Ecclesiæ mens et praxis, neque benefactorum intentio, Episcopus tale onus non posset convenienter imponere, nisi quando membra Capituli valde aporiarentur, et canonicus honorarius aliunde locuples omnino ultroneus consentiret. Si autem membra Capituli, aut ratione beneficii, aut ratione patrimonii luxurientur redditibus, est certe contra Ecclesiæ mentem, immo et contra legem naturalem, privare canonicum honorarium stipendio Missæ, ut membra Capituli pinguiores distributiones lucrentur. Dico *omnino ultroneus consentiret*, quia si nefas sit retinere partem stipendii, atque id sapiat simoniacam labem (Benedict. XIV, constit. *Quanta cura*); a fortiori retinere integrum stipendium ; et si nefas sit detrahere aliquid ex stipendio pro expensis Missæ, quando ecclesia potest ipsis aliunde providere, sicut sæpe declaravit S. Congregatio Concilii ; a fortiori nefas erit totum canonici honorarii stipendium retinere, et quidem in gratiam canonicorum, qui præter præbendam, stipendium metunt quotiescumque Conventualem celebrant missam. Operæ etiam pretium est adducere decisionem nuperam S. Cong. Concilii. Ipsi propositum fuit hoc dubium. « An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando præsertim ex propriis reditibus careant ? » Respondit, 9 sept. 1874 : « Negative, nisi de consensu oblatorum. »

nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari. » Encyclica *Cum semper*, § 5.

1293. Attamen, in paragrapho 8 ejusdem encyclicæ, Benedictus XIV concessit episcopis facultatem indulgendi parochis qui nimium exiguis fruuntur redditibus, et vix habent necessaria ad victitandum, applicare Missam diebus festis pro his qui eleemosynam largiuntur, ea tamen lege : « Dummodo ad necessariam populi commoditatem, in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent ; ea tamen adjecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint. » Conceditur hæc facultas pro diebus festis, quibus, inquit Pontifex, potissimum hujusmodi occasio se offert ; sed non conceditur pro diebus Dominicis.

1294. Ex hoc onere non eximuntur vicarii qui ab episcopis deputantur, juxta Tridentini statuta, ad implenda pastoris et parochi officia in aliquibus ecclesiis parochialibus vacantibus, usque ad novi rectoris electionem : « Mens Nostra et sententia est.... quod omnes et singuli qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii sæculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes et singuli de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, æque teneantur missam parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso. » *Cum semper*, § 4. Attamen illa obligatione adstricti non videntur œconomi, scilicet parochi, qui, parochia vicina vacante, ex speciali Episcopi commissione, invigilant illi parochiæ et magis necessaria obeunt in ipsa munia ecclesiastica, nempe ministrationem Sacramentorum, celebrationem Missæ diebus quibus populus tenetur interesse, et mortuorum sepulturam, etc.

Bene autem eximuntur sacerdotes qui sunt superiores seminariorum, universitatum, collegiorum, etc., eleemosynarii monialium, hospitalium, etiamsi gaudeant quibusdam juribus parochialibus, uti ministrandi Extremam Unctionem et sepeliendi defunctos hospitalis, etc. Hi enim omnes stricte ac proprie non habent simpliciter curam animarum [1], et ideo non sunt com-

[1] « Quamvis hospitale sapere videatur quamdam speciem parochiæ quoad infirmos ibi viventes et morientes, quorum parochus dicitur ille sacerdos et capellanus qui pro ejusdem hospitalis servitio est deputatus, attamen dicitur

prehendendi in lege, juxta axioma : *Odia sunt restringenda.* Aliunde constitutiones Pontificum ne ipsis quidem alludunt. Unde S. Cong. Rituum expresse declaravit, 7 decemb. 1844, hujusmodi capellanos seu eleemosynarios non obligari ad Missam applicandam pro populo sibi aliquatenus commisso.

IV. — Tempus hujus obligationis.

1295. I. Regula a Benedicto XIV eadem pro omnibus statuta. Ante encyclicam *Cum semper,* multæ et intricatæ difficultates exortæ erant quoad tempus quo curam animarum habentes teneantur Missam applicare pro populo ; nam S. Concilii Congregatio responderat, parochum pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere ; eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri. Porro in praxi valde arduum est definire quando affluant pingues redditus ; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sunt onera annexa. Unde illud Congregationis decretum Benedictus XIV, quod dicit esse plus æquo rigidum, abrogat in encyclica *Cum semper*, § 6, et ita decernit : « Idcirco opportunum censemus fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii qui animarum curam exercent, sacrificium Missæ pro populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto ; quum prædicti Dominici aliique festi dies ii sint, in quibus, juxta præceptum concilii Tridentini, sess. 5, cap. 2, et sess. 24, cap. 4, quilibet animarum curæ præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. »

1296. II. Recensentur dies festi. Illi dies festi determinantur in catalogo festorum jussu Urbani VIII texo, addito festo de immaculata conceptione B. Mariæ Virginis, quod fuit postea præscriptum a Clemente XI ; sic iterum numerantur in encyclica *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858 :

quoddam jus parochiale improprium, et cum quadam jurisdictione in personas absque territorio ; seu verius juxta illam impropriam territorii separationem, quæ ad hunc effectum consideratur in monasteriis et conventibus Regularium. » Cardinalis De Luca, *De Parochis*, discursu 23, n. 15.

« Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis cum duabus diebus subsequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duabus diebus subsequentibus, Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis Sanctæ Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis B. Mariæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, S. Mathiæ, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii, S. Sylvestri, S. Josephi, S. Annæ, Omnium SS., festum unius e præcipuis patronis cujusque civitatis aut loci. »

1297. *Nota.* Sub nomine patroni civitatis et loci comprehenduntur patroni totius parœciæ vel diœcesis vel etiam ditionis, non autem titulares ecclesiæ, nisi tamen festum titularis fuerit de præcepto ante annum 1802. Ut vero obligatio imponatur pro festis patronorum, requiritur ut fuerint legitime assumpti, scilicet ut electio patroni facta sit a populo cum assensu Sedis Apostolicæ. Porro si festum patroni jam ab immemorabili celebratur tanquam de præcepto ante an. 1802, præsumitur legitime assumptum. Vide Bouix, *De Parocho*, part. V, cap. 6, prop. 4.

1298. III. Non excipiuntur festa suppressa. In multis regionibus, potissimum in Galliis non pauca ex recensitis festis fuerunt suppressa ab auctoritate Apostolica, unde moveri potuerat dubium, an obligatio applicandi Missam pro populo urgeat nihilominus illis diebus ? S. Concilii Congregatio pluries interrogata semper affirmativum dedit responsum, atque declaravit, parochum nunquam excusari ab illa obligatione per quamlibet consuetudinem contrariam. Quod confirmavit Pius IX, 3 maii 1858, in encyclica *Amantissimi Redemptoris :* « Hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere, tum omnibus Dominicis aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia, ex dierum de præcepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant dum memorata Urbani VIII constitutio in pleno suo vigore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur et transferrentur..... Id unum excipimus, ut

scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda. » Deinde Pontifex condonat omissiones usque tunc habitas, confirmat indulta concessa, pro futuris concessionibus remittit totam rem S. Concilii Congregationi, quam omnes, exceptis missionariis et aliis qui pendent a Congregatione fidei propagandæ, debebunt adire.

1299. IV. Quid de die natali Domini. Die natali Domini tres missæ in Ecclesia Latina [1] ab unoquoque sacerdote celebrantur propter triplicem Christi nativitatem ; sicut optime exponit D. Thomas, 3 p. q. 83, a 2, ad 2 [2]. Qui curam habet animarum strictius tenetur tres missas illa die celebrare ob populi utilitatem ac commodum. « Quæstionem apud auctores pertractatam deprehendimus, an parochus in Nativitate Domini teneatur tres missas celebrare ; ac firmior nobis visa est eorum sententia qui statuunt, teneri illum ad populi utilitatem et devotionem tres missas celebrare. .... Eam vero quæstionem nunquam a S. Congregatione nec examinatam reperimus, neque decisam, utrum parochus, qui diebus festis ex præcepto tenetur pro populo Missam applicare, teneatur etiam tres missas applicare

[1] « Pervetustus est atque universim in Latinam Ecclesiam receptus ritus trini sacrificii per unumquemque sacerdotem natalitio Christi die offerendi ; verum apud Orientalem Ecclesiam nullum exstat præfati ritus vestigium ; ne verbum quippe de eo in liturgiis græco-arabis Melchitarum, nec in syriacis chaldæisque, neque etiam in reliquis Cophtorum, Armenorum, Græcorum, atque Rhuthenorum, qui græcos sibi ritus adscivere. » Benedictus XIV, constit. *In Superiori*, § 2. Die 29 decembris 1755.

[2] « In die autem Nativitatis plures missæ celebrantur propter triplicem Christi nativitatem. Quarum una est æterna, quæ quantum ad nos est occulta; et ideo una missa cantatur in nocte ; in cujus introitu dicitur : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu ; ego hodie genui te.* Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur *tanquam lucifer in cordibus nostris*, ut dicitur, II *Petri* 1, et propter hoc cantatur missa in aurora ; in cujus introitu dicitur : *Lux fulgebit hodie super nos.* Tertia est Christi nativitas temporalis et corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali, carne indutus : et ob hoc cantatur tertia missa in clara luce ; in cujus introitu dicitur : *Puer natus est nobis.* Licet econverso possit dici quod nativitas æterna secundum se est in plena luce, et ob hoc in evangelio tertiæ missæ fit mentio de nativitate æterna. Secundum autem nativitatem corporalem, ad litteram, natus est de nocte, in signum quod veniebat ad tenebras infirmitatis nostræ ; unde et in missa nocturna dicitur evangelium de corporali Christi nativitate. »

eidem populo in Nativitate Domini, an vero si unam tantum applicet, suo muneri satisfaciat? » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.* cap. 9, n. 9. Ideo, ut videre est, præclarissimus Pontifex non solvit quæstionem, an parochus teneatur tres applicare missas pro populo in Natali Domini, an vero satisfaciat suo muneri applicando unam?

Mihi videtur magis cum mente legis quadrare sententia quæ affirmat, omnem curam animarum habentem teneri, illo die, tres missas applicare populo sibi commisso. Nam lex ecclesiastica dicit simpliciter, curam animarum habentes teneri applicare Missam die natali Domini; concil. Trident., sess. 23, cap. 14, præcipit episcopis curare ut qui curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent; cap. autem I decreverat, esse præceptum divinum applicandi Missam pro suis ovibus; S. Concilii Congregatio pluries, et Benedictus XIV, in encyclica *Cum semper*, docet, hujusmodi obligationem urgere quando sacerdos debet suo muneri satisfacere (Vide § 6); in lib. autem III *De Missæ sacrificio*, cap. 9, n. 9, Pontifex docet, sacerdotem, ut satisfaciat suo muneri, teneri ad tres missas celebrandas die natali Domini; ergo et illo die tenetur applicare tres missas. Non pauci tamen aliter sentiunt, teste theologo Cenomanensi, qui ita habet: « Plures docent, unam tantum applicandam esse missam die Nativitatis, sicut unam ex præcepto esse audiendam, et talis est, ut nobis videtur, generalis persuasio. » *De Euchar.*, 3 p. cap. 5, a. 3. Quæ ratio mihi videretur firma, si vetus lex ecclesiastica ferret : *In missis de præcepto*, sed lex fert ita : « Qui animarum curam exercent, sacrificium Missæ pro populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto. » *Cum semper*, § 6. Unde, suppressa obligatione audiendi Missam quibusdam festis, nihilominus permanet pro parocho et aliis obligatio applicandi Missam omnibus sibi commissis.

Bene tamen docet ibidem Benedictus XIV, eum qui onus habet missam quotidianam applicandi proveniens ex fundatione, non teneri applicare nisi unam die natali Domini, nisi forte institutor diserte jusserit tres missas sibi eo die applicari.

1300. V. Applicatio missæ conventualis. In encyclica *Cum semper*, Benedictus XIV latissime statuit ac tradit quæ respiciunt applicationem missæ Conventualis, quæ nonnisi compendiose

reddimus[1]. § 11, decernit, ut missa Conventualis singulis diebus applicetur pro benefactoribus in genere, eodem prorsus modo quo Missam applicare debent, diebus festis de præcepto, pro populo sibi commisso, ii qui curam animarum gerunt. § 12 et 13, eliminat falsas rationes quibus innixi non applicant pro benefactoribus in genere, sed pro aliquo tantum, æstimantes, se obligationi impositæ satisfacere, dum peculiares fundunt orationes pro illis benefactoribus. § 16, declarat, consuetudinem contrariam etiam immemorabilem esse abusum et corruptelam. § 17, declarat, eum qui ratione duplicis tituli, debet et missam Conventualem applicare pro benefactoribus, et Missam applicare pro ovibus sibi commissis, v. g. si esset simul canonicus et parochus, teneri applicare missam Conventualem, quam canit, pro ecclesiæ benefactoribus in genere, pro aliis vero pro quibus ipse peculiariter Missam applicare tenetur, alterum substituit, qui ipsius loco Missam hujusmodi celebret applicetque.

1301. Quibusdam diebus binæ, vel etiam aliquando tres missæ conventuales, ex Rubricis, celebrari debent; unde novæ difficultates consurrexerant: siquidem alii, ex quibusdam Congregationis responsis, sentiebant, illis diebus duas vel tres missas esse applicandas in pinguibus ecclesiis, secus vero in ecclesiis pauperibus. Quas ut eliminaret difficultates, Pontifex, in § 22, istam imposuit regulam: « Nos ita judicamus, idque vobis tenendum

[1] In § 14 exponit originem obligationis applicandi missam Conventualem: « Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra ætate remotis,... servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum quorum liberalitate unaquæque (scilicet ecclesia) aucta fuerat, eorumque nomina sacris Diptychis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut eorum recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missæ sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi missam Conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit. »

indicimus : laudandos nempe et confirmandos esse, quoquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant ; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum ut in ea consuetudine perseverent ; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ tertiæque missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscantur. »

Quæritur an liceat Missam pro populo transferre infra hebdomadam quando nullus est alius sacerdos ad Missam cantandam, præsente cadavere ?

1302. Semper valde sollicita fuit Ecclesia ut Missa celebraretur pro defunctis [1], et ob hanc causam, inquit Benedictus XIV (*Quod expensis*, 26 aug. 1748), permisit iterationem Sacrificii eodem die. Deinde præclarissimus Pontifex advertit, etiam post latam legem ab Innocentio III et Honorio III de unica tantum missa, præter quam in die natali Domini, ab unoquoque sacerdote celebranda, nisi causa necessitatis suadeat, advertit, inquam, uti causam necessitatis merito fuisse habitam rationem celebrandi, die Dominica vel festis de præcepto, Missam, præsente cadavere, et citat multa concilia. Postea subjungit :

[1] Benedictus XIII, dum esset episcopus, in sermone 6 *De purgatorio*, ita habet : « Canone ductus Innocentii III et illis præsertim verbis, *nisi causa necessitatis suadeat*, audacter sentio, duo sacrificia per sacerdotem celebranda, unum nempe de festo ejusdem diei, alterum vero pro defunctis pro expiatione præsentis defuncti, cum præsertim in mea diœcesi in usum converterim ritum vetustissimum, ne cadaver ullum sine Missæ sacrificio tumulo mandetur. » Benedictus XIV, dum esset archiepiscopus Bononiæ, quin præceperit, tamen vehementer monuit sacerdotes, ut nullus fidelis sepeliretur sine sacrificio Missæ. Ut res divina semel pro egenis, dum gratuito sepeliuntur, saltem conficeretur varias rationes parochis subjecit, quibus uti deberent ut rem consequerentur. Atque permisit extrahere ex capsulis in templis ad excipiendas eleemosynas pro defunctis collocatis stipendium quo Sacrum pro quolibet egeno gratis in parochia sepeliendo indiceretur. Quum non pauci in nosocomiis decedant penitus egeni, hortatus est magnopere præfectos, ut ex pecunia quæ pro sublevandis defunctis congeritur, stipendium deducerent quo pro iisdem egenis Missæ sacrificium statueretur. Quam optabile est, ut cæteri episcopi, quantum fas est, adeo eximiam æmularentur agendi rationem, quæ prorsus est secundum spiritum Dei qui Ecclesiam vivificat !

« Qua de re Nos ipsi olim egimus in nostra institutione ecclesiastica XXXVI, pag. 186. Neque vero hæc in præsenti a Nobis commemorantur, quasi nunc etiam, præsente cadavere, duæ missæ ab eodem sacerdote celebrari possunt ; quum, *juxta hodiernam disciplinam, liceat presbytero, relicta missa de die, missam pro defuncto, si præsens sit corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solemnitas, quæ missam pro defunctis omnimodo excludat.* »

Illam disciplinam confirmare videtur Rituale Romanum, quod, in rubrica *De exequiis*, ita fert : « Quod antiquissimi est instituti illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missæ, præsente corpore defuncti, pro eo celebrentur antequam sepulturæ tradatur. Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis, præsente corpore, celebrari poterit ; dum tamen Conventualis missa et officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet. » Sicut videre est, Rituale exceptionem facit pro missa Conventuali, non autem pro missa simpliciter parochiali.

1303. Attamen obstare videtur responsum S. Concilii Congregationis, datum 26 jan. 1771, et citatum a Bouix, *De Parocho*, 3 p. cap. 6, prop. 5 ; nam quæsitum erat : 1° « An parochi in Dominicis aliisque festis diebus, præsente cadavere, possint celebrare missam pro defuncto, et ad alium diem transferre missam pro populo applicandam ? Et quatenus negative. — 2° An saltem applicationi missæ pro populo supplere possint per alium sacerdotem ! » S. Congregatio respondit : Ad primum negative, ad secundum negative. » Sed illud responsum fortasse non opponitur nobis : nam quæsitum fuerat propositum verbis nimis generalibus, et intelligi poterat de omnibus parochis, etiam de iis qui habent vicarios, vel quibus suppetunt alii sacerdotes ad missam pro defuncto celebrandam. Quod aliunde confirmat secundum dubium propositum. Unde non fuit propositus Congregationi casus noster, scilicet an liceat, quando parochus est solus et nullus est sacerdos alius qui possit missam pro defuncto celebrare ? Si valeret interpretatio nobis opposita, inferendum esset, disciplinam Ecclesiæ fuisse penitus immutatam ab anno 1748 usque ad annum 1771 : quod vix admitti potest. Præterea P. Gury, qui in *Casibus conscientiæ*, casu IV *de applicatione Missæ*, refert prædictum Congregationis responsum, dicitque, non licere, nihilominus casu V, sub fine, ita

habet : « Accedente justa causa, licita est hujusmodi permutatio intentionis, v. g. si parochus pro aliquo defuncto Sacrum peragere deberet. Imo in tali casu parochus etiam Missam pro populo celebrandam ad aliam diem infra hebdomadam differre posset. Sic pariter ex S. Congr. » Craisson dicit, hoc licere, ex indulgentia S. Sedis, pro festis quibus fideles non tenentur interesse Sacro, ut videre est in declaratione *in Nancein.*, die 13 januar. 1858.

PARAGRAPHUS VI

DE APPLICATIONE MISSÆ RATIONE STIPENDII

I. — Origo stipendii.

1304. I. Oblatio panis et vini ad altare. Originem stipendii late et, suo more, eruditissime exponit Benedictus XIV in aureo suo opere *De Synodo*, lib. V, cap. 8, et III *De Missæ sacrif.* 21. Quædam præcipua ejus verba referam : Mos fuit in Ecclesia, plurium sæculorum intervallo sancte retentus, ut quotquot ad Missarum solemnia convenirent fideles, suam unusquisque Sacrificii partem, hoc est, panem et vinum consecrandum offerret. Tanta porro illius ritus fuit apud majores nostros religio, ut, cum patres Concilii Matisconensis II, an. 585, deprehendissent, eum pedetentim obsolescere, statim restitui curaverint. Neque vero quod a singulis fidelibus offerebatur, modicum quid erat panis et vini, quæ postea per sacerdotem consecrata atque in Christi corpus et sanguinem conversa, ipsimet offerentes perciperent ; sed quilibet, pro sua facultate, plures offerebat panes cum larga vini amphora, quorum exigua pars consecraretur, et reliqua massa sacerdotibus et clericis cederet.

1305. II. Oblatio aliarum rerum, sed non ad altare. Præter panem et vinum, quæ Sacrificii usui erant, aliud ad altare offerre prohibuit canon 3 Apostolorum ; et quamvis canon 4 ejusmodi prohibitionem temperans permittat offerri etiam oleum incensum, novas spicas et uvas; cæteros tamen fructus, non ad altare offerri, sed ad Episcopum mitti jubet presbyteris, diaconis et clericis distribuendos. Verum posteriori ætate usus obtinuit, ut nihil quidem, præter panem et vinum, juxta prisca Patrum decreta, Offertorii tempore exhiberetur, sed vel ante Missam, aut ante Evangelium, sive statim post Evangelium, li-

ceret fidelibus, quidquid vellent, in sacerdotum commodum, ad altare offerre.

1306. III. Gazophylacium. Sed num, inter cætera, etiam pecunia, sive ante Missam, sive ante Offertorium, prioribus sæculis, ad altare offerri soleret, ignoramus. Scimus enim vero, ab Ecclesiæ incunabulis, in singulis Christianorum ecclesiis expositam fuisse arcam, quam Baronius, ad an. 44, n. 67, Gazophylacium appellat, in quam pecuniæ a fidelibus inferebantur, quarum varios usus recitat S. Justinus, *Apolog.* I, n. 67 : « Quod colligitur, apud eum qui præest deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis, et iis qui vel ob morbum, vel aliam ob causam egent, tum etiam iis qui in vinculis sunt, et advenientibus peregre hospitibus ; uno verbo, omnium indigentium curam suscipit. » Ubi indigentium nomine, etiam Ecclesiæ ministros Justinum comprehendisse, minime dubitamus ; illi siquidem ex fidelium oblationibus alebantur, et incredibile videtur, quod ex solo pane et vino, ad altare oblatis, potuerint omnia sibi ad vitæ sustentationem necessaria comparare.

1307. IV. Mos erogandi pecuniam instar stipendii. Sed quandonam, non in Gazophylacium immitti, sed ad ipsum altare cœperit pecunia offerri, certo definiri non possumus. Indubitatum est quod asserit Thomassinus (*De vet. et nov. Eccles. discipl.*, p. 3, lib. 1, cap. 7, n. 8), juxta primigeniam nascentis et adolescentis Ecclesiæ disciplinam, sive panem, sive denarium oblatum fuisse ecclesiæ et clericis in commune, non vero datum cuipiam peculiari sacerdoti, ut Missam privatim faceret, quæ danti eleemosynam prodesset. Morem autem stipem elargiendi sacerdoti, ut exuberantem Sacrificii fructum stipis largitor in se, proximos aut amicos, sive vitæ compotes, sive defunctos, derivaret, non ante sæculum VIII inductum, neque passim ubique ante XII receptum, asserit Mabillonius, in *Præf.* ad part. I *sæculi* III *Benedictini*, n. 62 ; cui tamen contradicit P. Franciscus Berlendi, clericus regularis Theatinus, in dissert. historico-theologica *De oblationibus*, part. 2, § 1, illum morem esse longe antiquiorem affirmans. Enimvero quod in fine sæculi VIII jam invaluisset, fidem facit Chrodegangus, episcopus Metensis, in regula quam, eo sæculo, vel nono ineunte, suis canonicis præscripsit. Sæculo vero XI, eumdem morem adeo longe lateque propagatum scimus, ut etiam pueris notus esset. Etenim Joannes Monachus, in vita S. Petri

Damiani, cap. 2, de eo adhuc puerulo narrat : « Petrus quadam die nummum reperit ; et tanquam subito dives effectus, gratulabundus quid eo mercari aptius posset, diu mente revolvere cœpit ; divinitus tandem inspiratus ait : Melius est ut tradam presbytero qui Deo Sacrificium offerat pro patre meo defuncto. »

II. — Licitas stipendii.

1308. Errores. Specialem hanc Sacrificii applicationem illi qui eleemosynam largitus est, visus est improbare Walefridus Strabo, qui sæculo IX floruit, existimans, illud non plus prodesse uni pro quo speciatim offeratur, quam universo cœtui fidelium. Quod visus est improbare Walefridus, alio nomine sunt aperte insectati Wiclefistæ, hodieque insectantur Lutherani et Calvinistæ, dictitantes, pecuniam sacerdoti celebraturo in *Missæ pretium* dari, eamque propterea veluti aperte simoniacam damnantes ; quod horrendum est scelus, siquidem res sacratissima pretio appenditur. Contra quos :

PROPOSITIO

Licet accipere stipendium pro Missa celebranda.

1309. Prob. 1° *Scriptura. Lucæ* 10, 7 : *Dignus est operarius mercede sua.* Ibi Dominus loquitur de ministerio apostolico, verbi divini scilicet prædicatione, Sacramentorum dispensatione, et de his omnibus quæ Apostoli præstabant novis christianis. Porro Missæ sacrificium erat inter præcipua Apostolorum munera in gratiam populorum. Ergo. — I *Cor.* 9, 7 : *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit ? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Et versu 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ?* Et versu 13 : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt : et qui altari deserviunt, cum altari participant ?* Hæc ultima verba adeo perspicua sunt, ut non egeant expositione.

1310. 2° *Praxi Ecclesiæ.* Tempore quo Wiclefus impugnavit licitatem stipendii, usus illius tamen vigebat et tolerabatur, imo approbabatur in universali Ecclesia, sicut constat ex dictis supra (1307), et expresse docet Gersonius, in opusc. *De sollicitudine ecclesiasticorum*, part. 3, ubi jam contradicentes ita coar-

guit : « Sufficere imprimis debet ad consensum hujus veritatis usus totius communis Ecclesiæ, qui sic habet et recipit; cui si quis detrahit, imprudenter se decipit. » Porro impius et intolerabilis error est dicere, Ecclesiam tolerare et approbare labem simoniacam. Ergo.

1311. 3° *Concil. Trident.* Sess. 22, in decreto *De celebratione Missæ*, ubi arcet abusus qui exorti fuerant, signanter quoad stipendia Missarum, supponit ac docet, stipendia ipsa esse ex se licita.

1312. 4° *Ratione. Primo, directe.* « Unusquisque meretur ali ab eo cui deservit, vel in cujus ministerio et officio occupatur; ergo cum præcipuum munus et officium sacerdotis sit sacrificare, si in alicujus utilitatem illud exhibet et in hoc occupatur, naturalis ratio postulat ut ab ipso alatur. » Suarez, in 3, disp. 81, sect. 1, n. 4.

1313. *Secundo, indirecte.* Suppositum hæreticorum est quod Missa venditur pretio. Porro hoc suppositum est omnino ruinosum; nam « sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, hoc enim esset simoniacum; sed quasi stipendium suæ sustentationis. » 2-2, q. 100, a. 2, ad 2.

III. — Explicatur quomodo non sit simonia in stipendio Missæ.

1314. I. Nodus difficultatis. Certum est igitur, licere pro Missa stipendium accipere, nec ex se ibi simoniæ labem intercidere; sed non ideo facile est aperire *quomodo* ille mos ab omnis simoniæ specie immunis esse possit. Nam, ex una parte, videtur inter celebrantem et stipendia dantem intercidere aliquod pactum seu conventio, alioqui non suboriretur obligatio *ex justitia*, puta si titulo eleemosynæ duntaxat erogaretur stipendium : atqui tamen certo dimanat obligatio ex justitia, ita ut sacerdos possit ad restitutionem teneri ; ergo. Ex altera parte, omnis hujusmodi pactio est jure reprobata, præsertim in cap. *Tua nos, De simonia*, cap. ult. *De pactis*, cap. *Quam pie*, dist. 1, q. 2. Unde D. Thomas, in IV, dist. 25, q. 3, a. 2, quæstiunc. 1, ad 4, dicit : « Facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen non habet alios sumptus, et non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti

sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. » Ideo, juxta D. Thomam, licet quidem accipere stipendium, dummodo pactum non intercidat.

1315. II. Solvitur. Ut igitur hanc solverent difficultatem, multas theologi tradiderunt solutiones, quas late exponit et impugnat de Lugo, *De Euchar.*, disp. 21, sect. 1; eique jam præiverat Suarez, in 3, disp. 81, sect. 1, n. 6; atque ultimo uterque tradit germanam solutionem, quam constricte innuit D. Thomas in locis modo citatis; et colligitur ex S. Augustino, *De Pastor.*, cap. 2: « Communior ergo et facilior explicandi modus est, quod stipendium non detur ut pretium, sed ad sustentationem ministri, sive totalem, sive ex parte. In quo autem differant dare ut stipendium ad sustentationem, et dare ut pretium, omissis aliis modis, possumus hac via declarare exemplo pictoris, v. g. qui nollet vendere suas operas aut picturas, sed vellet gratis depingere in obsequium Ecclesiæ, et votum de hoc fecisset. Non tamen esset contra hoc votum, si peteret ab ecclesia illa sumptus necessarios ad colores, ad tabulam et alia omnia; adhuc enim diceretur depingere gratis; imo, si ipse ad laborandum cibo vel potu peculiari indigeret, illud totum computaretur inter sumptus necessarios ad picturam, et posset dici in rigore gratis, et non pro pretio fecisse illud opus, si solum acciperet necessaria ad pingendum [1]. . . . Sic ergo sacerdos, ut minister evangelicus, non facit contra præceptum Christi gratis dandi quod gratis accepit, si ab illis quibus ministrat, accipiat necessaria ad ministerium assequendum, v. g. si accipiat panem, vinum, ceram, et alia necessaria ad Sacrificium. Inter illa autem quæ necessaria sunt ad Sacrificium, unum et potissimum est ipse sacerdos, qui, sicut non potest sine ministro, sine cera, sine vino, etc., celebrare, ita nec potest sine seipso sustentato et bene disposito. Sicut ergo cera ad alimentum ignis necessarii in Sacrificio exigi potest, sic etiam poterit cibus necessarius ad alimentum sacerdotis oblaturi, qui sine victu offerre non potest, sicut nec ignis lucere sine cera et alimento. Quamvis ergo hæc accipiat sacerdos a petente Missam, adhuc dicetur in rigore gratis

[1] Deinde affert exemplum medici qui longum iter susciperet ad sanitatem alicui Principi restituendam. Ideo sicut Dominus tenetur ex justitia operario qui gratis laborat, præstare annonam et instrumenta; ita et fidelis qui a sacerdote Missam efflagitavit, tenetur stipendium erogare.

offerre Sacrificium pro ipso, quia nihil aliud petit nisi quæ necessaria sunt ad ipsum Sacrificium quod petitur ; et dum hæc a sacerdote petuntur, debentur ex justitia, non ut pretium, sed ut necessaria ad Sacrificium quod petitur. » De Lugo, *De Euchar.*, loco citato, n. 13 et 14. Sed reciprociter, eo ipso quod sacerdos accepit necessaria ad victitandum, tenetur et ipse ex justitia ad præstandum opus, sicut operarius, postquam refectus est a domino, tenetur in commodum illius suum laborem rependere.

Nec obstant citata loca juris canonici, in quibus prohibetur quodvis pactum in spiritualibus ; « nam præfati textus vel explicandi sunt de pactis inhonestis, ut sentit Roncaglia cum Gloss., in cap. ult. *De pactis ;* vel, ut asserit Less., lib. 2, cap. 35, n. 99, cum Sot., illis per contrariam consuetudinem derogatum est, prout probat ex cap. ult. *De pactis.* » S. Alphons., lib. III, n. 55, q. 5.

COROLLARIA

1315. 1° *Dives sacerdos potest stipendium recipere.* Hinc stipendium Missæ potest accipere, non tantum pauper et indigens, sed etiam locupletatus sacerdos, quum præstet id ad quod non tenetur, scilicet personam suam sustentatam ; sicut dives operarius, etsi potest ex suis victitare, nihilominus dum suam operam alteri commodat, potest ab ipso necessaria ad victum repetere. Quod aliunde patet universali Ecclesiæ praxi, et confirmatur auctoritate Pontificum Romanorum, præsertim Benedicti XIV.

1316. 2° *Potest sacerdos tria stipendia recipere pro tribus missis Natalis Domini.* « In die etiam Natalis Domini potest sacerdos tria stipendia pro tribus missis recipere ; quia, licet non plus sumat ad sui sustentationem illa die quam aliis, atque ideo per unicum stipendium videatur illi satisfacere pro sumptu necessario ad personam ministri, aliunde tamen totum quod fit ex illis tribus stipendiis, et aliis quæ accepit toto anno, non excedit quod requiritur ad victum toto anno. Cum ergo ad celebrandum hac die sit necessaria persona sacerdotis, non solum sustentata hac die vel hora, sed toto anno, merito et rationabiliter distribuuntur expensæ illæ totius anni inter omnes petentes missas, ut singuli concurrant per partes æquales, juxta partem quam habent in illis sacrificiis. » De Lugo, ibid., n. 18. Apud nos, res est facilior explicatu, quum stipendium non ad totam

annonam sacerdotis, sed tanquam ejus supplementum tribuatur, et ipsummet triplex stipendium vix satis sit ad totam unius diei annonam.

1317. *Nota.* Scio, non paucos theologos et canonistas serio movere dubium an liceat triplex recipere stipendium pro triplici missa in die natali Domini ; sed hucusque nullam hujus dubii vere efficacem inveni rationem. Etenim nonnisi ex vetito Ecclesiæ prodire potest : porro nusquam apparet istiusmodi vetitum : dantur quidem pro cæteris omnibus diebus, quibus, ob necessitatem, idem sacerdos pluries celebrat ; sed quum *odia sint restringenda*, illa vetita non licet extendere ad diem natalem Domini. Unde Benedictus XIV, in constitutione *Quod expensis*, dicit expresse : « Quum ubique fere receptum sit, ut in solemnitate Nativitatis Domini pro tribus missis tria recipiantur charitativa stipendia. Ideoque de illis qui ante hoc tempus in Aragoniæ Regno duas vel tres respective missas prædicta die (commemorationis omnium fidelium defunctorum), nihil innovandum censemus. » Pro his vero qui nunquam acceperint illud duplex vel triplex stipendium et pro omnibus novis sacerdotibus, prohibet sub pœna suspensionis, ne, sub quolibet prætextu, plus quam unum recipiant stipendium, prædicta die defunctorum, licet, ex indulto duas vel tres missas celebrent.

1318. 3° *Declaratur quandonam sacerdos celebrans intuitu stipendii inquinetur labe simoniaca.* Sacerdos qui Sacrum conficeret, stipendium veluti pretium celebrationis accipiens, vere simoniaca labe inquinaretur ; ipse enim, non tam Christi quam Mammonæ se ministrum gereret, atque Dominum gloriæ pro argenteis sicut Judas proditor traderet. Sed inquinareturne simonia mentali, ac peccaretne lethaliter sacerdos qui intenderet stipendium ut finem principalem celebrationis ?

1319. Affirmant aliqui, quos citat S. Alphonsus, lib. III, n. 55, quær. 6. « Secunda tamen, inquit, probabilior quidem sententia, quam tenent Salm., Suarez, Sanchez, Sylvius....., dicit, simoniam tunc tantum intervenire, quando temporale accipitur pro pretio spirituali, unum cum alio æquiparando ; non vero quando accipitur tanquam stipendium ad sustentationem ministri qui prædicta munera exercet, quod stipendium debetur ex justitia... Confirmat Croix... recte sic arguens : Qui dat stipendium principaliter propter Missam, quæ certe res spiritualis est,

numquid dicitur simoniacus? Sic vice versa neque simoniam committit qui dicit Missam principaliter ob stipendium. Illicitum enim non est, ut notat cum Nav. et Suar., ordinare rem spiritualem etiam principaliter, ad finem temporalem honestum. »

1320. *Dices:* D. Thomas, *Quodlib.* VIII, a. 14, dicit, eum qui ad Ecclesiam vadit principaliter ob distributiones, peccat mortaliter ob simoniam, nisi principaliter intendat Deum et secundario distributiones. Unde Innoc. XI proscripsit istas propositiones: « Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra (45ª). Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis (46ª). »

Resp. Neg. « Nec obstat præfata propositio 46ª: *Etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale.* Ibi enim.... motivum accipitur per idem ac pretium rei spiritualis. At in casu nostro temporale accipitur ut stipendium non rei, sed personæ occupatæ in gratiam alterius, cui debita est sustentatio... Nec etiam obstat quod ait S. Thomas, in citato *Quodlib.* VIII; nam animadvertere oportet quod in nostro casu dupliciter possit lucrum intendi, vel ut finis operis, vel ut finis operantis. Cum lucrum intenditur ut finis operis, ita ut ipsum opus spirituale intendatur vendi, tunc certe committitur simonia; et sic intelligendus est S. Doctor (ut dicunt Salm., n. 61) dum ibi dicit: *Et ideo simoniam committit qui hujusmodi actum vendere intendit..... si distributiones recepit quasi finem sui operis principaliter intentum.* Secus vero dicendum, quando lucrum intenditur ut finis operantis, scilicet ratione operationis personæ occupatæ in gratiam alterius, quia tunc lucrum accipitur pro stipendio sustentationis, et non est simonia. Hinc dicunt Salm., c. 2, n. 32, cum Sanch., licite œconomum accipere stipendium a parocho ad vices suas præstandas. Dicunt etiam, n. 15, cum Suar. et Laym., quod, tametsi sit simonia dare pecuniam pauperi, ut pro te applicet orationis suæ impetrationem aut satisfactionem, licitum tamen est dare, ut pro te oret, ad modum stipendii. Hoc vero alia ratione ad-

mittit D. Th., in IV, dist. 25, q. 3, a. 2, quæstiunc. 2, dicens : *Qui dat pecuniam pauperibus, ut pro eo orent, non emit orationem, sed dat ad alliciendum.* Cæterum qui sacra ministeria peragunt principaliter ob emolumentum temporale, non facile excusari possunt a culpa veniali, cum sit quædam inordinatio dirigere spiritualia ad temporalia, ut ainnt Salm., n. 60. » S. Alphons., lib. III, n. 55, quær. 6.

IV. — Quantitas stipendii.

1321. I. Abusus. Quamvis stipendium Missæ sit res licita et bona, non pauci sacerdotes avaritia abrepti illud dehonestaverunt. « Quippe visi sunt missas quodammodo venditare, ac turpissimum quæstum de illis facere. Et primo quidem, cum nondum Missæ eadem die iteratio erat severa lege prohibita, nonnulli ad solum finem plures eleemosynas captandi, sæpius in die sacris operabantur..... Postquam vero et Alexander II, can. 53 *De Consecrat.*, dist. 1, et Innocentius III, in cap. *Te referente*, eod. titul., districte vetuerunt Sacrificium eadem die, sola excepta solemnitate Nativitatis Domini, ab eodem sacerdote iterari, alias nequiores artes excogitarunt quibus plures eleemosynas unius missæ celebratione lucrarentur. Aliqui enim tot hostias in eadem missa consecrabant quot illi fuerant a quibus eleemosynam acceperant, autumantes, se hac ratione omnibus satisfacere : alii plures missas in unam congerebant ; missam quippe diei usque ad Offertorium legebant ; tunc aliam incipiebant, usque ad eumdem locum ; deinde tertiam et quartam, eodem modo ; postea tot secretas dicebant quot missas incœperant ; demum sub uno canone Sacrum perficiebant ; totidem additis in fine collectis quot initio recitaverant. Has autem missas *bifaciatas* et *trifaciatas* nuncupabant, quasi duplicem et triplicem haberent faciem, quæ solæ satis illis esse videbantur ad plures eleemosynas pro earum numero assequendas. Hæc aliaque hujus generis missarum monstra recenset Petrus Cantor in opere quod inscripsit : *Verbum abbreviatum*, cap. 29, et cardinalis Bona, I *Rerum liturgic.* 15. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 21, n. 8.

Quibus ab Ecclesia eliminatis abusibus, non idcirco improba quorumdam sacerdotum cupiditas fuit radicitus avulsa : tunc enim cœperunt de eleemosyna pro Missa dicenda pacisci tan-

quam de mercis cujuspiam pretio, et nisi ad eorum votum annueretur, Missam dicere renuebant. Quos retudit conc. Toletanum habitum an. 1324, et præsertim Tridentinum, sess. 22, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione Missæ*, quod immediate subsequitur canones : « Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potiusquam postulationes, aliaque hujusmodi quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt,omnino prohibeant (Episcopi). » Ut igitur Episcopi Tridentino obtemperent, turpemque de missis quæstum coerceant, debent, in sua diœcesi, missarum stipem taxare, ultra quam nemo quidquam exigere valeat.

1322. II. Jus et munus taxandi stipem missarum. Hoc jus et munus est penes Episcopum seu Ordinarium loci, cui Tridentina synodus contulit auctoritatem statuendi quæ opportuna judicaverit ad sacrificii Missæ sanctitatem confovendam, arcendasque pravas consuetudines quæ invalescere potuissent circa illius celebrationem. Quod munus et auctoritatem ut in mente alte defixam habeant Episcopi, vehementer inculcat Benedictus XIV, in constitutione *Accepimus*, die 16 julii 1746 [1]. Et in III *De sacrif. Missæ* 21, ita habet : « Quamvis autem eleemosynæ taxatio et a consuetudine induci, et ab Episcopo extra Synodum fieri queat, attamen, ut stabilior sit ac sacerdotibus commodius significetur et innotescat, plerumque in Synodo fieri consuevit, ac proinde *taxa synodalis* communiter appellatur. Quapropter S. Congregatio Concilii interrogata, primo, *quanta debeat esse eleemosyna missarum manualium*, secundo, *quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatore*, die 15 nov. 1698, respondit : *Ad primum et secundum censuit, attendendam esse consuetudinem loci vel le-*

[1] « De sacrificio Missæ res agitur, ideoque nemo vestrum ignorat, a Tridentino concilio eam tribui auctoritatem Episcopis, et Ordinariis locorum, ut etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati corrigere valeant pravas consuetudines, quæ ritui Missæ celebrandæ adversantur; ita clare sumitur ex sess. 22, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione Missæ*. Neque Vos latet, nullum esse privilegium, aut immunitatem, quæ delinquentibus in hac re suffragari possit, ut vestra auctoritate pœnisque per Vos irrogatis vindicentur; idem sæpius confirmavit S. Congregatio Tridentini concilii interpres, decreto inhærens ejusdem synodi, quod paulo ante memoravimus. »

gem synodalem, quatenus adsit ; sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio. »

« In hoc tamen non potest certa et universalis regula ubique custodienda statui, cum alicubi majorem, alibi minorem eam esse deceat, habito respectu ad locorum et temporum circumstantias, et præcipue ad annonæ penuriam vel copiam. Unum tamen advertendum existimamus, nimirum necesse non esse, ut eleemosyna tanta sit quæ integram sustentationem sacerdoti ea die qua celebrat, suppeditet. Etenim, sicuti optime perpendit Suarez, in 3, disp. 83, sect. 2, concl. 3, actio sacrificandi non requirit integrum diem, neque majorem ejus partem, unde non est cur sacerdos propter hoc solum ministerium integre alatur ab eo pro quo Sacrificium offert. Accedit, neminem sæcularem ad sacros ordines promoveri, qui sufficiens beneficium aut patrimonium non habeat, nec ullum ad religionem admitti qui ex Monasterii redditibus, aut consuetis eleemosynis ali nequeat, ex quo fit ut nullus cogatur victum sibi comparare ex solo Missarum stipendio. »

Nota. Quando testator nullum certum stipendium explicavit pro determinato numero missarum, pertinet ad Episcopum jus taxandi illud stipendium ; ita enim expresse declaravit S. Cong. Concilii, an. 1625, cujus decretum confirmavit Urbanus VIII : « Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus missarum celebrandarum secundum morem civitatis vel provinciæ. »

COROLLARIA

1323. Hinc 1° « si ultra eleemosynam ab Episcopo taxatam, plus sacerdos celebraturus exigat, non solum delinquit contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam commutativam lædit. Etenim, ut argumentatur Suarez, cit. loco, concl. 1, quamvis Missæ stipendium non habeat rationem pretii, nihilominus exposcit justitia ut aliqua proportio servetur inter illud et opus ad quod subeundum ministratur, eamque proportionem definire, inspecta natura rei de qua agitur, ad solum spectat Episcopum. »

1324. 2° « Ob eamdem rationem, judicio Episcopi Missarum eleemosynam taxantis stare debent etiam Regulares, quibus, suorum privilegiorum obtentu, neutiquam licet stipem exigere illa majorem quam Episcopus præscripsit ; quemadmodum enim

ipsi, veluti membra communitatis, obstringuntur in contractibus servare æqualitatem statutam a legibus loci, ubi degunt, ita et in hoc quasi-contractu non possunt proportionem prætergredi quam loci Ordinarius determinavit. Quocirca S. Congregatio Concilii, 15 jan. 1638, dixit, *eleemosynam pro qualibet missa per Regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii, juxta morem regionis.* »

1325. 3° « Nec Regulares tamen, nec sæculares prohibentur uberiorem stipem a sponte dantibus accipere, dummodo absit dolus et quodcumque pactum etiam implicitum ; quod docuerunt Suarez, cit. concl. 1, cardinalis de Lugo, *Respons. moral.*, lib. V, dub. 18, ac censuit S. Congregatio Concilii, 16 jan. 1649, quæ interrogata *an possit Episcopus prohibere sub pœna censurarum laicis ne pinguius stipendium taxæ solvant sacerdotibus tam sæcularibus quam regularibus Missam celebrantibus, et quod iidem sacerdotes illud acceptare non possint, etiam a sponte dantibus*, respondit, *prohiberi non posse.* »

1326. 4° « Si tamen qui manualem eleemosynam consueta pinguiorem accepit, alteri sacerdoti Missam celebrandam committat, non potest illius partem sibi retinere, sed totam quam accepit erogare debet sacerdoti celebranti ; quod ab Urbano VIII statutum est, et opposita opinio ab Alexandro VII, die 24 sept. 1625, proscripta fuit. » Benedict. XIV, ibid. Qui igitur libros vel alia utensilia tradunt loco stipendii Missæ, si plures exigunt missas quam jure numerari debeant stipendia quibus æquivaleat valor librorum vel utensilium, fucata simoniacæ labis specie inquinantur, atque peccant contra justitiam commutativam. Attamen, si certe constaret, stipendium pinguius fuisse datum, non intuitu Missæ, sed prætextu Missæ, et alio titulo, v. g. amicitiæ, paupertatis, gratitudinis, etc., posset retineri excessus. Ita communiter theologi apud S. Alphonsum, lib. VI, n. 321. In praxi pinguius stipendium non potest præsumi concessum alio titulo, quam intuitu Missæ celebrandæ, nisi saltem duplum taxæ synodalis excedat ; v. g. in diœcesi Camberiensi, taxa missæ manualis recitatæ est una libra seu unus francus ; qui igitur acciperet duas libras pro una missa, non posset præsumere, illas non fuisse adæquate erogatas propter missam, nisi aliunde oppositum suadeant certa indicia.

1327. 5° « Quia vero recta ratio non patitur ex eleemosyna

ab Episcopo taxata, quæ exigua esse solet, aliquid detrahi in commodum Ecclesiæ subministranti sacerdoti sacra indumenta aliaque utensilia ad Missæ celebrationem necessaria, hac de causa Urbanus VIII decrevit, nihil ex eleemosynis *manualibus* esse eo nomine detrahendum ; ex stipendiis vero pro missis *perpetuis* relictis, tunc solum ecclesias ubi sunt celebrandæ, aliquid percipere permisit, cum alios reditus non habent, quibus onus sustineant sacra utensilia præstandi : quæ omnia a nobis adducta et fuse pertracta fuere nostra *Instit. eccles.* 56, et in dissertatione quam, dum munus obiremus Secretarii S. Congregationis Concilii, exaravimus, quæ exstat in *Thesaur. resolut.*, tom. 3, p. 307. » Benedictus XIV, ibid. S. Cong. Concilii declaravit quod, « si tribuens eleemosynas numerum missarum celebrandarum non præscripsit, tunc tot missas oportebit celebrare quot præscripserit Ordinarius, secundum morem civitatis aut provinciæ. » Ideo si vigeat in parœcia usus cantandi omnes missas, possunt cantari, si autem mos sit missas lectas celebrare, nefas est numerum missarum definire ex taxa missæ cantatæ, atque cantatas tantum celebrare.

Quæritur an Episcopus possit prohibere ne sacerdotes accipiant infra taxationem præfixam ?

1328. *Resp. affirmative*, cum Suarezio, Benedicto XIV (V *De Synodo*, cap. 9, n. 2) et S. Alphonso (lib. VI, n. 320, dub. 3.). Hoc infert Benedictus XIV ex declaratione S. Congregationis Concilii, die 16 jul. 1689, ubi dictum fuit, bene posse Episcopum prohibere et imponere pœnam celebrantibus pro minori quantitate taxæ. Ratio in promptu est, alias enim quodammodo vilesceret Missæ sacrificium, et facile mercimonio panderetur via. Unde in praxi satius est Missam applicare gratis, quam accipere tantum partem stipendii, etsi forte Episcopus id non prohibuerit. Sed neutiquam potest Episcopus prohibere ne pinguius detur et accipiatur stipendium, saltem pro missis manualibus : « Aliqui falso quodam studio ecclesiasticæ disciplinæ, et observantia erga Episcopos ducti, libere asserunt, nullum stipendium a laicis tribui posse, quod summam ab Episcopo præscriptam excedat, nec illud jure a sacerdotibus accipi posse, licet nulla conventione interposita, sed ultro concedatur. Aliquis etiam episcopus hanc sententiam amplexus est, et censuras in eos minatus est qui sti-

pendia hujusmodi conferrent ; verum communi omnium opinione improbatum fuit ; sicut superiori capite ex responsione S. Congregationis compertum fecimus. » Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 22, n. 8.

V. — Perpenduntur varii casus circa Missarum stipendia.

1329. *Nota.* « Sublevatis ob legum severitatem his corruptelis, aliæ rationes excogitatæ sunt ut aditus liber pateret avaritiæ ac turpi lucro, quod juxta concilium Tridentinum a simoniaca labe parum abesse videtur. Incredibilis librorum copia in vulgus emanavit quibus variæ de theologia morali quæstiones in examen adducebantur. In illis autem dirimendis causa potissima omissa fuit ob quam S. Mater Ecclesia pro Missæ sacrificio stipendium permittit, nempe ut sacerdotes ad vitam sustentandam aliquod ex ipso stipendio levamen suscipiant, non vero ut *divitiis cumulentur*, quod Nos paulo ante explicavimus ; ideoque sordidos quæstus augeri Ecclesia semper improbavit. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 22, n. 4. Itaque

Quæritur 1° an Missa dicenda sit in loco seu ecclesia in qua petitur ?

1330. *Resp. affirmative, regulariter loquendo ;* ita enim docet Benedictus XIV, in constitutione *Quanta cura*, 30 jun. 1741, de iis qui colligunt missas in aliqua diœcesi et curant celebrare alibi, ubi taxatio synodalis est minoris pretii quam illic ubi accipiuntur, dixit : « Id quam absonum sit atque alienum ab ipsa, sive expressa sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum ; in illa enim potius missas esse celebrandas quisque vult ad quam, religionis et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est ut bonorum quamplurimi ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant. » Dixi *regulariter loquendo*, quia si tanta copia stipendiorum affluat in unam ecclesiam, ut impossibile sit missas in illa omnes cele-

brare, qui eleemosynas tribuunt, non possunt exigere hujusmodi localem celebrationem. Sæpe sæpius etiam rationabiliter præsumitur consensus fidelium, quando scilicet nullum inde capiunt detrimentum et esset magna difficultas vel incommodum missas celebrandi in ipsorum ecclesia, vel in loco in quo tumulantur. Quæ tamen omnia sedulo ex sola charitate et sapientia ponderanda sunt, non vero ex studio partium, cupiditate, etc.

Juvat etiam advertere quod sacerdos tenetur servare genus missæ petitæ et promissæ, quantum sinit Rubrica. Si tamen missa dicenda est *de requiem*, satisfacit obligationi celebrando quamlibet aliam ; si autem est alia missa votiva, sacerdos non satisfacit obligationi, quando permittit Rubrica, nisi dicat missam votivam petitam, etiamsi erogator eleemosynæ non postulasset expresse missas votivas. Ita decrevit. S. Cong. Rituum, 12 sept. 1840.

Quæritur 2° an sacerdos a quo Missa petitur, dato ei stipendio infra quantitatem taxatam, possit una missa satisfacere pluribus istiusmodi stipendiis donec singulis missis correspondeat integrum stipendium taxatum ?

1331. Communiter affirmant Suarez, Vasquez, Navarrus, etc.; at S. Congregatio Concilii, in pluribus decretis, an. 1625, auctoritate Urbani VIII confirmatis, gravissime id prohibuit, atque sacerdotem ita se gerentem obligavit sub gravi ad restituendum. « Hoc tamen sane intelligendum, quando sacerdos scienter acceptavit pro tali stipendio tot missas celebrare ; secus, si ignoranter, ut recte dicunt Tournely, etc. Sacerdos autem qui promisit hæredi quam cito celebrare missas pro testatore defuncto, credito stipendio in posterum solvendo, tenetur quidem celebrare ante stipendii solutionem, ut fidem servet. » S. Alphons., lib. VI, n. 320, dub. 4.

Quæritur 3° an sacerdos pauper possit accipere pro una missa tot stipendia quod sufficerent ad ejus diurnam sustentationem ?

1332. « De quo fuit magna controversia, quibusdam id concedentibus, saltem ut probabile, Ledesma, Joanne de Cruce, Soto, Cano.... et aliis quos refert Diana...., dum tamen sacerdos

quotidie celebraret, et victu parco contentus esset. Alii tamen id extendebant ad emendos aliquos libros, si theologus vel jurista esset ; alii ad alendos parentes alias mendicaturos. Alii tamen absolute id negabant, Suarez et Vasquez in præsenti, Fillucius, Lessius, Navarrus, Azorius ; et hoc suo præcepto confirmavit Congregatio prædicta, sub obligatione gravis peccati et onere restituendi. » De Lugo, *De Euch.*, disp. 21, sect. 2, n. 27. Illi theologi prætermittebant fundamentale principium ad quæstionem diruendam, videlicet stipendium esse ab Ecclesia concessum, non ut adæquatum vitæ sacerdotis fulcimentum, sed ut sublevamen. Vide supra (1329.) Nec obstant quæcumque privilegia ; siquidem illa omnia ablegavit Urbanus VIII.

Quæritur 4° an aliquis possit colligere stipendia juxta loci taxationem, missasque celebrandas tradere sacerdotibus alienæ diœcesis, in qua taxatio est inferior, retinendo sibi excessum ?

1333. Id omnino prohibetur, et quidem sub gravissimis pœnis, ita enim habet Benedictus XIV, in constitutione *Quanta cura :* « Universis notum facite, quemcumque eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive *ibidem*, sive *alibi* ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, clericum vero sive quemcumque sacerdotem pœnam suspensionis ipso facto incurrere ; a quibus nullus per alium quam per Nos ipsos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. » Pius IX, in constitutione *Apostolicæ Sedis*, 4 idus oct. 1869, hunc casum retinuit inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatas ; est duodecimus : « Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent. »

1334. *Nota.* Excipiunt tamen communiter theologi beneficiarium et ipsummet amovibilem capellanum ; et hoc patet ex de-

creto S. Congregationis Concilii confirmato ab Innoc. XII in constitutione *Nuper*, ubi dicit, decretum Urbani VIII « non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provinciæ, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit. » Nempe, ut declaravit eadem Congregatio, 15 martii 1745, pro capellano, id licet, « modo pro capellania certi reditus sint *annuatim* constituti, et perpetuo capellano assignati ; secus vero, si hujusmodi capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna. »

Quæritur 5° an qui colligit missas easque celebrandas tradit alieno sacerdoti, possit aliquid sibi retinere, si consentiat hic sacerdos ?

1335. *Respondeo negative, regulariter loquendo.* Primum enim S. Congregatio dicit, « debere *absolute* integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse. » Deinde Benedictus XIV, in encyclica *Quanta cura*, siquod adhuc superesset, omne dubium explosit : « Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices prædecessores nostri, de consilio tum Congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione missæ a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti et *consentienti* se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset. »

1336. *Nota.* 1° Clarissimus Craisson, in *Manuali*, n. 3508, subdit : « Decisio applicari debet casui quo pinguius stipendium parocho fuisset datum pro missa cantanda, quam deinde a suo vicario cantari facit. » Hæc decisio est inconcussa, quidquid in oppositum conclamant aliqui ; in jure enim exceptio una tantum invenitur, scilicet quando pro capellania certi reditus sunt *annuatim* constituti, et perpetuo capellano assignati ; si vero pro qualibet missa celebranda detur certa eleemosyna, et ipsa tota tribuenda est illi qui missam celebrat. Vide supra (1334) Congregatio et Pontifices hucusque nullam etiam fecere exceptionem, et nunquam dixtinxerunt inter stipendium missæ cantatæ

et stipendium missæ recitatæ, sed unam et eamdem regulam statuerunt pro omni stipendio Missæ.

1337. Ne dicas, prævalere posse consuetudinem, nam in primis hujusmodi consuetudinem, sicubi sit, Pontifices abrogarunt. Deinde consuetudo, ut valeat, debet esse de re honesta: porro, in præsenti, est de turpi quæstu, et Benedictus XIV, eam vocat *execrabilem abusum*.

1338. *Dices*: Episcopus potest stipendia missarum cantatarum, utpote pinguia, recensere inter proventus casuales, atque illa adscribere parocho, ea lege ut vicarii teneantur nihilominus missas cantare; unde hic mos viget in quibusdam Galliarum diœcesibus.

Resp. Episcopo fuit concessa potestas taxandi stipendia, non autem illa adscribendi cui voluerit; nunquam fuit ab Ecclesia constitutus dominus stipendii. Habere potestatem regulandi dominium toto cœlo distat ab ipsomet jure dominii; potestas civilis potest leges ferre circa dominium bonorum temporalium, et quis tamen dicet, illam esse ideo dominam bonorum temporalium omnium? Ex S. Congregationis et Pontificum decretis constat, stipendium missæ deberi *ex justitia* ei qui missam celebrat; Episcopus non habet potestatem ad ea quæ sunt contra justitiam. Valde immerito stipendia pinguia missarum cantatarum recensentur inter proventus casuales qui parocho debent adscribi; nam parocho possunt adscribi soli proventus qui obveniunt propter functiones quas vicarii obeunt inquantum vices parochi adimplentes. Porro sacerdos quilibet, dum missas celebrat, nullius alterius sacerdotis vices adimplet, et a nemine dependet, ne a Papa quidem, sicut docet Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 9, n. 4: « Non enim sacerdos Sacrificii duntaxat minister est, sed etiam dispensator vi suæ ordinationis; itaque ut in conficiendo Sacramento ab auctoritate non pendet Superioris, ita potestatem habet ei Sacrificium applicandi, cui voluerit. » Igitur illi proventus possunt merito adscribi parocho, sed ea lege ut ipse missas cantet. Iterum alte defixum in mente habeant sacerdotes finem stipendiorum: conceduntur, non ut sacerdotes ditescant, sed ut ille qui missam celebrat, aliquod suscipiat sublevamen. Vide supra (1329.) Si tamen sint missæ fundatæ, quibus fundator pinguius more solito stipendium adnexus est, ut parochus honestiorem inde vitam duceret,

tunc ille parochus posset prorsus excessum sibi retinere, ut patet, quia, inquit S. Alphons. (lib. VI, n. 321), « decreta prohibentia retinere partem stipendii, tantum loquuntur de missis manualibus. » Sedulo igitur æstimanda est mens testatoris vel fundatoris : nam si ipse habuerit intentionem constituere singula stipendia intuitu solius missæ, et ipsa tota obvenire debent celebranti. Si vero simul alium pium finem sibi proposuerit, scilicet ut parochus possit commodius cultus decori providere, vel etiam pauperibus succurrere, tunc parochus, quando missas non cantat, potest aliquam stipendii partem sibi retinere, juxta Episcopi discretum judicium.

1339. 2° Verba Benedicti XIV nullam videntur admittere exceptionem; dicit enim *etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et consentienti.* Quæ lex videtur fundata præsumptione periculi, ut scilicet præcludatur omne ostium abusibus, et nemo lucrum capiat ex turpi quæstu. Attamen illius legis verba mitigant optimæ notæ theologi, et excipiunt casum in quo sacerdos accipiens stipendium *omnino sponte* censentit et libere condonat, « non vero ex metu aliquo, quia fortasse alias non darentur sibi illæ missæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid simile..... Congregatio non prohibet quod sacerdos absque stipendio celebret; ergo sicut posset aliquis sine ullo stipendio celebrare, ut alium sacerdotem liberet ab onere suscepto cui satisfacere non potest, quo casu condonat illi totum stipendium acceptum, sic posset condonare partem, dummodo dolus et metus omnino cessarent, ut dictum est; quod tamen in praxi vix poterit absque periculo contingere. » De Lugo, *De Euchar.*, disp. 21, sect. 2. Item S. Alphonsus, lib. VI, 321.

Quæritur 6° an procurator vel executor testamenti, faciens celebrare alibi missas sibi commissas, ubi minor est taxa, possit excessum sibi retinere ?

1340. *Resp. negative.* « Tum quia talis procurator turpem faceret quæstum ex eleemosynis; tum quia nullum is titulum habet, quo lucrum illud sibi retineat, cum nunquam dominium illarum eleemosynarum acquisierit. » S. Alphons., lib. VI, n. 321.

Quæritur 7° an sacerdos qui pinguius accepit stipendium pro missa celebranda hodie, possit, si prohibitus sit ab illa missa celebranda, procurare ut alius pro se celebret, promittens die crastina celebrare pro illo qui stipendium accepit juxta taxam, non mutuato, sed retento utrinque stipendio?

1341. « Affirmant Croix... Mazzotta..., quia hoc non esset retinere partem pretii, quod Pontifex damnavit, sed tantum permutare missas et dies. *Recte vero negat Concina*, quia hoc non posset excusari a specie turpis mercimonii; merito tamen id non audet damnare de peccato gravi: et an paupertas possit ab omni culpa excusare, se remittit prudentium judicio. » S. Alphons., lib. VI, n. 322, dub. 4. Sed, ut ingenue mentem meam aperiam, dico, in re, nullum esse discrimen inter hunc casum et præcedentes, ideoque illius sacerdotis agendi rationem esse reprobatam a S. Congregatione Concilii et Summis Pontificibus. Etenim supponitur, totum stipendium pinguius fuisse datum intuitu missæ, non autem alio titulo; alioquin hic casus rediret in illum quem exsolvimus supra (1326). Atqui S. Congregatio et Pontifices prohibent ne accipiens eleemosynam ullo pacto aliquid de ea lucretur, si ipse non celebret missam propter quam erogata fuit; quod tamen contingit in præsenti casu. Deinde qui pinguius præbuit stipendium, non in commodum accipientis, sed in commodum celebrantis missam præfixa die, largitus est. Ergo nedum accipiens pinguius stipendium habeat titulum ad excessum sibi retinendum, si non celebret missam, econtra violat justitiam, quia facit contra contractum et voluntatem, saltem tacitam et implicitam dantis stipendium. Ergo sacerdos qui ita se gerit mihi videtur subtiliorem duntaxat adhibere methodum, qua a prohibitionibus Apostolicæ Sedis declinet.

Quæritur 8° an qui accepit stipendium pro celebratione Missæ, possit aliud quoque accipere pro illius applicatione?

1342. Circa hanc quæstionem valde scindebantur theologi, ut videre est apud Benedictum XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 22, n. 6 et 7. In primis si ille qui stipendium dedit pro celebratione ipsa, expresse declaraverit, non teneri celebrantem ad ap-

plicationem Sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium pro applicatione, et unica missa satisfacere duplici obligationi. Ita decisum est a S. Congregatione Concilii, 13 jul. 1630. Si autem nihil fuerit expressum, non potest celebrans novum stipendium accipere, sed tenetur missam applicare pro fundatore vel illo qui erogavit eleemosynam ad missam celebrandam. Hæc est resolutio S. Congregationis Concilii, 18 mart. 1686; ibi enim decisum fuit, teneri celebrantem applicare pro anima testatoris, semper ac in fundatione nulla sit adjecta declaratio, ad cujus suffragium applicandum sit Sacrificium. Vide S. Alphons., lib. VI, n. 323. Scite enim arguit Benedictus XIV : « Pro Sacrificii applicatione obtinenda, satis est ut ipsius celebratio indicatur. Si quis autem se applicationis onere immunem esse contendat, apertissime docere debet, a pio testatore missæ celebrationem unice requiri, et sacerdotis arbitrio permitti ut fructum Sacrificii cui libuerit attribuat. » III *De Missæ sacrif.*, cap. 22, n. 7.

Quæritur 9° an sacerdos qui, ratione aut stipendii, aut voti, aut præcepti, tenetur missam applicare, peccet lethaliter, si culpa sua non celebret, vel non applicet missam juxta finem præstitum?

1343. Primum, si missa debeatur ratione stipendii, probabilior sententia tenet, illum sacerdotem peccare mortaliter, quia gravitas materiæ hic est mensuranda, non ordine ad stipendium, sed ad fructum missæ quo privatur eleemosynam tradens. Porro hæc privatio est grave damnum, quidquid in oppositum dicant aliqui; licet enim non pauci christiani parvi faciant illud damnum, non obstat, quia ipsi judicant sinistre, et non prout res est in se, inspecta ope luminis fidei. Vide S. Alphons., lib. VI, n. 317, quær. 3. Si vero missa debita sit ex voto, aut ex Prælati præcepto, omnes conveniunt, illius culpabilem omissionem esse peccatum mortale, quia missa est materia gravis tum in voto, tum in præcepto. Tandem si missa debita sit ratione promissionis gratuitæ tantum, non consentiunt theologi. Aliqui assimilant hunc casum missæ ex stipendio debitæ, quia utrinque peccati gravitas desumitur ex spirituali damno, quod idem est, sive tradatur eleemosyna, sive non. Alii ut probabile tenent, illum non peccare mortaliter; ratio est, vel quia simplex promissio

non obligat sub gravi, nisi promittens expresse sub gravi se obliget; vel quia promittens unam missam non censetur gravem obligationem sibi imponere. Ita S. Alphons., cit. loco, quær. 4. Mihi videtur, utendum esse aliqua distinctione : Si ille cui promittitur missa, non erogasset aliunde eleemosynam ad missam certo obtinendam, probabilius applicari possunt rationes nuper adductæ. Si autem ille cui fit promissio, dedisset stipendium ad missam obtinendam, in hypothesi qua non fuisset ipsi promissa gratuito, tunc sacerdos qui promisit, tenetur perinde ac si stipendium fuisset erogatum ; quia tunc ille cui promissio facta est, frustratur magno bono quod alias sibi certo comparasset ; et qui promisit causa est cur illud non obtigerit ; et ideo, velit nolit sibi gravem obligationem imponere, hæc gravis obligatio dimanat ex ipsamet natura contractus ; quippe tunc est causa negativa gravis damni illati, vel, rectius, magni boni non acquisiti ; v. g. materfamilias offert parocho stipendium, et petit missam vel pro anima filii modo defuncti, vel pro filio qui crastina die sortes ducturus est ad militiam ; parochus, ut benignitatis indolem ostendat, stipendium recusat, et missam promittit gratis, quam tamen scienter et libenter omittit ; nescio quomodo poterit a gravi culpa eximi.

Quæritur 10° an qui partem stipendii sibi retinet, quando missas celebrandas alteri committit, teneatur ad restituendum, et cuinam ?

1344. Ex declarationibus S. Congregationis Concilii et Pontificum constat, stipendium Missæ versari in materia justitiæ ; ideo omnes theologi conveniunt, esse obligationem restitutionis. Eo ipso enim quod sacerdos acceptat stipendium, initur contractus, quo tenetur ex justitia, propter stipendium, missam celebrare. Nec efficaciter aliqui olim objiciebant quod eleemosyna fit dominium accipientis, qui, dummodo procuret missæ celebrationem, satisfacit obligationi justitiæ commutativæ ; non efficaciter, inquam, obstat, nam, ut rectissime arguit S. Alphonsus, « illud dominium non aliter acquirit, nisi juxta voluntatem dantis ; voluntas autem dantis est, non solum ut missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendio..... et quia hujusmodi intentio intrat in substantiam contractus ; ideo, si sacerdos partem

stipendii retinet, injuste contra dantis voluntatem retinet. » Lib. VI, n. 322.

« Cui autem eo casu fieri debeat restitutio? Croix cum Pasqual. dicit, posse fieri vel danti eleemosynam, vel sacerdoti celebranti ; sed communius et probabilius censent Tournely, Holzmann et Sporer, restitutionem faciendam esse celebranti, quia, translato in eum onere, etiam jus ad integrum stipendium, juxta voluntatem domini , transfertur. » S. Alphons., ibid.

COROLLARIUM

1345. Ex principiis traditis facile est resolvere alios casus, quos singillatim expendere omnes impossibile est. Facile ex dictis liquet, non immunes esse a turpi quæstu, neque a simoniaca labe sacerdotes qui, quocumque prætextu, aliquid lucrantur de stipendiis missarum quas colligunt ; v. g. sacerdotes qui stipendia concredunt mercatoribus tum laicis, tum etiam clericis, ut inde, sub fucata munusculorum specie, gratis aut ephemeridas publicationes, aut libros, aut vinum, aut quid istiusmodi accipiant. Olim in rebus maximi momenti, vulgare erat illud effatum : *Caveant Consules, ne Respublica aliquod detrimentum capiat ;* si liceat sacrum profano conferre, ego homociunculus, sed S. Matri Ecclesiæ addictissimus, extollam vocem et clamitabo : *Caveant Episcopi ; meminerint oneris ipsis demandati a conc. Tridentino et Pontificibus Romanis.* Summopere navent operam, ut sin radices, saltem surculos passionis quæ indesinenter novas induit formas, abscidant ; alteque in animo rimentur verba Benedicti XIV, in constitutione *Quanta cura.* § 4 : « Ea propter Vos Venerabiles Fratres , in Apostolici ministerii et sollicitudinis nostræ partem adscitos, rogamus et maximopere in Domino hortamur ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur [1]. »

Nota. Hæc scripseram, quando rescripta venerunt Roma,

[1] In diœcesi Camberiensi, sapientissime prohibitum est cuicumque sacerdoti eleemosynas accipienti, ne ulli sacerdoti alieno, sive intra, sive extra diœcesim versetur, porrigere eleemosynas in diœcesi collectas, vel eas extra diœcesim expedire, absque Archiepiscopi licentia. Vide *Constitutiones synodales*, n. 439.

quibus simul inconcusse fulcitur doctrina quam tradidi. Gratias Deo ! Ingenue fateor, animus meus haud mediocri mœrore afficiebatur, propter errorem quorumdam aliunde SS. Ecclesiæ addictorum ; nunc liberatus est atque magna lætitia perfunditur. Juvat igitur referre totam S. Congregationis Concilii declarationem : « Cum circa eleemosynas Missarum graves quædam quæstiones S. Sedi propositæ fuerint, eas SS^mus D. N. D. Pius divina providentia Papa IX Emi. DD. S. Rom. Ecclesiæ cardinalibus concilio Tridentino interpretando ac vindicando præpositis expendendas ac resolvendas mandavit. Itaque injuncto sibi muneri, ea qua par est diligentia et consilii maturitate iidem Emi. Patres satisfacere cupientes, infrascripta dubia desuper concinnari voluerunt. »

« I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda, et pœnis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis incitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt ? »

« II. An hæc agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia nulla facta immunitione, tot missæ a memoratis collectoribus celebrandæ committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur ? »

« III. An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandæ et cœrcendæ, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum vel incrementum impenditur ? »

« IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii qui acceptas a fidelibus vel locis pius eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine ? »

« V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis et mercatori-

bus recipiunt pro missis celebrandis libros, aliasque merces, harum pretio sive immunito, sive integro ? »

« VI. An illicite agant ii qui pro missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis, vel turpis lucri specie ? »

« VII. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando præsertim ea propriis reditibus careant? »

« VIII. An et quid agendum ab Episcopis, ne iisdem sanctuariis plures missarum eleemosynæ congerantur, quam quæ ibi infra præscriptum, seu breve tempus absolvi queant ? »

« IX. An et quid agendum ab Episcopis, ut Missæ, sive quæ singulis sacerdotibus, sive quæ ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandæ committuntur, accurate et fideliter persolvantur? »

« Quibus dubiis non semel in propriis comitiis sedulo et accurate perpensis, tandem in Congregratione generali habita in palatio Apostolico Vaticano, die 25 julii 1874, iidem Emi. Patres in hunc modum respondendum censuerunt, videlicet : »

« Ad I : Affirmative. »
« Ad II : Negative. »
« Ad III : Affirmative. »
« Ad IV : Affirmative. »
« Ad V : Affirmative. » [1]
« Ad VI : Negative. »
« Ad VII : Negative, nisi de consensu oblatorum. »
« Ad VIII et IX : Standum constitutionibus Apostolicis et Decretis alias datis. » [2]

« Factaque die 31 Augusti 1874 de his omnibus SS^mo D. N. per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis Apostolica sua auctoritate approba-

[1] Quo in casu non comprehenduntur sacerdotes qui non colligunt stipendia missarum, sed solummodo ea accipiunt, et, loco ipsorum, tradunt sacerdotibus missas celebrantibus libros, diaria religiosa, vel alias merces, pro rata missarum nihil de taxato stipendio retinentes. Attamen si agatur de missis sponte oblatis, monendi sunt oblatores de translatione. Ita decrevit S. Cong. Concilii, 5 april. 1875.

[2] Vide Bened. XIV, inst. *Eccles.* 56 : *De Synodo*, lib. 5, cap. 8 et seq. ; *De sacrif. Missæ*, lib. 3, cap. 21 et seq.

vit et confirmavit, atque ad Episcopos transmitti jussit, ut ipsi eas intra propriæ jurisdictionis limites exequendas, perpetuoque et inviolabiliter servandas curent, contrariis non obstantibus quibuscumque. »

« Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Concilii, die 9 septembris 1874. »

P. Card. Caterini Præf.
P. Archiepiscopus Sardianus Secr.

CAPUT VII

DE TEMPORE SACRIFICII MISSÆ

Dicemus 1° de tempore quo licet Missam celebrare, 2° de tempore quo sacerdos tenetur celebrare, 3° de frequenti Missæ celebratione.

ARTICULUS I

DE TEMPORE QUO LICET MISSAM CELEBRARE

Circa hoc quæri potest an pluries eadem die, an omnibus et singulis anni diebus, et qua diei hora liceat celebrare?

PARAGRAPHUS I

DE MULTIPLICI CELEBRATIONE EADEM DIE

1346. I. Quæstio ponitur pro Latinis. Hæc quæstio ponitur pro Occidentali Ecclesia tantum; etenim « in Orientali Ecclesia nullum reperire licuit monumentum quo appareat, sacerdotem uno eodemque die plures missas celebrare; quinimo regulam apud Orientales esse novimus ne quisquam eodem die sacerdos Missam celebret ad altare in quo alius antea celebraverit, dummodo non aliter gravis necessitas fieri postulet. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap 5, n. 6. Ne excipitur quidem dies natalis Domini pro Armenis, Syriacis, Chaldæis et aliis Orientatibus qui servant communionem cum Sede Apostolica. Id expresse docet Benedictus XIV, in constit. *In superiori*, 29 decemb. 1755, in qua, pro more suo, eruditissime ostendit, apud Orientalem Ecclesiam nullum exstare præfati ritus vestigium, ne verbum quippe de eo in liturgiis.

1347. II. Regula Juris. Perspectum est omnibus in ecclesiastica historia paulum modo versatis, pluries olim fuisse dies polyliturgicos, quibus nimirum singuli sacerdotes plus quam semel Missarum sacrificia peragebant, ut erat, præter Natalem Domini, prima dies mensis januarii, feria V in Cœna Domini, vigilia Ascensionis, tres dies jejunii infra octavam Pentecostes, aliique dies festi nonnullorum sanctorum memoriæ dicati, ut Nativitas S. Joannis Baptistæ, et Natalitium SS. Apostolorum Petri et Pauli [1]. Ut autem hujusmodi consuetudo generaliter tolleretur, et facultas celebrandi plures missas uno die, ad solum diem Nativitatis Domini coarctaretur, non alia de causa factum est, quam ut avaritiæ et sordidis quæstibus adimeretur occasio, vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur, quæ scilicet ex eleemosynis pro missarum numero multiplicatis, aut ortum habuerant, aut oriri posse videbantur (Benedict. XIV, const. *Quod expensis*, 26 aug. 1748).

Quocirca Innocentius III et Honorius III hanc condiderunt regulam, quæ invenitur in cap. *Consuluisti, De celeb. Missarum :* « Excepto die Nativitatis Domini, nisi summa causa necessitatis suadeat, sufficiat sacerdoti semel in die celebrare. » Vox *sufficit* implicat præceptum prohibens ; ita enim exponunt theologi, aperte supponunt declarationes Congregationum, et aliunde docet Benedictus XIV, in constitutione *Declarasti Nobis*, 16 mart. 1746 : « Per id verbum præceptum inducitur : nam si quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertissime cognoscet, id petitum fuisse a Pontifice *utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare ?* Porro illud *valeat* idem prorsus significat ac *liceat*. Cum igitur responsum dederit Pontifex, *sufficere sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare ;* illud *sufficit* sacerdotes adigit præcepto ne plura sacrificia uno die faciant. » Unde antea Pontifex dixerat : « Quamobrem illud affirmabimus, ex communi totius Ecclesiæ

[1] Vide Pontas, voce *Messe*, casu XV. In Ecclesia Latina tres missas celebrare licet in oratorio privato, dummodo concedatur facultas celebrandi in illo etiam ipsa die Nativitatis Domini. Ratio difficultatis est, quia in brevi Apostolico de unica tantum missa sermo est ; sed, teste Benedicto XIV, in constitut. *Magno cum animi*, 2 junii 1751, § 18, S. Congregatio resolvit quod a sacerdote tres missæ celebrari possent.

disciplina permitti tantum sacerdotibus hoc tempore, ut die Natalis Salvatoris nostri ter Sacrum faciant [1]. »

1348. III. EXCLUDUNTUR ALIQUI CASUS. In regula juris ponitur exceptio quando *summa causa necessitatis suadet;* unde operæ pretium est aperire quandonam intercidat illa causa exceptionis faciendæ. Circa quod olim valde controvertebatur. In primis controvertebatur an, adveniente Episcopo vel Principe, consecratione jam peracta, sed nondum facta ablutione, liceret eidem sacerdoti jejuno aliam missam celebrare, dummodo alius sacerdos non suppeteret? Affirmabant multi cum S. Antonino, 3 part., tit. 13. Negabant multo plures cum Vasquez, De Lugo, Salmantic., S. Alphonso, etc.; « Quid enim refert quod Princeps non audiat illa die Sacrum? Quod si inculpabiliter omisit, non peccavit: si culpabiliter, jam peccatum commissum est, nec tolletur per auditionem Missæ, sed per pœnitentiam. » De Lugo, *De Euchar.,* disp. 21, n. 43. Recte tamen advertit Bonacina quod, si hæc consuetudo vigeret in aliquo loco, haberet vim legis : sed adhuc hodie hujusmodi consuetudinem aliquam existere, mihi non compertum est.

1349. Deinde valde etiam controvertebatur an liceret eidem sacerdoti iterum Missam celebrare, die feriali, ne frequens populus Missa privaretur, Multi affirmabant cum Suarez (In 3, disp. 80, sect. 3); alii cum Salmantic. dicebant, standum esse consuetudini, quæ in hisce rebus magnam vim habet. At vero hujusmodi consuetudo amplius nullibi forsan viget; et Benedict. XIV, III *De Missæ sacrif.*, cap. 5, n. 3, declarat, post concil. Mediolanense V, hanc causam non esse sufficientem ad duas missas ab eodem celebrandas eadem die. Quod insuper declaravit S. Congregatio, in Lingonensi, 23 januarii 1847. Idem dicit Benedictus XIV de benedictione nuptiarum, quæ sine incommodo differi non possent, et de moribundo cui admini-

[1] Cur autem Ecclesia retinuerit morem ter celebrandi Missam die natali Domini, ita ibidem exponit Pontifex : « Vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, ut ostendit canon *Nocte sancta*, *De Consecrat.*, dist. 1; vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta quibus auctor Telesphorus illius canonis impugnatur) parens ac magistra Ecclesia eum ritum die Natalis Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam sacerdos idem plura sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. »

strandum esset viaticum. Deinde hic casus est fere metaphysicus; « nam aut sacerdos qui de moribundo viaticum petente certior fit, jam Sacramentum sumpsit et ablutionem, et tunc non potest amplius secundam missam celebrare, quum non sit jejunus, nec possit propterea particulam ad infirmum deferre. Itaque, ut revera necessarium sit alteram missam celebrare, oportet notitiam ad sacerdotem pervenire inter pauca illa temporis momenta quæ inter communionem et ablutionem interjiciuntur, quod satis est, ut intelligamus, casum fere esse impossibilem. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 5, n. 3. Itaque, prætermissis his et aliis casibus, quibus nuntium misit Benedictus XIV, citato loco, post conc. Mediolanense, constricte innuere oportet casus in quibus vere urgeat *summa causa necessitatis.*

1350. IV. Ponitur germana exceptio. Benedictus XIV, in constitutione *Declarasti Nobis*, 16 mart. 1746, ita habet : « Id tamen unanimi consensu permittitur sacerdoti qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam : tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi rectori, cum dies festi incidunt, bis Sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat... At vero si in altera ex his parochiis sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem divinam facere possit, tum illarum rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. » Huic casui assimilatur circumstantia qua ecclesia, utpote arctissima, impar est ad recipiendum totum populum, vel etiam si impossibile est, ut totus populus conveniat eadem hora. Ita expresse declaravit S. Congregatio Concilii, in causa Ausitana, die 28 maii 1854.

1351. Hæc vero omnia intelliguntur de Dominicis et festis de præcepto; nam S. Congregatio, die 11 septemb. 1841, respondit ad episcopum Namurcensem, non expedire ut concederetur licentia bis celebrandi diebus festivis suppressis. Attamen, die 19 sept. 1859, eadem S. Congregatio Concilii hanc licentiam episcopo Argentinensi, pro festo Circumcisionis, indulsit ad quinquennium.

1352. V. Exceptio communienda est triplici conditione. Pri-

mum requiritur licentia Episcopi, ut sacerdos eadem die duas valeat celebrare missas ; ita expresse declaravit Benedictus XIV, in constitutione *Declarasti Nobis:* « Certissimum illud est, Missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur ; reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercidere videatur ; cujus sane judicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet..... Certum quoque est, facultates ejusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi, vel, si aliquando concedantur, non haberi tanquam alicujus sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. »

Tamen advertit Bouix, in uno vel altero casu, si repentina ac maxima urgeat necessitas, atque sit impossibile licentiam petere, non videri posse verti in crimen, quod sacerdos præsumat licentiam atque bis celebret [1].

1353. Deinde, ex S. Congregatione Concilii, parochus qui ex necessitate, non vero ex officio, duas celebrat missas, tenetur unam tantum applicare populo. Et ex decisione ejusdem Congregationis (Invenitur apud *Analecta*, januar. 1859), *primo*, parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiæ suam missam applicare tenetur, non obstante redituum exiguitate ; bene tamen Episcopus permittere potest, ut solvatur aliquod stipendium itineris et incommodi suscepti ; ita enim decisum fuit ab eadem Congregatione. (Vide *Revue des sciences ecclés.*, n. 17, p. 463). *Secundo*, si bis in eadem parochia missam celebrat, non tenetur quidem utramque applicare populo, sed tamen pro neutra potest stipendium recipere. Vicarii et omnes qui curam animarum non habent, si duas missas celebrent, nullam tenentur applicare ; attamen pro una tantum recipere possunt stipendium.

1354. Demum S. Congregatio Rituum, die 11 martii 1858, declaravit, licitum esse sacerdoti qui duas eadem die celebrat missas, duos adhibere calices, si ita ferat consuetudo, aut si in valde dissitis locis utraque missa esset celebranda. At vero præscripsit sacerdoti, ut, post postremum evangelium, inspiciat

[1] In hujusmodi adjunctis et etiam in aliis in quibus non posset licentiam petere, sacerdoti conceditur, quin petatur, licentia ab archiepiscopo Camberiensi. Vide *Constitutiones synod.*, art. 437.

sedulo imum calicem, ac, si forte aliquid pretiosi sanguinis remanserit, diligenter ex eadem parte calicis quam in Missa sorbeat. Deinde in calicem tantum aquæ infundat quantum vini ante consecrationem immiserit, eamque circumactam ex eadem parte in paratum vas demittat, et calicem purificatorio abstergat. Aquam sic e calice demissam satius est sumere die crastina; vel saltem gossypio aut stupa absorpta comburi, aut in piscinam dimitti, aut etiam exsiccanda in loco decenti reponi debet.

1355. *Nota.* Hic obiter quæritur an liceat interdum Missam interrumpere? Certum est, id licere in quibusdam casibus, quorum præcipuos recenset S. Alphonsus, lib. VI, n. 352 et 354: *Primo* quidem ob concionem post Evangelium, vel processionem excipiendam, vel etiam ad concionem ab altari immediate ante Eucharistiæ distributionem. — *Secundo*, in gratiam supervenientis Principis, vel turbæ peregrinorum, die festo quo alias Missam audire non possent, vel simili justa causa; ex qua, si non fit oblatio, posset incipi Missa de novo ut totum Sacrum audiant. Idem fieri potest in adventu Episcopi, Cardinalis, aut processionis populi. Attamen standum est consuetudini locorum. — *Tertio*, si ante Canonem sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v. g. se non esse jejunum, vel in gratia, vel irregularem et excommunicatum, modo tamen possit relinqui Missa sine scandalo, aut gravi nota; vel etiam si excommunicatus non toleratus præsumat interesse, nec possit expelli. — *Quarto*, si urgeat gravis necessitas, vel propria, v. g. morbus; vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus, aut absolvendus. In aliis tamen sacramentis non ita necessariis non decet inter consecrationem et sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere; vel nisi Pœnitentiæ sacramentum ob phrenesim suscipere non posset. In hoc casu operæ pretium est Extremam Unctionem conferre, quia, si ægrotans in peccatis sit atque attritionem habeat, Oleum infirmorum ad remittenda peccata virtute potitur. Vide Benedict. XIV, *De Synodo*, lib. VIII, cap. 6, n. 5. Loquor de moribundo; si enim ageretur de communione facta ex devotione, non liceret exire de ecclesia vel de sacello cum sacris vestibus statim post sacerdotis communionem, ad communicandum ægrotantem in lecto decumbentem, etiamsi in conventu vel domo contigua sit. Ita declaravit S. Congregatio Rituum, 7 decemb. 1844. Revertens

autem ad Sacrificium sacerdos, si jam peracta sit consecratio, prosequatur Missam, incipiendo ubi desierit. Si autem nondum facta fuerit consecratio, et parva mora intercesserit, scilicet minor quam unius horæ, prosequatur etiam. At si integra hora fuerit interruptum Sacrificium, causa ministrandi Sacramentum extra ecclesiam, et nondum facta fuerit consecratio, Missa iterum incipiatur ab initio. Vide Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 14.

PARAGRAPHUS II

DE DIEBUS QUIBUS LICET CELEBRARE MISSAM

I. — Regulæ generales.

1356. I. Missa privata interdicitur quibusdam diebus. Per se loquendo, quotidie licet celebrare ; sed ex præcepto Ecclesiæ non licet celebrare feria VI in Parasceve [1], sicut omnibus notum est. Sed olim movebatur dubium an liceret celebrare privatim feria V in Cœna Domini et Sabbato Sancto? Dico *olim*, quia multa prodierunt S. Congregationis Rituum decreta, quæ omne dubium excluserunt ; nam expresse declaravit, non licere, etiamsi forte eo die occurrat festum Annuntiationis B. Virginis, vel S. Josephi. Unde Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 3, n. 10, postquam explanaverit sententias non paucorum theologorum qui opinabantur, posse, prædictis diebus, missas privatas celebrari, ita habet : « Verum non intelligimus quid causæ esse possit cur decretis non parcamus sacræ Congregationis Rituum, Apostolica auctoritate confirmatis, quæ disertissime vetant ne quis diebus illis tribus privatas missas celebret. »

1357. II. Missa debet esse solemnis triduo mortis Domini. Secunda regula generalis est, quod non licet officia illius tridui peragere, nisi solemniter et cum cantu ; ita enim expresse præscribunt Rubricæ Missalis, et declaravit S. Congregatio Rituum, 31 aug. 1839 ; petitum enim fuerat : « An in ecclesiis ubi functiones Majoris Hebdomadæ fieri nequeunt, feria V in Cœna Domini celebrari possit missa lecta? *Respondetur negative.* »

[1] Apud Græcos, non licet Missam celebrare in feriis Quadragesimæ, exceptis diebus Sabbati, Dominicæ, et nonnullorum solemniorum festivitatum, uti Annuntiationis ; cæteris diebus celebratur tantum missa Præsanctificatorum. Vide Benedict. XIV, constit. *Etsi pastoralis*, § 6, n. 16 ; et constit. *Demandatum*, § 8.

1358. III. Debet, illo triduo, cantari in ecclesia parochiali vel conventuali. Herd et quidam alii dixerunt, nihil obstare quominus officium alterius tridui Majoris Hebdomadæ celebretur cum Missa in capellis et oratoriis publicis, modo fiat solemniter et cum sufficienti numero ministrorum. Sed S. Congregatio Concilii declaravit, 13 jan. 1685, id non licere. Attamen penes arbitrium Episcopi est rem permittere, prout opportunum judicaverit. Ita decrevit S. Congregatio Concilii, 13 jan. 1753, et S. Congregatio Rituum, 7 sept. 1850.

1359. IV. Missa lecta permitti potest ab Episcopo in Cœna Domini. Missa lecta permitti potest in sacellis monialium, hospitalium, etc., propter infirmos, vel propter eos qui versantur in impossibilitate physica aut morali frequentandi ecclesiam parochialem, si desint ministri ad Missam solemniter celebrandam. Sed tamen ea conditione ut venia quotannis petatur, et missa lecta recitetur priusquam in cathedrali vel matrice Conventualis incipiat. Ita decisum est a S. Congregatione, 27 mart. 1773, et 31 aug. 1839. Dixi *propter infirmos*, etc. ; requiritur enim aliqua causa communis seu publicæ utilitatis, quia missa *privata* celebrari non licet, absque speciali indulto Apostolicæ Sedis, etsi agitur de oratoriis monialium sub clausura viventium; ita decrevit S. Congregatio Rituum, 1 septemb. 1838.

1360. V. Missa lecta nonnisi ex indulto Apostolico dici potest in Sabbato Sancto. Missam lectam nunquam licet dicere Sabbato Sancto, nisi ex indulto Apostolicæ Sedis ; et tunc omittuntur Prophetiæ, et omnia quæ præcedunt Missam ; et non licet eam celebrare priusquam pulsentur campana. Ita decrevit S. Congregatio Rituum, 28 jul. 1821, et 22 jul. 1848. Sabbato enim Sancto non licet conficere Sacrum, et Missa quæ illa die cantatur vel legitur, pertinet ad noctem Paschæ, cujus officium anticipatur. Propterea accenditur Cereus Paschalis, cujus ritus totus nocturnalis est. Unde, apud Armenos, Missa Sabbato Sancto non inchoatur nisi quarta hora post meridiem.

1361. Cur autem requiratur indultus Apostolicus ad missam lectam Sabbato Sancto dicendam, dum sufficit Episcopi licentia pro feria V in Cœna Domini, optime declarat Benedictus XIV, instit. 38, n. 5 : « Si quis hujus instituti causam scire velit, statim ipsam explicabimus. Eadem feria V sacræ Eucharistiæ solemne festum celebratur quam in postrema Cœna Christus Dominus in-

stituit; quo tempore, juxta concilii Tridentini sententiam, sacerdotium quoque Apostolis contulit. Quare sicut divinus Salvator sibi primum, ac deinde Apostolis sacrosancta mysteria tradidit, ita consentaneum fuit ut sacerdos feria V Majoris Hebdomadæ, sumpta divina Eucharistia, ipsam postea universo clero distribueret, qui Ecclesiæ adscribitur, ubi Sacrum peragitur. » Propterea, ut fideles ipsi possint ipsa die communicare, licet, in singulis parœciis, quamvis desint clerici pro cæremoniis peragendis, officia celebrare juxta parvum cæremoniale Benedicti XIII, vel etiam simpliciter legere Missam, ex licentia Episcopi, si sacerdoti non suppetant media observandi regulas hujusce cæremonialis.

II. — Regulæ particulares.

1362. I. Pro feria V in Cœna Domini. Duæ sunt peculiares regulæ pro concursu festorum S. Josephi et Annuntiationis B. Virginis cum triduo Majoris Hebdomadæ. Prior spectat ad feriam V, et adæquate delineatur in decreto S. Congregationis Rituum, 13 septemb. 1692 : « Cum anno proxime venturo occurrat festum S. Josephi in feria V Majoris Hebdomadæ, exortum fuit dubium, attenta universali consuetudine Ecclesiæ celebrandi eo die unam tantum missam, an una cum officio ipsius S. Josephi transferri debeat anno prædicto etiam obligatio audiendi Missam, ac vacandi ab operibus servilibus? Dubioque hujusmodi in S. Rituum Congregatione proposito, eadem Congregatio, ad relationem E. et S. R. card. Albani, re mature discussa, censuit, officium transferendum esse ad aliam diem, juxta rubricas Breviarii Romani et decreta ipsius Congregationis ; cæterum præceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus prædictis non esse transferendum, sed servandum esse prædicta feria V Majoris Hebdomadæ, adeoque per ordinarios locorum accurate providendum ut eo die aliquæ quidem missæ privatæ ante celebrationem solitæ missæ Conventualis celebrandæ pro præcepti implemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis cleri in missa solemni ejus diei, quo Ecclesia SS. Eucharistiæ institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. »

1363. II. Pro feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto. Habetur specialis regula in decreto S. Rituum Congregationis, confirmato ab Alexandro VIII, 11 mart. 1690 : « Ad tollenda du-

bia exorta super celebratione festi SS. Annuntiationis B. M. Virginis in feria VI in Parasceve, vel in Sabbato Sancto occurentis, declarando decretum editum die 11 febr. proxime præteriti, decrevit, festum Annuntiationis, in casu proposito, una cum præcepto audiendi Missam et vacandi ab operibus, in Ecclesia universali, transferri debere ad feriam II post Dominicam in Albis, etiam quocumque alio festo impeditam, ita ut eadem feria prænemorato festo Annuntiationis assignata et stabilita intelligatur..... Firmo in reliquis remanente prædicto decreto edito die 11 februarii, nempe quod in Sabbato Sancto celebrationes missarum privatarum omnino prohibeantur in quibuscumque ecclesiis et oratoriis privatis, non obstante quacumque contraria consuetudine, et unica tantum missa Conventualis una cum officio ejusdem Sabbati Sancti celebretur. Et facta de prædictis SS^mo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua annuit, ac præsens decretum imprimi et evulgari mandavit. »

PARAGRAPHUS III

DE HORA QUA LICET CELEBRARE MISSAM

I. — Regula Juris traditur.

1364. I. Enuntiatio regulæ. Regulam quoad horam celebrationis Missæ ita tradit Rubrica Missalis : *Missa privata, saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora, ab aurora ad meridiem dici potest.* Eadem regula delineatur a S. Carolo Borromæo, in conc. Mediolanensi I : « Missa nec ante auroram, nec post meridiem, nisi ex causa jure permissa, celebretur. » Et D. Thomas, 3 p. q. 83, a. 2, ad 4 : « Regulariter Missa debet celebrari in die, et non in nocte.... : ita tamen quod principium diei accipiatur, non a media nocte, nec etiam ab ortu solis, id est, quando substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora ; tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, inquantum claritas radiorum ejus apparet. Unde et *Marci* 16, 1, dicitur quod *mulieres venerunt ad monumentum orto jam sole*, cum tamen venerunt, *cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*, ut dicitur, *Joan.* 20, 1. Sic enim hanc contrarietatem solvit Augustinus, in lib. III *De consensu Evang.*, cap. 24. Specialiter tamen in nocte Natalis Domini Missa celebratur propter quod Dominus in nocte natus est, ut dicitur, *De Consecrat.*, dist. 1, cap. *Nocte*, etc. Et

similiter etiam in Sabbato Sancto circa noctis principium, propter hoc quod Dominus nocte surrexit, id est, cum adhuc tenebræ essent, ante manifestum solis ortum. »

1365. II. SOLVITUR DIFFICULTAS. Nec obstat quod Christus in suprema Cœna Eucharistiam celebraverit hora serotina ; nam « Christus voluit ultimo hoc sacramentum discipulis suis tradere, ut fortius eorum cordibus imprimeretur ; et ideo post cœnam in fine diei hoc sacramentum consecravit, et discipulis suis tradidit. At nobis tamen celebratur hora Dominicæ passionis, scilicet diebus festis in tertia, quando crucifixus est linguis Judæorum, ut dicitur, *Marc.* 15, et quando Spiritus Sanctus descendit super discipulos ; vel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est manibus militum, ut habetur, *Joan.* 19, vel diebus jejuniorum in nona, quando voce magna clamans emisit spiritum, ut dicitur, *Matth.* 27. Potest tamen tardari, maxime quando sunt Ordines faciendi, et præcipue in Sabbato Sancto, tum propter prolixitatem officii, tum quia Ordines pertinent ad diem Dominicam, ut habetur in *Decret.*, dist. 75, cap. *Quod a Patribus.* Possunt tamen missæ celebrari in prima parte diei, propter aliquam necessitatem, ut dicitur, *De Consecr.*, dist. 1, cap. *Necesse est.* » 3 p. q. 83, a. 2, ad 3.

1366. III. DETERMINATUR AURORA PRO NOSTRIS REGIONIBUS. Operæ pretium est definire quanam hora diei incipiat aurora pro variis anni mensibus; sæpe enim tempus obtenebratur, et non potest aurora perspici; aliquando etiam sacerdos, pro imbecillitate visus, nequit primam claritatem radiorum solis intueri. De Lugo, *De Euchar.*, disp. 20, sect. 1, n. 31, ita declarat auroræ apparitionem : « Non intelligitur ortus solis, sed prima ejus irradiatio in nostro hemispherio, quæ pro diversis temporibus magis vel minus præcedit ortum solis, aliquando enim præcedit solum per horam et quadrantem horæ, ut in mense martio; aliquando per duas horas et quadrantem, ut in mense junio; aliquando per horam et dimidiam, uti in februario et septembre ; aliquando per duas horas ; aliquando per unam cum tribus quadrantibus. Itaque, excepto martio, semper durat crepusculum illud ad minus per horam et dimidiam; quod totum tempus auroræ tribuitur; et in eo procul dubio potest celebrari. »

Illæ computationes variæ sunt pro variis regionibus ; attamen sunt fere eædem, quando regiones non sunt ab invicem dissitis-

simæ ; unde computationes quas De Lugo fecit pro Hispania et Roma, coincidunt cum illis quas Arago, in opere *Astronomie populaire,* fecit pro civitate Parisiensi. In regionibus autem Septentrionis, in quibus non datur aurora physica aliquot anni mensibus, attenditur ea moraliter et politice, id est, aurora computatur tempore quo operarii surgunt e somno et labori incumbunt : ita decrevit S. Congr. Rituum, 18 sept. 1634.

1367. IV. In praxi res sumitur moraliter. Fere impossibile est in praxi determinare auroram physice et mathematice ; et ideo omnes conveniunt, rem esse æstimandam moraliter. Unde nulla est culpa Missam terminare in aurora, et eam incipere parum ante meridiem. Et quamvis Clemens XI secus præceperit in quodam suo edicto, nihilominus postea, cum hoc punctum rursus examini mandatum fuisset, Benedictus XIII annuit, posse tolerari latitudinem tertiæ partis horæ, tum ante auroram, tum post meridiem : idemque per edictum publicatum fuit sub Clemente XII. S. Alphons., lib. VI, n. 341. Benedictus XIV, in lib. III *De Missæ sacrif.* 3, idem docet : « Æquitate quadam, juxta eam quæ etiam Romæ viget praxim, tolerari solet ut Missæ horæ triente ante auroram et post meridiem celebrentur. »

1368. V. Rationes regulæ. Cujus regulæ varias rationes afferunt auctores. Prima desumitur ex Passione Christi, quæ celebrata est a tertia hora usque ad nonam ; et ideo regulariter in illa parte diei celebratur Missa, quæ est Passionis repræsentatio et memoria — Secunda desumitur ex ipsomet Christo, qui offertur in Missa; est enim *candor lucis æternæ, lumen de lumine, lux vera, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum.* Unde ipse dixit, *Joan.* 9, 4 : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari ; quandiu in mundo sum, lux sum mundi.* — Tertia desumitur ex natura Legis novæ, quæ est Lex gratiæ ; Lex gratiæ autem significatur per diem, dum Lex vetus significatur per noctem. — Quarta desumitur ex veneratione debita Sacrificio, quod est excellentissima et divinissima actio ; et ideo prærequirit tempus magis aptum ut adamussim omnia peragantur tum a sacerdote, tum a ministro. Porro ad hoc dies aptior est quam nox, ut patet. Ergo.

II. — Exceptiones ab Ecclesia admissæ.

1369. 1° Prima inducta est a pristino Ecclesiæ Romanæ more quem significavit S. Leo Magnus Dioscoro Alexandrino episcopo, *Epist.* 79 (Alias 81), scilicet devotio alicujus partis populi, quæ aliunde privaretur sua devotione. Vide *De Consecr.*, dist. 1, cap. *Necesse est*. Unde sat diffunditur, maxime in magnis urbibus, consuetudo celebrandi Missam summo mane, videlicet aut quinta aut quarta hora diei, tempore hiemali, ut opifices et famuli possint audire Sacrum. Quod maxime verificatur diebus festis de præcepto et Dominicis, quibus, juxta Suarez, licet celebrare etiam post duas horas meridianas, ne magna pars populi Missa careat. Quo tamen in casu tutius est Episcopi licentiam obtinere. « Attamen, inquit Benedictus XIV post Sotum, quod hoc fiat ad inserviendum deliciis eorum qui noctes aleis et crapulis vacando in dies vertunt, diesque dormiendo in noctes, non potest non esse vituperio dignum. » III *De Missæ sacrif.* 7, n. 5.

1370. 2° Nefas est æque protrahere Missæ inchoationem post meridiem, sicut licet anticipare ante auroram ; attamen auctores admittunt communiter, esse licitum illam inchoare per horam post meridiem, causa itineris, funeris alicujus magnatis, publicæ supplicationis, consecrandi hostiam ad moribundum communicandum. Item, si, die solemnis festi, missa cantata protrahatur ad horam et amplius post meridiem, potest tunc inchoari missa privata, ne multi frustrentur auditione Sacri. Item quando Episcopus confert Ordines. Attamen Clemens XII improbavit malum usum Missam, occasione cujusdam solemnitatis, multas horas celebrandi ante auroram, multasque ibidem horas post meridiem. Vide Benedict. XIV, loc. cit.

1371. 3° « Si Episcopus dispensat in aliquo casu particulari, ex rationabili causa, juxta quam facultatem possunt Episcopi secum etiam dispensare. Ita De Lugo, Salm., cum Navar., Laym., Pal., Conc. Et recte dicit Croix, l. 6, p. 2, n. 225, eamdem facultatem habere omnes superiores, secluso privilegio, erga suos religiosos, cum sint eorum Ordinarii. » S. Alphons., lib. VI, n. 344.

1372. 4° Tandem ex privilegio ab Apostolica Sede concesso. Quod quidem privilegium potissimum ordinibus religiosis concessum fuit; sic Benedictus XIV, in bulla *Romanæ Ecclesiæ*,

die 30 jun. 1741, concessit Militiæ S. Januarii, in Siciliæ regno, facultatem celebrandi Missam, una hora ante auroram, « sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio. » Item, die 16 decemb. 1743, in bulla *Quoniam inter*, indulsit Militiæ Hierosolymitanæ, in gratiam personarum nobilium et qualificatarum, « ut missas per horam ante lucem, ac per horam post meridiem audire, et celebrari facere valeant. »

III. — Ablegantur duæ exceptiones.

1372. Suarez, De Lugo et alii non pauci existimarunt, licere in Natali Domini dicere tres missas ante auroram, quia in cap. *Nocte sancta, De Consecr.*, dist. 1, absolute conceditur, quod in nocte Nativitatis missas celebrent presbyteri. Sed hanc interpretationem manifeste excludit Rubrica Missalis, quæ ita habet: « Prima missa dicitur in nocte; secunda in aurora; tertia in die. » Quod confirmatur per decretum S. Congregationis Rituum, 18 decemb. 1702 : « Non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successive alias duas (missas), et communionem sacram exhibere. »

Non pauci, inter quos Scotus, S. Antoninus, Durandus, affirmarunt, esse licitum unicuique celebrare Missam, hora tertia post meridiem ; quia sacrificium Altaris debet esse ad instar sacrificii Crucis, quod consummatum est hora nona, id est, tertia hora post meridiem. Unde Sylvius, in 3, q. 84, a. 2, dicit, « etiam temporibus S. Thomæ solemniter celebrabatur ab hora tertia usque ad nonam, sive ab ea quæ nobis est nona ante meridiem usque ad tertiam pomeridianam. » Sed quidquid id est de more antiquo, hodie oppositum omnino tenendum est, ut docet Suarez, in 3, disp. 80, sect. 4, et communiter recentiores theologi. Concilium enim Tridentinum, sess. 22, in decreto *De observandis in celeb. miss.*, expresse decernit, « ut ordinarii edicto et pœnis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent. » Porro, ex Rubrica Missalis et universali consuetudine, hora tertia pomeridiana non est hora debita. Ergo. Deinde S. Pius V, in bulla *In Christo Pater*, prohibet, « in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis sub pœna perpetuæ suspensionis a divinis præsumat, quovis prætextu, etiam licentiarum, in Vesperis celebrare. » Ergo, infert S. Alphonsus, celebratio sub Vesperis non poterit excusari a culpa gravi, cum talis celebratio præsum-

ptio a Pontifice declaretur et expressa inobedientia. Lib. VI, n. 345.

IV. — Peccatum illius qui violat temporis regulam.

1373. Violatio illius regulæ est peccatum ex se grave, cum versetur in materia gravi ; et aliunde patet ex gravi pœna qua Pius V communivit suam prohibitionem. Ita communiter theologi, qui tamen « in hoc admittunt parvitatem materiæ, quæ excuset a mortali, et, cum causa, etiam veniali, nempe si Missa terminetur parum ante auroram, et incipiatur parum post meridiem. Sed valde discrepant in assignanda tali materia. Azorius.... assignat pro materia gravi tertiam horæ partem ; Layman.... mediam horam ; communius vero et probabilius censuit Sylvius.... Pal.... Bon.... Salm..., non esse materiam gravem, nisi incipiatur Missa hora ante auroram, vel hora post meridiem. » S. Alphonsus, lib. VI, n. 346.

V. — Obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante celebrationem Missæ.

1374. Triplex sententia. Quia Rubrica Missalis, quoad horam celebrandi Missam, prærequirit Matutini Laudumque recitationem, propterea in præsenti ponitur hæc quæstio, circa quam triplex est sententia. Alii pauciores affirmant, illam rubricam esse de consilio tantum, subindeque non inducere obligationem sub peccato. Ita Tambur., Holzm., et alii apud S. Alphons., lib. VI, n. 347. Alii non pauci, duce S. Antonino [1], penitus in contrarium sentiunt, et tenent, hujusmodi inversionem esse peccatum mortale, nisi excuset rationabilis causa. Pro hac sententia, quam ipse propugnat, decisione 50, *De sacrif. Missæ*, Clericatus quinque ac quinquaginta auctores affert. Suarez, in 3, disp. 82, sect. 1, n. 1, dicit, illam esse valde communem. Innititur quadruplici potissima ratione : *Primo*, in generali Ecclesiæ consuetudine, quæ habet vim legis atque sub gravi obligat in re gravi. *Secundo*, in Rubrica Missalis, quæ, tit. *Rubricæ generales*, n. 15, tradit regulam, juxta quam præmitti debeant Matutinum et Laudes; et, ti-

[1] « Qui nondum dictis Matutinis celebrat, mortaliter peccat, secundum Guillelmum et Hostiensem; quamvis postea diceret; ex hoc quia facit contra generalem et approbatam consuetudinem Ecclesiæ. » *Summa*, 3 p., tit. 13, cap. 4, § 4.

tulo *Rubricæ de defectibus*, n. 10, inter defectus Missæ recenset quod celebrans Matutinum cum Laudibus non dixerit : porro ibi non numerantur nisi graves defectus ; ergo. *Tertio*, in constitutione *Sub Catholicæ*, quam Innocentius IV, 6 mart. 1254, edidit, ut componeret dissidia inter ritus Latini et ritus Græci episcopos in insula Cypri, et in qua habet : « Sacerdotes autem dicant Horas Canonicas, more suo, sed Missam celebrare, priusquam officium Matutinale compleverint, non præsumant. » *Quarto*, huc facit etiam ratio, siquidem Matutinum est officium nocturnum, Missa vero diurnum : atqui ponere diurnum ante nocturnum, maxime in re tam sancta ac divina, videtur gravis inordinatio ; ergo, etc.

Alii vero mediam perlustrantes viam, docent, illam inordinationem esse quidem peccatum, si fiat absque rationabili causa, sed duntaxat veniale. Ita Soto, Suarez, Vasquez, Concina, Bonacina, Salmanticenses, Lessius, Sylvius, Toletus, Benedictus XIV, S. Alphonsus et communissime theologi moderni.

PROPOSITIO I

Non est peccatum mortale dicere, absque causa rationabili, Missam ante Matutini et Laudum recitationem.

1375. Prob. 1° *Directe.* Missa non dicit majorem ordinem ad Horas Canonicas, quam ipsæ Horæ inter se, sed potius minorem, quia Horæ Canonicæ sunt ejusdem rationis, et componunt unum officium ex omnibus conflatum, ad quod Missa non pertinet. Porro, fatentibus omnibus, inversio Horarum non est ex se peccatum mortale ; nam illa inversio præcise sumpta est materia levis. Ergo neque mortale erit celebrare Missam antequam recitetur Matutinum.

1376. 2° *Indirecte.* Quatuor sententiæ oppositæ fundamenta sunt nutantia. Ergo. *Primo*, *ad consuetudinem Ecclesiæ :* Matutinum et Laudes considerari possunt dupliciter, nempe vel inquantum sunt præparatio ad Missam, vel inquantum ordinantur ad eam, sicut Horæ Canonicæ ad invicem. Porro sub neutro respectu consuetudo obligat sub gravi. Ergo. Minoris prima pars constat multifariam. In primis recitatio diurni officii per se non est instituta, ut sit dispositio vel præparatio ad Missam, sed propter se præcipitur ad publicam orationem in Ecclesia faciendam ;

non est ergo cur sine majori fundamento dicamus, esse sub hac ratione præceptam, quia, licet aliquid ad hoc conferat, tamen aliis etiam modis potest animus convenienter præparari. — Deinde, si hæc recitatio esset præcepta ut necessaria dispositio, non liceret, ob solam ægritudinem vel aliam similem ordinariam causam, dicere Missam sine tali præparatione; sicut non licet dicere, haud servato jejunio, etiam si quis, ob ægritudinem, non valeat jejunus ad altare ascendere. Porro est certum apud omnes, quod, ob capitis debilitatem, vel similem causam, ab obligatione recitandi Officium excusetur, et nihilominus possit Missam dicere. Ergo. — Tandem alioqui Ecclesia non sat providisset huic scopo, quum permittat recitare Matutinum et Laudes diei sub finem diei præcedentis; unde, licet admonet sacerdotes Rubrica Missalis, ut, priusquam Sacrum faciant, aliquantulum orationi vacent, hoc tamen non intelligitur de præcepto, sed de consilio. Ergo recitatio Matutini et Laudum, quatenus sunt præparatio ad Missam, nullo pacto videtur stricte præcipi.

Minoris secunda pars constat etiam multifarie. Primum quidem, ut consuetudo inducat præceptum sub gravi, considerandum est, non solum quid fiat, sed etiam qua ratione fiat: porro, in præsenti, verum est quod regulariter solent Matutinum et Laudes dici ante Missæ celebrationem, tamen hoc non fit ut servetur ordo inter illa duo, sed ut singula suis temporibus accommodate fiant; unde communissime theologi negant, fuisse introductam hanc consuetudinem sub prædicta ratione. Ergo. — Deinde, etiamsi daremus, illam consuetudinem fuisse introductam directe, ratione ordinis, nihilominus ejus transgressio per se non esset peccatum mortale, quia ordo ille non est res magni momenti; neque enim ad cultum Dei multum spectat, neque ad reverentiam Sacramenti, neque ad aliquem alium gravem finem, qui ad Dei vel proximi charitatem pertineat. Præsertim cum solum agamus de Officio et Sacrificio privatim factis, ex quorum mutatione, quoad ordinem, per se non sequitur scandalum, neque aliud grave incommodum. Et ita corruit quartum fundamentum. Suarez, in 3, disp. 82, sect. 1, n. 4.

Secundo, ad Rubricam: Ultro concedo, Rubricam Missalis non esse directivam tantum, sed etiam præceptivam; at non ideo constat, eam obligare sub mortali, nisi præsupponatur, omnes Missalis Rubricas, saltem Rubricas *De defectibus,* obligare sub

mortali. Porro oppositum fulciemus infra ; et, quoad præsentem casum, res patet ex dictis *ad primum* : recitatio enim Matutini et Laudum est penitus extrinseca Missæ, et nonnisi remote ad ipsam refertur.

Tertio, ad bullam Innocentii IV : Nec ullum est verbum in responso Innocentii, quod innuat, hujusmodi obligationem esse sub gravi. Porro non omnes Pontificum prohibitiones obligant sub gravi. Ergo non potest ex loco ab adversariis adducto erui argumentum demonstrans.

1377. *Nota I.* At vero, « si quis, nulla urgente causa perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo nunquam celebrare, dictis Matutino et Laudibus, tunc cum illis quinque et quinquaginta auctoribus quos sententiæ suæ suffragatores affert Clericatus, et ex rationibus ab ipso adductis concludi posset, hujusmodi sacerdotem, peccare mortaliter. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap 13, n. 4.

1378. *Nota II.* « Si sermo sit de missa Conventuali, videtur peccatum esse mortale eam ante Matutinum et Laudes celebrare ; id enim est contra generalem Ecclesiæ consuetudinem. » Benedict. XIV, ibid. Et hoc quia vix fieri potest immutatio, quin populus scandalizetur. Deinde, quum recitatio illa publica in choro sit in materia gravi spectante ad publicum Dei cultum, commune bonum atque regimen Ecclesiæ requirunt, ut officium publice recitatum ac missa communis recitentur temporibus statutis. Ita Suarez, Salm., Sylvius, S. Alphonsus (lib VI, n. 348), et communiter alii theologi contra Sanchez et pauciores alios. Tamen advertit Suarez, hoc esse intelligendum regulariter ac moraliter ; in aliquo enim raro casu posset id fieri sine culpa, duabus servatis conditionibus, scilicet quod vitetur scandalum et aliqua gravis ac publica causa intercidat.

PROPOSITIO II

Celebrare Missam ante Matutini et Laudum recitationem, sine ulla rationabili causa, est peccatum veniale.

1379. Prob. 1° *Ex vi Rubricæ.* De obligatione observandi Rubricas Missalis fuse scripsit Quartus in *Quæstionibus proœmialibus*, ubi ostendit, vehementer eos falli qui Rubricas putant esse meras instructiones et consilia ; diserte enim S. Pius V, in

bulla in principio Missalis posita, ait : « Mandantes et districte omnibus et singulis præcipientes, in virtute sanctæ obedientiæ ut Missam juxta ritum, modum et normam quæ per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant. » Porro Rubrica aperte prohibet Missam celebrare, nisi dicto Matutino et Laudibus, sicut prohibet celebrare ante auroram et post meridiem. Ergo.

Confirmatur. Omnino certum est, sacerdotem teneri, saltem sub levi, omnem defectum in celebratione Missæ arcere. Porro, ex rubrica *De defectibus*, n. 10, est defectus in celebratione Missæ, si « celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. » Ergo.

1380. 2° *Ex natura rei.* Talis omissio importat aliquam indecentiam, quia Matutinum est officium noctis, Missa vero officium diei. Ergo inversio inter illa est inordinatio. Ergo est peccatum. Quia tamen non est magni momenti, sicut jam inculcavi, non excedit peccatum veniale. Unde Grancolas, quem citat Bened. XIV (lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 13, n. 4), concilia profert aliquot provincialia, quæ sub excommunicationis pœna, vetant ne quis sacerdos, non recitato Matutino et Laudibus, Missam celebret.

COROLLARIUM

1381. Quapropter rationabilis causa etiam levis sufficit, ut sacerdos ab omni culpa excusetur, si Missam dicat ante Matutini et Laudum recitationem ; v. g. jussus Superioris, commoditas studii, itineris, populi, ne scilicet expectet, etc.

ARTICULUS II

DE TEMPORE QUO SACERDOS TENETUR MISSAM CELEBRARE

Quia jam definitum est tempus quo sacerdos tenetur offerre Sacrificium, ratione muneris et officii, remanet inquirendum quo tempore obstringatur ad celebrandum, ratione Ordinis et stipendii.

PARAGRAPHUS I

DE TEMPORE QUO SACERDOS TENETUR CELEBRARE, RATIONE ORDINIS

1382. Duplex sententia. S. Bonaventura, Alensis, Cajetanus, et alii quibus favet De Lugo (disp. 20, sect. 1), tenent, sacerdotem nonnisi sub levi, secluso scandalo, obstringi ad aliquando celebrandum. Subdit tamen De Lugo, n. 13, « hodie vix posse excusari a culpa gravi sacerdotem non celebrantem per totum annum, quia scandalum grave generat, et indicium est corruptissimæ vitæ. »

S. Thomas, Suarez, Vasquez, Salmantic., Bonacina, et alii multi quos citat et sequitur S. Alphonsus, lib. VI, n. 313, affirmant, sacerdotem obstringi gravi obligatione ad aliquando celebrandum. Et huic sententiæ aperte favet Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 1.

PROPOSITIO

Sacerdos tenetur sub gravi, ratione Ordinis suscepti, Missam aliquando celebrare.

1383. Prob. 1° *Scriptura. Lucæ* 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* « Quibus verbis, ait Benedic. XIV, disertissime præceptum Apostolis injungitur et sacerdotibus ut Missam celebrent, et ejus corpus et sanguinem æterno Patri offerant in Sacrificium. » Unde ipsimet adversarii fatentur, his verbis contineri præceptum offerendi, sed non ita tamen ut singuli obstringantur hoc præcepto ; quippe imponitur communitati, ne in Ecclesia Dei desit oblatio sacrificii Missæ, eodem ferme pacto quo præceptum ineundi matrimonium toti communitati, non vero singulis ejus membris, impositum est illis *Genes.* 1, 28 : *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Latius enim patet potestas quam præceptum offerendi, et, procul dubio, data fuit singulis ita ut possint singulis etiam diebus offerre, et tamen non præcipitur offerre singulis diebus. « Sicut ergo ex parte objecti latior est potestas quam præceptum, sic ex parte personarum ; nam potestas datur singulis seorsim : præceptum imponitur singulis, prout componunt communitatem. » De Lugo, disp. 20, n. 10.

Sed, pace tanti auctoris, illa interpretatio videtur minus consonare verbis Christi et materiæ præcepti. Verbis quidem Christi, qui æque ad omnes et ad singulos Apostolos dixit : *Hoc facite ;* et quemadmodum singuli fuerunt per illa verba ordinati sacerdotes, ut definivit concil. Tridentinum ; ita singuli acceperunt præceptum offerendi. Materiæ vero, « quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud II *Cor.* 6 : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari ; sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti Sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare. » 3 p. q. 82, a. 10, o [1]. Quemadmodum igitur, ratione muneris et officii, sacerdos tenetur erga homines Sacramenta ministrare, tempore opportuno ; ita, ratione Ordinis, tenetur erga Deum offerre Sacrificium, tempore opportuno.

Hebr. 5, 1 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Primarius igitur ac præcipuus finis ordinis sacerdotii est, fatentibus omnibus, offerre sacrificium Missæ ; et aperte colligitur ex verbis Pontificalis : *Accipe potestatem offerendi Sacrificium et celebrandi Missas, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Porro libera prætermissio finis primarii et præcipui in re tam magna, sicut est sacerdotium, gravis est inordinatio; inordinatio autem gravis et libera esse non potest absque gravi peccato. Ergo. Administratio Sacramentorum est finis veluti secundarius Ordinis suscepti ; unde non videtur, ratione Ordinis, grave peccatum, si sacerdos ab eis ministrandis temperet. Dico *ratione Ordinis*, quia ratione muneris suscepti, potest esse grave peccatum.

1384. Objicit De Lugo diaconum, qui, ratione Ordinis suscepti, destinatur primario ad cantandum Evangelium et ministrandum sacerdoti, et tamen non videtur peccare mortaliter, si

[1] Et ibid., ad 1 : « Alia sacramenta perficiuntur in usu fidelium ; et ideo in illis ministrare non tenetur nisi ille qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur, ad quod sacerdos obligatur Deo, ex Ordine suscepto. »

penitus se abstineat ab hoc munere exercendo. Sed *nego paritatem*. Primum enim munus diaconi quasi infinite distat a munere sacerdotis ; unde nihil obstat quominus non sit peccatum mortale in uno, et sit tamen in alio. Deinde munus diaconi refertur totum ad munus sacerdotis, respectu cujus se habet veluti aliquid accidentarium, non vero substantiale et integrum, et a fortiori non essentiale ; neque sumi potest in se independenter a munere sacerdotali. Porro non exercere potestatem quæ data est ad aliquid accidentarium, ex se non videtur grave peccatum ; unde si absit rationabilis causa, quamvis non gravis, potest diaconus, sine peccato, etiam veniali, ab officio suo temperare.

1385. 2° *Concilio Tridentino*. Sess. 22, cap. 1 : « Et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem*. » Idem habet can. 2. Unde sic : « Concilium declarat, Christum locutum fuisse ad Apostolos ut sacerdotes, et in ipsis ad omnes futuros sacerdotes, et non tantum ad pastores Ecclesiæ, vel in communi ad Ecclesiam ; sentit ergo, præceptum singulos obligasse. » Suarez, in 3, disp. 80, sect. 1, n. 3. *Confirmatur*. Sess. 23, *De Reformatione*, cap. 14 : « Curet Episcopus ut ii (sacerdotes), saltem diebus Dominicis et festis solemnibus ; si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. » Illa verba Concilii includunt proprie dictum præceptum, sicut exposuit S. Carolus Borromæus, et Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 1, n. 7, et in constit. *Declarasti nobis*, 16 mart. 1746, expresse dicit : « Illud verbum *curet* præceptum inferre in hac gravissima causa, non est dubitandum. » Porro, si non esset obligatio celebrandi, ratione Ordinis, Concilium non demandasset Episcopo curam hujusmodi, aut saltem discrimen reposuisset, quoad dies Dominicos et festos, inter eos qui curam animarum habent, et eos qui non habent. Ergo. Aliunde his verbis Concilium non videtur novam sacerdotibus imponere obligationem, sed solum Episcopum monere, ut curet quod sacerdotes impleant præceptum quo obstringuntur.

1386. 3° *Pontificibus Romanis*. Innoc. III, in cap. *Dolentes, De Missarum celebratione :* « Sunt et alii qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno... Hæc igitur et similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus. » Unde ad minus datur præce-

ptum ecclesiasticum celebrandi Missam pluries in anno. De Lugo reponit, pœnam esse ferendæ sententiæ, non vero latæ, ac ideo non obligare sub gravi ; deinde, præceptum non esse universale, sed dirigi ad prælatos tantum, et quidem peculiaris cœtus. At, si res ita est, non est cur Pontifex tam vehementer doleat supra eorum agendi rationem, neque est res mala non celebrare quater in anno. Non est etiam cur illa Pontificis verba fuerint Juri Canonico inscripta inter Decretales, quæ prorsus jus universale declarant.

S. Pius V jussus est ex commentariis Cajetani expungere locum in quo dicebat, nunquam celebrare esse tantum veniale peccatum. Ergo existimavit Pontifex, nunquam celebrare esse peccatum mortale. Frustra etiam reponunt adversarii quod S. Pontifex jusserit expungi hunc locum, non quod falsa doctrina occalluerit, sed quia mentem D. Thomæ non reddebat ; hæc enim ratio non satis est ad emendationem istiusmodi ; sunt et alia loca, in quibus Cajetanus deflectit a D. Thomæ sententia, et tamen S. Pius V non omnia jussit ea deleri. Unde Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 1, n. 10, expresse adversariorum pessumdat interpretationem ; quod, ut ipse ibidem monet, jam fecerat edicto 55, et III *De Canonizat. Servorum Dei*, cap. 27, n. 6.

1387. 4° *Ratione. Primo*, quia videtur esse spiritualis prodigalitas, longo tempore se privare usu tam perfectæ potestatis et fructu Sacrificii. — *Secundo*, quia cum potentia sit propter actum, inordinatio est suscipere potestatem consecrandi, et postea illa non uti, sed quasi otiosam habere. — *Tertio*, quia præter charitatem esse videtur privare Ecclesiam magno illo fructu, quem ex hoc sacrificio participat. — *Quarto*, quia sacerdos, ex vi Ordinis, accepit onus offerendi sacrificia pro peccatis, sicut optime arguit D. Thomas. (Vide supra, n. 1383.) Illæ omnes rationes conglobatim sumptæ probant plus quam levem obligationem. Unde, si in Evangelio Jesus Christus damnat servum nequam qui fodit et abscondit pecuniam Domini sui, quid fiet in eo qui repositum in sudario habet omnium talentorum pretiosissimum, videlicet gratiam sacerdotii et potestatem offerendi Missæ sacrificium ?

1388. Nec obstat quod dicit De Lugo, scilicet quod sacerdotes aliqui piissimi, aut in solitudine degentes, aut etiam in hominum consortio, nunquam sacrificaverunt, vel saltem per inte-

grum annum sese a sacrificando abstinuerunt reverenter ; hoc, inquam, non obstat, quia, ut dicit optime Suarez (In 3, disp. 80, sect. 1, n. 4), « multa interdum operantur Sancti ex speciali Spiritus Sancti motione, præter communem legem, quæ nobis imitanda non sunt. » Ita quoque Benedictus XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 2. Hoc Spiritu actus, S. Paulus in eremo sexaginta annis latuit, neque sacra Eucharistia refectus est, ad quam tamen recipiendam ter in anno, juxta legem tunc vigentem, obstringebatur. Hoc etiam Spiritu acti aliqui sancti mortem sibi intulerunt, aut sponte in ignem proripiendo, aut gladio guttur abscidendo, etc., ut palmam martyrii adipiscerentur.

1389. Neque etiam obstat quod iterum objicit De Lugo, nimirum quod nec divino, neque ecclesiastico præcepto fuerit determinatum tempus quo sacerdotes teneantur celebrare ; namque primævis Ecclesiæ sæculis non erat præfixum tempus quo facienda esset communio, et tamen, fatentibus adversariis, urgebat præceptum divinum communicandi. Sicut igitur illis sæculis non fuit ratio determinandi tempus communionis faciendæ, saltem sub gravi, quia fere omnes sponte sat superque adimplebant præceptum divinum; ita hucusque sacerdotes fere omnes, et divinum, et ecclesiasticum celebrandi præceptum adimplent ; et siqui sint qui sese abstineant, sine rationabili causa, prorsus adeo obdurati et pervicaces sunt, ut vix ad eos coercendos polleret Ecclesiæ statutum. Aliunde dici potest quod providerit concilium Tridentinum, sess. 23, *De Reformatione*, cap. 14, supra citato, n. 1385.

Quæritur quoties urgeat præceptum celebrandi Missam ?

1390. I. Urget, saltem sub veniali, Dominicis et festis solemnibus. « Quod attinet ad dies quibus sacerdos qui neque curam animarum, nec, præter sacerdotium, quemquam alium titulum habet celebrandi Missam, tenetur celebrare, quidam canonistæ existimarunt, obligari ad celebrandum quotidie, et, si per negligentiam facere omittat, peccare mortaliter. Verum nimis dura hæc opinio visa est, ut ait S. Antoninus... D. Thomas eum obligari dicit ad celebrandum in præcipuis illis solemnitatibus in quibus fideles sacramentum Eucharistiæ solent percipere.... Dicendum, S. Doctoris consentire doctrinam cum S. Tridentina synodo, quæ

sacerdotibus animarum curam non habentibus præscribit ut in diebus Dominicis et solemnibus festis Missam celebrent.... Et S. Carolus Borromæus, ejus S. Synodi spiritu plenus, in suo concilio I provinciali, tit. *De frequenti Divini sacrificii oblatione*, ait : *Cum pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti pro hominibus constituuntur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis ; Episcopus Dominicis et reliquis festis diebus, nisi jure impediatur, Missam celebret. Tridentini enim concilii auctoritatem secuti præcipimus sacerdotibus reliquis, cujuscumque gradus, et dignitatis et conditionis illi sint, ut iisdem diebus Missam celebrare non omittant.* Huic Mediolanensi concilio jungi potest Rhemense, anno 1583 habitum,.... Tolosanum, anno 1594.... Et quamquam Innoc. III, in cap. *Dolentes*, *De celebrat. Missarum*, improbet eorum negligentiam qui vix quater in anno celebrabant...., inde tamen nullus inferat, satis esse, si sacerdos septies aut octies in anno Missam celebret. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrificio* 1.

1391. II. Dubium est an urgeat sub gravi omnibus illis diebus. « Difficilius profecto est aliam solvere quæstionem, an sacerdos qui legitime non impediatur, Missam iis diebus quos diximus celebrare omittens mortaliter peccet. D. Thomas, loco cit., ubi hanc materiam tractat, non definivit, sacerdotem graviter peccare. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 1, n. 6 et seq. Summistæ tamen communius de obligatione gravi exponunt D. Thomam, ut ibidem declarat Benedictus XIV. Deinde usurpat illa Juvenini verba, *De Euch. sacrif.*, q. 7, cap. 1, a. 1 : « Cum tamen nec concilii Tridentini Patres, nec S. Carolus in concilio Mediolanensi definierint, sacerdotem cui non incumbit cura animarum, peccare lethaliter, si singulis Dominicis ac reliquis festis diebus non celebraverit ; neque etiam nos audemus definire. »

1392. III. Certe peccat mortaliter qui nunquam celebrat in anno. « Concludendum igitur, quin huic quæstioni quidquam præjudicatum velimus, concludendum, inquam, non posse sustineri sententiam eorum qui statuunt, venialiter tantum peccare sacerdotem qui non habens curam animarum, nec aliter adstrictus ad Missam celebrandam, nunquam per annum celebret... Dicendum etiam, non posse eum sacramento confessionis absolvi qui constituisset animo nunquam per annum Missam celebrare, etiamsi id constituisset propterea quod sæpe in peccatum

consuevisset incidere ; voluntarium enim peccatum est, et tenetur illud vitare, ut sacrificium Missæ digne possit celebrare.... Denique dicendum, circumstantias quasdam posse occurrere in quibus sub mortali teneatur sacerdos celebrare per annum, etiamsi Dominicis et festis diebus celebret, puta si celebranda Missa opus esset, ut infirmo viaticum deferretur.» Benedictus XIV, ibid., n. 10.

1393. IV. Probabilius tenetur sub gravi celebrare ter vel quater in anno. S. Alphonsus, lib. VI, n. 313, dub. 3, dicit, communiorem sententiam esse quod sacerdotes non teneantur sub gravi ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno, in festis solemnioribus, vel etiam probabiliter quibuslibet diebus, dummodo ter vel quater celebret. Deinde addit : « Et hæc sententia est conformis decreto S. Congregationis Concilii, edicto mense novembre 1696, ubi dictum fuit : *Qui, sine justa causa, ter vel quater in anno non celebraverit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri.* » Sed non ideo difinivit Congregatio, tunc tantum committi peccatum mortale.

PARAGRAPHUS II

DE TEMPORE QUO CELEBRANDA EST MISSA, RATIONE STIPENDII

1394. I. Ubi est conventio. 1° Si conventio facta fuerit de die et hora, sacerdos qui accepit stipendium, tenetur Missam celebrare illa die et hora ; et quidem sub gravi, si stipendium non fuerit porrectum nisi sub illis conditionibus.

2° Si Missa expresse petatur pro urgente necessitate ; v. g. pro felici partu, lite vincenda, etc., sacerdos tenetur sub gravi Missam celebrare, priusquam adveniat eventus, intuitu cujus Missa fuit petita ; imo tenetur ad restitutionem, etsi forte post præfixum tempus Missam celebravit. Si quis autem petierit missas confestim celebrandas, atque celaverit intentionem suam, non satis est restituere stipendia, si missæ non fuerint celebratæ tempore præfixo ; sed sacerdos tenetur omissionem patefacere ei qui stipendio erogavit, ut ipse sibi providere queat. Hæc omnia consectaria consequuntur ex natura quasi-contractus.

1395. II. Ubi non est conventio. Si nulla facta sit conventio de die et hora, Missa celebrari debet *infra modicum tempus* ; ita expresse decrevit Urbanus VIII, die 21 junii 1625, et confir-

mavit Innoc. XII, in bulla *Nuper*. Et ratio patet ex ipsamet natura rei ; si enim graviter delinquunt qui culpa sua copiam pecuniæ non solvunt, quidni hi qui diu differunt spiritualia solvere debita, quæ tanto utiliora quanto præstantiora sunt? Deinde non leve infertur damnum iis pro quibus Missa est celebranda ; nam, si pro anima purgatorii, ipsa, non una tantum hora, sed multis diebus, mediis in flammis molestissimis torquebitur : si pro salute animæ, vel etiam corporis hominis adhuc viatoris, ingens ei damnum forte infertur.

Quid vero intelligendum venit nomine *modici temporis?* Alii trium annorum; alii sex mensium dilationem censuerunt esse modicam. Alii communius, freti Jure Canonico et concilio Tridentino ipso, modicam dixerunt dilationem duorum mensium. Nam, in cap. *Præsentium*, causa 7, q. 1, pastor qui abfuit per duos menses, non dicitur suæ ecclesiæ defuisse : et Tridentinum, sess. 23, cap. 1, *De Reformatione*, illud spatium extendit etiam ad tres menses, pro omnibus qui ad residentiam tenentur. « Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt : sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto duos, aut ad summum tres menses excedere. » At, ut facile liquet, non datur paritas ; ideo, etsi illa juris loca dictæ sententiæ videantur favere, attamen illius veritatem neutiquam demonstrant. Sane, ex decisione S. Congregationis Concilii, 17 julii 1655, quam refert Benedictus XIV, *Notif.* 56, n. 14: *Modicum tempus non reputandum spatium duorum vel trium mensium, sed intelligi infra mensem.* « In missis autem pro defunctis, dilationem unius mensis merito gravem reputant Salmantic., Escob., Sporer, Ronc., Tourn., Croix, dum dicunt, missas pro defunctis citius celebrandas quam pro vivis. » S. Alphons., lib. VI, n. 317, quær. 2 [1].

1396. III. Ubi præsumitur error. Si ille qui præbet stipendia versetur in errore, existimans scilicet, sacerdotem infra modicum tempus, vel paucos dies missas esse celebraturum, sacerdos tenetur admonere illum ; in omni enim contractu vel

[1] In nostra tamen Camberiensi diœcesi statuta synodalia sacerdoti concedunt tres menses, ut celebret missas quarum stipendia accepit. Art. 429

quasi-contractu singuli contrahentes tenentur se invicem admonere, si alteruter versetur in errore qui respiciat contractus objectum. Si autem in omni contractu et quasi-contractu præcavendus est error atque servanda æqualitas, a fortiori ubi agitur de re sacratissima, sicut Missa. Nec satis est adhibere formulam infuscam, ut non pauci assolent facere ; v. g. *Statim hac potero, missas dicam*, et alias hujusmodi. Forsan non poteris ante tres vel quatuor menses ; et ille qui dat stipendia, putat, illa verba innuere brevissimum tempus, v. g. unam aut alteram hebdomadam. Ideo illæ formulæ sunt prorsus illusoriæ. Recta ratio, imo et justitia requirit ut tunc admoneas erogantem eleemosynas, ita ut plane tempus præfixum noverit.

1397. Bene advertit S. Alphonsus, post Tournely, « quod cum missæ traduntur celebrandæ alicui communitati plurium sacerdotum, tunc præsumitur qui dat eleemosynam pro multis missis, velle citius eas celebrari. » Unde si communitas jam magna missarum copia abundet, nec possibile sit implicito desiderio ac voluntati illius qui nova præbet stipendia, obtemperare, tenetur superior communitatis vel ejus vices gerens expresse tempus quo celebrabuntur missæ aperire. Si vero stipendia non tradantur de manu ad manum, sed mittantur in gazophylacium, quod eo fine in ecclesia constituitur, qui deserviunt illi ecclesiæ, tenentur admonere de dilatione in libellis supra gazophylacium collocatis : « In ecclesiis in quibus multæ colliguntur eleemosynæ pro missis celebrandis, non licet eas in adeo ingenti numero accipere, si congruo tempore omnibus satisfieri non possit, vel saltem apponenda esset in publico tabella, in qua notum fieret offerentibus eleemosynas quod celebratio missarum propter ingentem numerum, differri oporteat. » Bouix, *De Capitulis*. Quod aliunde decretum est S. Congregatione Concilii, 5 april. 1875, ex cujus responsione ad plura dubia colligitur : 1° prohiberi quæcumque intentioni oblatorum contraria sunt : 2° semper commonefaciendos esse oblatores de translatione, de dilatione celebrationis missarum, ac de usu excedentis eleemosynæ, quando missæ nec in loco oblationis, nequé infra modicum tempus celebrandæ sunt, aut aliquid de stipendio subtrahitur ad pios usus. Quæ quidem subtractio nequit fieri absque Apostolicæ Sedis licentia.

ARTICULUS III

DE FREQUENTI CELEBRATIONE MISSÆ

1398. Duplex sententia. Alii pauciores putant melius consultum, si raro Missa celebretur ; « ac dictum Tertulliani oggerunt : *Semper abundantia contumeliosa in se est,* et illud Amalarii diaconi Metensis, lib. III *De eccles. offic. : Quidquid raro fit, pretiosius fit, cum fit.* Afferunt etiam considerationem devoti auctoris *De Imitatione Christi ;* is adversus cordis duritiem hominum exclamat, qui de tanto tamque ineffabili dono nihil aut parum cogitent, et quotidiana consuetudine in negligentiam et indifferentiam decidant. Producunt etiam Odonis, secundi abbatis Cluniacensis, sententiam, qui, in suis *Collationibus,* ait, in Ecclesiæ primordiis haud ita sæpe, sed majori cum devotione Missam celebrari consuevisse..... Denique ad experientiam provocant, quæ demonstrat, eos sacerdotes qui rarius celebrant, sensibili compunctione cordis, et multis cum lacrymis Sacrificium offerre ; nec illud prætermittunt quod pii prudentesque animarum rectores consilium dant sacerdotibus, ut aliquoties Missam omittant, nec quotidie celebrent. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.,* cap. 2, n. 2. Alii vero melioris notæ theologi catervatim in oppositum sentiunt.

PROPOSITIO

Per se loquendo, et seclusa speciali prohibitione Ecclesiæ, non solum est licitum sacerdoti quotidie sacrificare, verum etiam ex se melius est magisque consulendum.

1399. Prob. 1° *Praxi Apostolorum.* « Walfridus ex binis *Actorum Apostolicorum* locis, quorum alter : *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis ;* alter : *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione,* infert, Apostolos quotidie Missam celebrasse. In actis S. Andreæ,quæ sincera esse existimant Baronius et Natalis Alexander, saltem nihil non verum continere fatetur Tillemontus, beatus ille apostolus ad Proconsulem, a quo ad inania simulacra adoranda compellabatur : *Ego,* inquit, *omnipotenti*

Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie,non taurorum carnem, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari ; cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus,qui sacrificatur, integer perseverat et vivus. » Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 2, n. 7.

1400. 2° *SS. Patribus.* S. Cyprian., *Epist.* 54, *ad Cornelium* : « Episcopatus nostri honor grandis et gloria est pacem dedisse martyribus, ut sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo et victimas præparemus. » — Baronius testificatur, S. Ambrosium quotidie Missam celebrasse. Idem testificatur Amphilochius de S. Basilio Magno. Innocentius I, *Epist.* 1 ad Exuperium, episcopum Tolosanum, probat pudicitiam a sacerdotibus custodiendam, quod nullus dies illucescat quo non offerant Sacrificium. Vide Benedict. XIV, loco citato, et Suarez, in 3, disp. 80, sect. 2, n. 5.

1401. 3° *Ratione. Primo, ex natura Sacrificii.* Sacrificium Missæ, in vaticinio *Danielis* 12, appellatur *Juge* : et quum Deo cultum perpetuo debeamus, inde maxime conveniens est Deo et naturæ Sacrificii, quod quotidie a sacerdotibus offeratur in omni loco oblatio munda Agni immaculati.

1402. *Secundo, ex dignitate Sacramenti.* « Sacrum enim corpus Christi est Redemptoris nostri et redemptionis nostræ memoriale dulcissimum ; pignus hæreditatis nostræ, futuræ jucunditatis amabile præludium, arrha sponsæ, jocale divinum cœlitus ei donatum, Ecclesiæ militantis et triumphantis suave glutinum et unio fraternalis dulcedinis, dum eamdem dulcedinem, qua ille fruitur sine velamento, iste habet sub mirabili Sacramento. » S. Antoninus, 3 part., tit. 13, cap. 6, § 13.

1403. *Tertio, ex fidelium utilitate.* « Quia enim fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc Sacramentum offertur. Unde et Dominus nos petere docet, *Luc.* 11, 3 : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* quod exponens Augustinus, in lib. *De verbis Dom.*, serm. 28, a med., dicit :d *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit.* » 3 p. q. 83, a. 20. Si vero attendatur ad fructus ex opere operantis, dum sacerdos publice celebrat, sic illos describit S. Antoninus, in loco supra citato : « Dat enim celebrans occasio-

nem devotis affectibus, suspiriis et compunctionibus ; servit fidelibus ad multas oblectationes spirituales quas habent, Missæ astando, corpus Christi videndo, reverenter adorando, et memoriam agendo suæ sacratissimæ passionis. »

1404. *Quarto, ex utilitate et suavitate sacerdotis.* « Quantæ enim jucunditatis et dulcedinis est, tantæ rei sacramentum verbo conficere, habere præ oculis, contrectare manibus, ore sumere, et aliis ministrare.... Hoc est quod solet accendere desiderium, humilitatem ingerere, compunctionem inducere, præ aliis fiduciam et spem erigere, ad amorem inflammare, infundere gaudium, ad reverentiam excitare, totam mentem liquefacere et oblectare ; propter hæc enim excitanda in nobis tanti boni præsentia indulta est. » S. Antoninus, loco citato. Adde quod sacerdos qui nonnisi rare celebrat, multis fit obnoxius periculis, quæ sic ibidem exponit S. Antoninus : « Periculum moræ, quia de facili irregularitas, vel infirmitas, vel alius defectus, aut impedimentum poterit occurrere; ita quod diu, aut forte nunquam celebrare continget. »

1405. *Quinto, ex munere sacerdotali.* « Sicut laicis regulariter non sit consulendum, ut quotidie communicent, sacerdotibus tamen consulendum, ut quotidie sacrificent ; est enim id, per se loquendo, melius ; nam munus sacrificandi non est privatum, sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiæ, et ideo dummodo indignus non sit, et moralem ac humanam diligentiam adhibeat, quamvis sit imperfectus, non debet ab hoc sacro munere cessare. Accedit etiam quia cum sit specialiter ad hoc munus consecratus, et habet proprium ac peculiare jus ad offerendum, et habet paratum speciale auxilium divinum, ut sancte conficiat. Per hoc tamen non intendimus negare quominus ex reverentia et timore, aliquo die interdum hoc munus intermittere possit esse et bonum, et utile, et alicui fortasse consulendum juxta diversas personarum conditiones, et varias Spiritus Sancti divisiones gratiarum. » Suarez, in 3, disp. 80, sect. 2, n. 5.

COROLLARIUM

1406. « Quapropter, ait S. Alphonsus, nescirem a culpa levi excusare sacerdotem illum qui quotidie celebrare posset (una hebdomadis die excepta ob reverentiam), et sine ulla justa causa, sed tantum ob desidiam a celebrando abstineret ; sacerdos enim

non solum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiæ, populique christiani, juxta illud Apostoli : *Omnis pontifex*, etc.... Hinc oritur (prout dicebam) quædam necessitas, quam sacerdos habet celebrandi; et ideo facilius episcopi concedere possunt sacerdotibus celebrandi licentiam in ipsorum domibus, durante eorumdem infirmitate. » Lib. VI, n. 359, in medio.

EVERTUNTUR FUNDAMENTA ADVERSÆ SENTENTIÆ

1407. In primis, sinistre ibi applicatur dictum Tertulliani et Amalarii, scilicet pretiosius esse quod rarius est aut fit ; nam Sacrificii pretium ex iis spiritualibus bonis quæ supra memoravimus, æstimandum est; quæ bona eo sunt majora quo frequentius fit Sacrificium.

Deinde non obstant verba piissimi auctoris Imitationis ; ipse enim exclamat contra eos, aut qui indigne conficiunt, aut ita tepide et negligenter, ut peccent saltem venialiter celebrando, atque sese exponunt periculo indigne celebrandi. Porro cum dicimus, melius esse frequenter et etiam quotidie celebrare, quam a celebrando temperare, hoc volumus dictum de eo qui digne celebrat.

Postea vetus Ecclesiæ disciplina, nedum nobis adversetur, pro nobis facit, sicut patet ex praxi Apostolorum et SS. Patrum, n. 1399 et 1400. Adversarii objiciunt quædam facta particularia, maxime pristinum morem Carthusianorum, qui nonnisi diebus Dominicis celebrabant, et auctoritatem S. Francisci ab Assisio, qui fratres suos exhortatus est, ut unica tantum missa singulis diebus essent contenti. At primum hæc facta particularia, esto quod sint vera, non possunt prævalere contra universalem Ecclesiæ consuetudinem. Deinde mos illorum amborum ordinum innixus erat peculiaribus rationibus ac circumstantiis. Demum aliqui in dubium vertunt illum pristinum morem Carthusianorum, maxime si intelligatur tanquam regula aliqua Ordinis, quod unusquisque monachus non celebret nisi diebus Dominicis ; historia compertum est, Carthusianos pluries in hebdomada olim celebravisse, imo aliquos singulis diebus, et quidem sine dispensatione, ut vult Lupus : « Carthusianus ordo semper ignoravit monastici rigoris dispensationes. Quare hæc fratri Alexandro facta gratia (celebrandi quotidie) demonstrat, quotidianam cele-

brationem fuisse etiam tunc admodum favorabilem. » Verba S. Francisci cardinalis Bona et Benedictus XIV exponunt de missa Conventuali, non autem de missis privatis ; dixit enim S. Franciscus : « Una tantum missa celebretur in die secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. » Atqui mos Romanæ Ecclesiæ, quem prorsus noverat S. Franciscus, non erat ut una tantum missa singulis diebus celebraretur. Ergo verba *secundum formam S. Romanæ Ecclesiæ* intelligenda sunt de unica missa Conventuali, quæ celebrari debet, juxta ritum Romanum. Vide Benedict. XIV, lib. III *De Missæ sacrif.*, cap. 2, n. 9 et 10.

Demum magna compunctio et lacrymarum copia neutiquam sunt dispositiones necessariæ ad digne celebrandum ; imo fieri potest, peculiari Dei consilio, vel alia causa, ut sacerdotes digne celebrantes non experiantur sensibilem devotionem, atque spirituali gaudio ac delectamento non potiantur, uti dictum est in priori parte, n. 702-704. Quod optime ponderavit S. Antoninus, 3 part., tit. 13, cap. 6, § 13 : « Si quis autem illam dispositionem in se judicare voluerit ex sensibili cordis compunctione, profusione lacrymarum, fervore mentis, et similibus sentimentis, ita quod tunc credat, se dispositum quando tale quid sentit, et quando non percipit, indispositum, incaute valde ambulat et sæpissime decipitur. Multoties qui nil talium habent, sunt in magno statu gratiæ ; et qui habent, sunt omnino extra gratiam gratum facientem... Non enim possunt homines communiter, confecti senio, languentes corpore, gravati magnis curis et laboribus, prædicando, confessiones audiendo, curam infirmorum, aut alia necessaria gerendo, magnas in oratione percipere vel expectare dulcedines ; et sic impium esset hominem pro his operibus removere a Sacramento pietatis. »

« Valet ad multa substractio hujus gratiæ et suavitatis : 1° Ut tentatione vel tribulatione gaudium temperemus et mens hominis, ne lasciviat, temperetur. Valet 2° ut timor homini incutiatur, ne tam delectabili bono hic et in futuro privetur, ac eo ardentius tendat ad vitam æternam, ubi semper adhærendum est. Valet 3° ut per fidem ambulantes amplius mereamur. Valet 4° ut tam desiderabile bonum ferventius desideremus, acceptemus gratantius et cautius custodiamus. Valet 5° ut discamus grati esse gratiæ Dei, non nostris viribus adscribere quoties nos promptos in Dei servitio reperimus. Valet 6° ut per hoc timeamus alios judi-

care ex apparenti eorum segnitie; sed magis compatiamur eis, utpote a gratia Dei desertis. Valet 7° quia providet in hujusmodi divina miseratio indiscretioni nostræ, ne videlicet illam dulcedinem sentientes, sectantes vires nostras ultra modum, irrationabiliter consumamur. Valet 8° ad conservandam humilitatem et excutiendam vanam gloriam. Ex talibus enim gratiis magna sæpe sumitur occasio, adeo qui tali semper consolatione gauderent, difficile possent a vanitate spiritus et inani gloria præservari, nisi refrenarentur per tentationem, ut Paulus stimulo, vel per tentationes exteriores. »

Adde quod « hujusmodi affectus seu dulcedines spirituales, in sacramentis perceptis, vel in aliis operibus de genere bonorum, aliquando veniunt præter gratiam. Nam et Judæi et Gentiles in ritibus suis et sacrificiis lacrymas fundunt ex affectione ad illa, quandoque in hoc cooperante diabolo. »

Nota. Nihil dicimus de loco in quo sacrificandum est; neque de supellectili, neque de altari et vasis, quibus sacrificandum est; neque de modo ipso seu ritu juxta quem sacerdos Agnum immaculatum debet mystice mactare : hæc enim omnia extrinseca Sacrificio minus intime ipsi cohærent, atque ad liturgicam pertinent disciplinam, potiusquam ad scientiam Theologiæ stricte sumptam; non enim defluunt a jure divino, neque cum ipso permiscentur. Cæterum de illis omnibus eruditissime ac scitissime pertractavit Benedictus XIV, in opere *De Missæ sacrificio*. Operæ pretium est etiam, ut sacerdos studiose verset paginas tractatus ascetici *De sacrificio Missæ*, a cardinali Bona pientissime scripti. Qui lectioni amborum illorum operum attendet, procul dubio, uberrimum ac divinum fructum metet. Sed ante omnia sacerdos tenetur legere ac in animo defixas habere Rubricas Missalis, in quibus traduntur et præscribuntur compendiose ab Ecclesia, quæ omnis celebrans tenetur scire, priusquam Missæ sacrificium offerat. Si enim dux militiæ artem belli, et unusquisque tenetur scire artem quam exercet; a fortiori sacerdos tenetur servare adamussim omnes Ecclesiæ regulas quoad Missæ celebrationem.

INDEX RERUM

PRÆFATIO

1° Approbatio operis ab Archiepiscopo Camberiensi.... V
2° Auctor Lectori..... VI
3° Dedicatio operis immaculatæ Virgini..... VII

PRÆNOTIONES

I. Eucharistiæ sedes in Theologia. 1. — II. Hujus tractatus dignitas et præstantia. 2-4. — III. Varia Eucharistiæ nomina. 5. — 1° Ratione actionis qua conficitur. 6. — 2° Ratione materiæ ex qua conficitur. 8. — 3° Ratione temporis institutionis. 10. — 4° Ratione loci institutionis. 13. — 5° Ratione rei contentæ. 16. — 6° Ratione suscipientium. 17. — 7° Ratione effectuum. 20. — 8° Ratione amplioris significationis. 22. — IV. Figuræ Eucharistiæ. Error Lutheri. 23. — Figuræ desumptæ : 1° E sensibili sacramento. 24. — 2° Ex re et sacramento simul. 25. — 3° Ex effectibus. 26. — 4° Ex omnibus simul sumptis. 27. — V. Definitio sacramenti Eucharistiæ. 23. — VI. Divisio Tractatus. 30. — Pag. 1 — 10.

PARS PRIMA

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

CAPUT I

DE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ EXISTENTIA

ARTICULUS I. — De reali præsentia Jesu Christi in Eucharistia. — Exponuntur errores. 31-38. — Prop. *In almo SS. Eucharistiæ sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominus noster Jesus Christus, verus Deus atque homo, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium continetur.* — I. *Demonstratio ex Scriptura :* 1° Figuris et Prophetiis. 39-40. — Pro-

missione. 41-54. — 3° Institutione. 55-71. — 4° Usu Eucharistiæ. 72-75. — II. *Demonstratio ex SS. Patribus :* 1° Testimonia argumentosa. 77-85. — 2° Principia ad solvendas difficultates. 86-88. — III. *Demonstratio ex Conciliis.* 89-94. — IV. *Demonstratio ex praxi Ecclesiæ.* 95-100. — V. *Demonstratio ex præscriptione.* 101-102. — VI. *Demonstratio ex miraculis :* 1° Duplex genus miraculorum Eucharistiæ. 103. — 2° Existentia certa miraculorum publicorum. 104-105. — VII. *Convenientiæ Eucharistiæ :* 1° Ratione Incarnationis. 107. — 2° Ratione perfectionis mundi. 108. — 3° Ratione attributorum Dei. 109. — 4° Ratione gratiæ sanctificantis. 110. — 5° Ratione virtutum theologicarum. 111. — Ratione virtutum moralium. 112. — 7° Ratione dignitatis Religionis. 113. — 8° Ratione perfectionis novi Testamenti. 114. — Pag. 11 — 56.

ARTICULUS II. De modo quo Christus fit præsens in Eucharistia, seu de Transsubstantiatione. PARAGRAPHUS I. De Transsubstantiationis existentia.—I. Hæresis Impanatorum. 115. — II. Hæresis Consubstantiatorum. 116. — III. Necessitas nominis *Transsubstantiationis.* 117. Prop. *Christus est substantialiter præsens in Eucharistia per transsubstantiationem.* Thesis fusius demonstratur per argumenta petita : 1° Ex Scriptura. 118-119. 2° SS. Patribus. 120. 3° Conciliis. 121. 4° Liturgiis. 122. 5° Præscriptione. 123. 6° Ratione. 124-127. Corollaria : 1° Durandi et aliquorum sententia de transsubstantiationis natura evasit hæretica post conc. Tridentinum. 128. 2° Attamen hæreticus non est qui rem confitetur et rejicit solum nomen *transsubstantiationis.* 129. — Solvuntur difficultates. 130-134. — PARAGRAPHUS II. De naturâ transsubstantiationis. 1° Exponitur difficultas hujus quæstionis. 135. 2° Transsubstantiatio soli Deo possibilis est. 136. — Sectio I. Definitio, conditiones et species conversionis. 137-143. — Sectio II. Declaratur quid non sit transsubstantiatio : 1° Non est resolutio. 144. 2° Nec annihilatio. 145. 3° Nec mutatio proprie dicta in corpore Christi. 146-148. 4° Nec creatio proprie dicta. 149-151. 5° Nec actio adductiva. 152. 6° Nec mera actio unitiva. 153. 7° Nec simplex desitio panis et vini, addita relatione extrinseca et logica ad præsentiam Christi realem. 154. 8° Neque actio conservativa. 155. — Sectio III. Declaratur quid sit proprie transsubstantiatio : Ponitur quæstio. 156-157. Prop. *Probabilius est, transsubstantiationem esse actionem reproductivam Christi.* 158-161. — Corollarium : Quomodo sumendæ sunt locutiones Patrum circa panis et vini conversionem. 162. — Solvuntur difficultates. 163-168. — PARAGRAPHUS III. De remanentibus speciebus panis et vini. 169. — Sectio I. Quænam species seu accidentia remaneant ? 170-171. —

Sectio II. Modus quo permanent accidentia. — I. Exponuntur et convelluntur falsa systemata : 1° Systema Anastasii Sinaitæ. 172-174. 2° Abailardi. 175-176. 3° Varignonis. 177-178. 4° Magnani. 179-180. — Systema Magnani rejicitur etiam prout proponit illud Theologia Tolosana. 181. — II. Exponitur et propugnatur germana doctrina. 182. Prop. 1ª *Accidentia seu species Eucharistiæ existunt a parte rei, vi solius omnipotentiæ Dei, absque subjecto proprie dicto.* 183-190. Prop. 2ª *In Eucharistia, quantitas dimensiva panis et vini est subjectum aliorum accidentium.* 191-193. — *Nota :* Quantitas, in ordine naturali, non est stricte subjectum aliorum accidentium. 194. — Sectio III. Quomodo species Eucharistiæ agere pative possint, et an ex ipsis aliquid generetur ? I. Possunt agere sicut ante consecrationem. 196. — II. Possunt pati sicut ante consecrationem. 197-198. — III. Magna difficultas circa modum quo ex speciebus accrescit vel etiam producitur substantia. 199-201. — Pag. 56-102.

ARTICULUS III. De modo quo Christus est seu permanet in Eucharistia. — PARAGRAPHUS I. De his quæ sunt sub singulis speciebus. — Sectio I. Utrum totus Christus sit sub singulis speciebus ? — Errores. 202. Prop. *Christus est totus sub singulis speciebus.* 203-207. Corollarium : In Eucharistia sunt partes integrantes Christi. 208. — Solvuntur difficultates. 209-210. — Sectio II. Utrum sub speciebus sint accidentia corporis Christi ? Ponitur quæstio. 211. Duplex sententia. 212. Prop. *Corpus Christi in Eucharistia est cum sua quantitate.* 213-215. Solvuntur difficultates. 216-221. — Sectio III. Utrum corpus Christi sit in Eucharistia sicut in loco ? Prænotanda. 222. — Prop. *Christus non est in Eucharistia tanquam in loco.* 223-226. *Nota :* Potest tamen Christus in Eucharistia pie a fidelibus cogitari sub figura crucifixi. 227. — Corollarium : Præsentia Christi in Eucharistia exsuperat omnem intellectum creatum. 228. — Solvuntur difficultates. 229-231. — Sectio IV. Quid ex vi verborum, et quid concomitanter sit sub speciebus panis et vini ? I. Aperitur quæstio. 232. II. Exponuntur sententiæ. 233. Prop. 1ª *Ex vi verborum, corpus Christi est sub specie panis et sanguis ejus sub specie vini.* 234-235. Prop. 2ª *Anima Christi est etiam sub specie panis, ex vi verborum, quatenus dat esse corporeum, non vero quatenus anima.* 536. Quæritur an totus sanguis Christi sit sub specie vini ? 237. Prop. 3ª *Corpus Christi est sub specie vini et sanguis ejus sub specie panis per concomitantiam.* 238-239. Prop. 4ª *Anima et divinitas Christi sunt in Eucharistia per concomitantiam.* 240. Quæritur an Pater et Spiritus Sanctus sint etiam in Eucharistia per aliquam concomitantiam ?

241-243. — PARAGRAPHUS II. De iis quæ sunt sub qualibet parte specierum. Prop. 1ª *Christus est totus sub singulis specierum partibus post illarum divisionem.* 244-248. Prop. 2ª *Christus est totus sub quibuslibet partibus specierum quantumvis exiguis, ante illarum separationem.* 249-251. Corollarium : Quanto studio particulæ sunt colligendæ. 252. Valde laudabilis videtur usus catilli in communione fidelium. 253. Quæritur an remaneat Christus sub speciebus segregatis tam parvis, ut vix cadant sub sensus ? 254-256. — Solvuntur difficultates. 257-258. — PARAGRAPHUS III. De iis quæ Christus agere et pati potest in Eucharistia. — Prop. 1ª *Christus in Eucharistia non potest moveri per se motu locali, bene autem per accidens, ad motum specierum.* 259-260. Corollarium : Christus in Eucharistia non potest se movere per virtutem naturalem. 261-262. Prop. 2ª *Corpus Christi in Eucharistia nec agere, nec pati potest per actionem corpoream.* 263-266. — Quæritur an Christus, prout est in Eucharistia, possit naturaliter elicere actus sensuum ? 267-268. Prop. 3ª *Intellectus creatus quilibet nec ipsum corpus Christi, nec ejus modum existendi in Eucharistia potest naturaliter videre, bene autem supernaturaliter.* 269-271. Quæritur an oculus corporeus possit aliquo modo videre corpus Christi in Eucharistia ? 272. — PARAGRAPHUS IV. De permanentia Christi sub speciebus eucharisticis, ac de illius desitudine. — Exponitur hæresis Protestantium. 273. Prop. 1ª *Eucharistiæ sacramentum est essentialiter res permanens, et Christus permanenter in eo existit.* 274-284. Prop. 2ª *Christus desinit esse sub speciebus, quando desitura fuisset propria illarum substantia.* 285. Corollarium : Fideles ne diu in ore servent sacram hostiam. 286-288. Quæritur quid fiat, si aliquis liquor misceatur vino consecrato ? 1º Prænotanda. 289. 2º Casus præcipui resolvuntur. 290-291. — PARAGRAPHUS V. De miraculosis et apparentibus mutationibus in Eucharistia. 1º Earum existentia. 292. 2º Modi quibus contingunt. 293. 3º Quandonam destruitur Sacramentum ? 294. 4º Mutatio non fit circa Christum. 295. 5º Quomodo pertractandæ sunt species ? 396. — Pag. 103-147.

ARTICULUS IV. — De cultu Eucharistiæ persolvendo. — PARAGRAPHUS I. De SS. Sacramenti adoratione. — Exponuntur errores. 297. Prop. 1ª *Christus adorandus est in Eucharistia perinde ac si in propria specie videretur.* 298-305. Prop. 2ª *Latriæ cultus, non solum Christo, sed etiam toti Sacramento, prout ex Christo et specie constat, deferendus est.* 306-310. Prop. 3ª *Laudabilis est usus Ecclesiæ proponendi et circumgestandi publice SS. Sacramentum.* 311-318. Quæritur an necesse sit mente ponere

aliquam conditionem quando adoratur SS. Sacramentum ? 319. — PARAGRAPHUS II. De regulis circa custodiam et cultum Eucharistiæ. — I. Regula generalis. 320. — II. Regulæ quoad locum. 322-325. — III. Regulæ quoad tabernaculum. 326-331. — IV. Regulæ quoad lampades. 332-335. — V. Regulæ quoad specierum renovationem. 336-337. — VI. Regulæ quoad expositionem SS. Sacramenti. 338-341. — PARAGRAPHUS III. De veneratione debita rebus quæ spectant ad Eucharistiam. — SECTIO I. De cultu negativo. 1° Prohibitio irreverentiæ et injuriæ. 342-346. — Quæritur an res sacræ converti possint in profanas, et econverso ? 347. Immunitas locorum sanctorum. 348. 2° Prohibitio tangendi vasa et linteamina sacra. 349-353. — SECTIO II. Cultus positivus. 1° Ejus existentia. 354-355. 2° Ejus natura. 356-358. — Pag. 148-178.

CAPUT II

DE ESSENTIA METAPHYSICA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

ARTICULUS I. — De essentiali discrimine Sacramenti Eucharistiæ a cæteris omnibus. — Status quæstionis. 359. Quadruplex potissima innuitur differentia. 360-363. — Pag. 179.

ARTICULUS II. De sacramenti Eucharistiæ partibus constitutivis. 1° Aperitur quæstio. 364. 2° Exponuntur præcipuæ sententiæ. 365-370. Prop. 1ª *Usus Eucharistiæ non est pars intrinsece constituens Sacramentum.* 371-374. Prop. 1ª *Verba consecrationis non sunt pars intrinsece constituens Eucharistiæ sacramentum, sed duntaxat aliquid essentialiter ab eo connotatum, per modum fieri et viæ ad ipsum.* 375-379. Corollarium : Verba consecrationis proxime ordinantur ad Sacrificium. 380. Prop. 3ª *Ratio formalis et essentia metaphysica sacramenti Eucharistiæ non est corpus Christi prout est sub speciebus.* 381-384. Prop. 4ª *Ratio formalis ac essentia metaphysica sacramenti Eucharistiæ non importat directe species et corpus Christi.* 385-386. Prop. 5ª *Ratio formalis sacramenti Eucharistiæ est adæquate in sacris speciebus prout continent corpus et sanguinem Christi.* 387-292. — Pag. 180-193.

ARTICULUS III. — De Unitate sacramenti Eucharistiæ. — PARAGRAPHUS I. De illius unitate specifica. Exponuntur sententiæ. 393. Prop. 1ª *Eucharistiæ sacramentum est absolute ac simpliciter unum specifice.* 394-396. Prop. 2ª *Unitas specifica sacramenti Eucharistiæ desumitur ex unitate finis ad quem, ex Christi institutione, ordinatur.* 397-398. Corollarium : Una species est verum Sacramentum, sed non perfectum. 399-400. — PARAGRAPHUS

II. De unitate numerica sacramenti Eucharistiæ. Exponuntur sententiæ. 401. Prop. 1ª *Eucharistiæ sacramentum est numerice multiplex, prout in multis Ecclesiis et altaribus conficitur.* 402-404. Prop. 2ª *Sacramentum Eucharistiæ suam unitatem numericam sortitur ex ordine ad unam sumptionem.* 405-406. — Pag. 194-200.

CAPUT III

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

ARTICULUS I. — De materia sacramenti Eucharistiæ. — PARAGRAPHUS I. Quænam esse debeat materia sacramenti Eucharistiæ. — Sectio I. Determinatur duplex materia Eucharistiæ. — Exponuntur errores. 407. Prop. *Materia Eucharistiæ remota est panis et vinum.* 408-412. Corollarium : Massa non cocta igne non est materia valida. 413. — Sectio II. Conjunctio utriusque materiæ. 1° Ponitur quæstio. 414. — 2° Exponuntur variæ sententiæ. 415. Prop. 1ª *Ex jure divino, Eucharistia non potest legitime confici nisi in duplici materia.* 416-421. Prop. 2ª *Summus Pontifex non potest dispensare ab obligatione conficiendi Eucharistiam in duplici materia.* 422-426. Innuitur quandonam inculpate sacerdos panem solum consecret ? 427. Quæritur an valide panem consecraret sacerdos qui intenderet non consecrare vinum ? 428. — PARAGRAPHUS II. Qualis esse debeat Eucharistiæ materia ? — Sectio I. Qualis esse debeat panis eucharisticus ? Exponitur quæstio. 429. Exponuntur sententiæ. 430. Prop. 1ª *Solus panis triticeus est materia valida Eucharistiæ.* 431-435. Corollaria. 436-438. Quædam voces latinæ ambiguæ ad grana significanda. 439-441. Prop. 2ª *In utroque pane azymo et fermentato valide confici potest Eucharistia.* 442-445. Prop. 3ª *Convenientior est usus panis azymi, quamvis sub aliquo respectu sit aliqua congruentia conficere in pane fermentato.* 446-451. Prop. 4ª *Unusquisque sacerdos tenetur sub gravi conficere Eucharistiam juxta ritum suæ Ecclesiæ, scilicet Latinus, Armenus et Maronita in azymo, Græcus vero et cæteri Orientales in fermentato.* 452. Quæritur 1° Utrum in casu necessitatis, possit sacerdos Latinus consecrare fermentatum, ad communicandum moribundum ? 453-455. Quæritur 2° An Latinus, dum versatur apud Græcos, et Græcus, dum versatur apud Latinos, possit consecrare indiscriminatim in azymo et fermentato ? 456-457. — Sectio II. Quale esse debeat vinum eucharisticum ? Prop. *Solum vinum de vite est materia valida Eucharistiæ.* 458-461. Quatuor corollaria. 462-465. Quæritur an vinum

congelatum sit materia valida ? 466-469. Duo notatu dignissima quoad vini puritatem et qualitatem. 470-471. — Sectio III. Aqua in vino miscenda. I. Necessitas infundendi aquam in calice. Tres dantur sententiæ. 472. Prop. 1ª *Christus consecravit in vino aqua mixto.* 473-474. Prop. 2ª *Aqua est vino permiscenda.* 475-477. — Solvuntur difficultates. 478-480. Prop. 3ª *Permixtio aquæ non est de necessitate mysterii Eucharistiæ.* 481-485. Prop. 4ª *Probabilissimum est, mixtionem aquæ vino consecrando esse tantum præcepti ecclesiastici.* 486-489. — II. Circumstantiæ servandæ in mixtione aquæ. 1º Aquæ natura. 490. 2º Ejus quantitas. 491-493. 3º Tempus mixtionis. 494. Praxis peculiaris Græcorum. 495. — III. Quid fiat de aqua mixta vino ? Variæ sententiæ. 496-498. Prop. *Probabilius est quod aqua mixta vino convertitur in vinum priusquam in sanguinem Christi convertatur.* 499-507. — PARAGRAPHUS III. De quantitate materiæ eucharisticæ.—Sectio I. Extensio hujus quantitatis. Duplex sententia. 508. Prop. 1ª *Sacerdos valide consecrare potest materiam quantæcumque sit magnitudinis, dummodo illi moraliter præsens sit.* 509-511.—Solvuntur difficultates. 512-514. Prop. 2ª *Quævis pars panis et vini, dummodo sensibilis sit, potest valide consecrari* ? 515-518. — Sectio II. De forma panis eucharistici apud Latinos et Græcos. 519-522. — PARAGRAPHUS IV. De modo quo materia debeat esse. Sectio I. Quomodo debeat esse præsens consecranti ? Prop. *Ad validam consecrationem, necesse est ut materia sit moraliter ac sensibiliter præsens consecranti.* 523-525. Corollaria. 526-529. — Sectio II. Quænam esse debeat intentio consecrantis ad materiam determinandam ? Prop. *Ad validam consecrationem, necesse est ut materia determinetur in particulari per intentionem consecrantis.* 530-531. Quatuor corollaria. 532-535. — Pag. 201-256.

ARTICULUS II. — De forma sacramenti Eucharistiæ. — PARAGRAPHUS I. De forma Eucharistiæ in communi. — Sectio I. Quibusnam verbis Christus consecraverit ? Triplex sententia. 536. Prop. 1ª *Christus consecravit proferendo semel verba :* **Hoc est enim corpus meum,** et : **Hic est enim calix,** etc. 537-540. Prop. 2ª *Primam Christus impertivit benedictionem, quæ fuit distincta a consecratione panis et vini.* 541-543. Corollaria. 544-545. — Sectio II. Utrum sola verba quibus Christus consecravit sint forma Eucharistiæ ? Errores. 546. Prop. 1ª *Forma Eucharistiæ sunt verba sacerdotis determinata et præscripta.* 547-550. Prop. 2ª *Consecratio fit solis verbis quibus ipse Christus consecravit.* 551-557. — Sectio III. Quomodo sacerdos verba consecrationis proferat ? 1º Sensus quæstionis. 558. 2º Triplex sententia. 559. Prop. *Verba*

quibus consecravit Christus, sacerdos recitative simul et enuntiative profert. 560-564. — SECTIO IV. Quænam sit vis et significatio verborum consecrationis? Prima difficultas : 1° Sensus quæstionis. 565. 2° Convelluntur falsæ sententiæ. 566. 3° Vera doctrina. 567. — Secunda difficultas : 1° Ponitur quæstio. 568. 2° Convelluntur falsæ sentiæ. 569. 3° Vera doctrina. 570. Corollarium. 571. Quæritur quid designetur per pronomina **hoc** et **hic** in forma consecrationis? 1° Ratio hujus quæstionis. 572. 2° Refelluntur falsæ sententiæ. 573. 3° Vera doctrina. 575. — PARAGRAPHUS II. De forma consecrationis panis.— SECTIO I. Verba quæ præcise constituunt essentiam hujus formæ. Errores. 576. Prop. 1ª *Omnia verba quæ antecedunt pronomen* **hoc**, *non sunt essentialia formæ consecrationis panis.* 577-581. Prop. 2ª *Verba* **quod pro vobis tradetur,** *quæ proferunt Græci, non sunt essentialia formæ consecrationis panis.* 582-585. Prop. 3ª *Particula* **enim** *non est de essentia formæ.* 586-589. Corollaria : 1° Verba essentialia sunt : *Hoc est corpus meum.* 590. 2° *Omittere particulam* **enim** *est ex se peccatum mortale.* 591. — SECTIO II. Convenientia verborum consecrationis panis. 592. Corollaria. 593-596. — PARAGRAPHUS III. De forma consecrationis vini. — SECTIO I. Verba quæ præcise constituunt essentiam hujus formæ. 1° Ponitur quæstio. 597. 2° Duplex sententia. 598. Prop. *Verba essentialia consecrationis vini sunt tantum ista :* **Hic est calix sanguinis mei.** 599-607. — SECTIO II. Convenientia formæ calicis in Ecclesia Latina adhibitæ. 608-611. — Pag. 257-290.

CAPUT IV

DE CAUSIS EFFICIENTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

ARTICULUS I. — De Institutore Eucharistiæ. — Prænotandum. — PARAGRAPHUS I. De tempore quo Christus instituit Eucharistiam. 1° Declaratur id quod extra controversiam est. 612. 2° Punctum controversiæ. 613. 3° Prænotanda. 614-615. Prop. *Christus, pridie mortis suæ, legale Pascha celebravit, tempore a Lege præfixo, una et eadem die cum Judæis, luna decima quarta, ad vesperam.* 617-624. Corollaria : 1° Falsitas sententiæ Ruperti. 625. 2° Falsitas sententiæ Pauli Burgensis. 626. — Solvuntur difficultates. 627-633. — PARAGRAPHUS II. De convenientia temporis quo Christus Eucharistiam instituit. 634-635. — PARAGRAPHUS III. Perpenduntur tres circumstantiæ institutionis : 1° An lotio pedum præcesserit institutionem Eucharistiæ? 636. 2° An Eucharistia fuerit instituta, præsente Juda, vel postquam a Cœna

discesserat ? 637-638. 3° An fuerit instituta ante cœnam usualem, vel ipsa durante ? 639-641. — Pag. 291-306.

ARTICULUS II. — De ministro Eucharistiæ. — PARAGRAPHUS I. De ministro confectore Eucharistiæ. — SECTIO I. Quisnam sit minister consecrationis Eucharistiæ ? Errores. 642. Prop. *Soli sacerdotes possunt valide conficere Eucharistiam.* 643-649. — SECTIO II. Numerus ministrorum ad conficiendam Eucharistiam. 1° Quoad validitatem. 650. 2° Quoad licitatem. Falsa ac temeraria sententia. 651. Prop. *Praxis qua plures sacerdotes simul eumdem panem eumdemque calicem consecrant, est licita.* 652-656. Duo corollaria : 1° Sacerdotes cum Episcopo celebrantes non tenentur sub conditione consecrare. 657. 2° Debent tamen diligentissime una cum Episcopo verba proferre. 658-659. Quæritur an singuli concelebrantes possint eleemosynam accipere missamque applicare ei qui eleemosynam largitus est ? 660-661. — PARAGRAPHUS II. De ministro Eucharistiæ dispensatore. — SECTIO I. Quinam possint Eucharistiam dispensare ? Prænotandum. 662. Prop. 1ª *Ex jure divino, soli sacerdotes habent potestatem ordinariam dispensandi Eucharistiam.* 663-666. Prop. 2ª *Soli sacerdotes qui habent potestatem jurisdictionis ordinariam vel delegatam, possunt licite Eucharistiam dispensare.* 667-669. Quatuor notatu digna. 670. Prop. 3ª *Diacono convenit ex officio porrigere Christi sanguinem, non vero, si detur communio sub utraque specie.* 671-673. Duo corollaria. 674-675. Quæritur an sacerdos non conficiens possit aliquando sibi porrigere Eucharistiam propria manu ? 676-678. — SECTIO II. Regulæ servandæ in dispensanda Eucharistia : 1ª Sacerdos debet SS. Eucharistiam distribuere intra Missam, statim ac ipse eam sumpsit. 679. Exceptio regulæ expostulat aliquam rationabilem causam. 680. 2ª Licet illam distribuere in missis defunctorum, etiam ex particulis præconsecratis. 681-682. 3ª Per se loquendo qualibet hora diei potest dispensari Eucharistia. 683. 4ª Quoad diem, excipiuntur, ex jure, feria sexta in Parasceve et Sabbatum Sanctum. 684. — Pag. 307-330.

CAPUT V

DE CAUSIS FINALIBUS SEU DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ

ARTICULUS I. — De Eucharistiæ effectibus in anima sumentis. Prop. 1ª *Proprius et præcipuus sacramenti Eucharistiæ effectus est gratia habitualis per modum nutritionis et augmenti in vita spirituali.* 685-687. Prop. 2ª *Eucharistiæ sumptio est antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus*

præservamur. 688-691. Prop. 3ª *Sumptio Eucharistiæ est pignus futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis*. 692-695. Corollarium : Quomodo Eucharistia sit pignus futuræ gloriæ. 696. Prop. 4ª *Sumptio Eucharistiæ, quantum est ex se, producit in anima quamdam dulcedinem et gaudium spirituale*. 697-701. Tria notatu dignissima. 702-704. Prop. 5ª *Eucharistiæ sumptio habet vim remittendi partem pœnæ peccato debitæ, non primario et directe, sed secundario et indirecte*. 705-707. — Pag. 331-342.

ARTICULUS II. — De Eucharistiæ effectibus quoad corpus sumentis. Prænotandum. 708. Prop. 1ª *Eucharistiæ sumptio ingenerat castitatem, seu mitigat fomitem appetitus sensitivi*. 709-713. Prop. 2ª *Eucharistiæ sumptio aliquatenus resurrectionem gloriosam corporis in die novissimo producet*. 714-716. Tria notanda. 717-719. Quæritur an per sumptionem dignam Eucharistiæ fiat aliqua physica ac proprie corporalis unio inter corpus Christi et corpus sumentis ? 720. — Pag. 343-348.

CAPUT VI

DE SUBJECTO SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

ARTICULUS I. — De subjecto capace Eucharistiam suscipiendi. Excluduntur bruta et angeli. 721. — PARAGRAPHUS I. De hominibus non baptizatis. Sententia affirmans pro catechumenis. 722. Sententia negans verior. 723-724. — PARAGRAPHUS II. De hæreticis et schismaticis. 725. — PARAGRAPHUS III. De infantibus et perpetuo amentibus. 1° Veritas de fide. 726. 2° Excluditur prima sententia. 727. 3° Excluditur secunda sententia. 728. 4° Vera sententia. Prop. *Infantes baptizati sunt capaces communicandi valide*. 729-732. — PARAGRAPHUS IV. De amentibus qui habuere olim usum rationis. Prænotanda. 733. Prop. *Probabilius est licere, ex se, Eucharistiam dispensare, in articulo mortis, amentibus qui illius sumptionis judicantur probabiliter digni*. 735-738. Duo notatu digna. 739-741. — PARAGRAPHUS V. De capite damnatis. Sententia negans. 742. Prop. *Reis morte plectendis rite dispositis concedenda est Eucharistia*. 743-746. — Pag. 349-361.

ARTICULUS II. — De variis modis quibus homo communicare potest. 1° Triplex modus communicandi. 747. 2° Communio sub utraque specie. 748. — PARAGRAPHUS I. An communio sub utraque specie sit juris divini pro laicis ? Hæresis et ejus fautores. 749. Prop. *Nullatenus jus divinum communionem sub utraque specie præscribit laicis*, **et clericis** *non conficientibus*. 750-759.

Corollarium : Jure Ecclesia prohibuit usum calicis. 760. Solvuntur difficultates. 761-764. — PARAGRAPHUS II. Utrum communio sub utraque specie uberiorem conferat gratiam ? Prænotanda. 765. Duplex sententia. 766. Prop. *Probabilius est quod, ex opere operato, et ratione Sacramenti, communio sub utraque specie non plus gratiæ conferat, quam communio sub una.* 767-774. — PARAGRAPHUS III. Utrum sapienter Ecclesia Latina communionem sub utraque specie prohibuerit ? Prænotanda. 775. Prop. *Multis, et iis quidem gravissimis rationibus adducta Ecclesia usum calicis prohibuit laicis, et clericis non conficientibus principaliter.* 776-778. An conveniat aliquando eximere aliquam gentem ab illa communi regula, integrum negotium prudentiæ Papæ refertur. 780.— Pag. 362-376.

ARTICULUS III. — De dispositionibus ad communionem requisitis. — PARAGRAPHUS I. De dispositionibus animæ. — SECTIO I. De dispositionibus negativis. — I. Immunitas a peccato mortali. Error Lutheri. 781. Prop. *Qui accedit ad SS. Eucharistiam sine dispositione ad gratiam et cum peccati mortalis conscientia, lethaliter peccat.* 782-786. Quæritur an aliquis occurrat casus in quo liceat Eucharistiam accipere cum peccati mortalis conscientia ? 787. — II. Gravitas peccati illius qui indigne sumit. 788-790. Quæritur 1° an gravius sit sacrilegium accedere cum gravioribus peccatis ? 791-792. 2° Et quale sit peccatum accedere cum peccatis venialibus ? 793-797. — III. Præceptum confitendi mortalia ante communionem. 798. 1° Natura hujus præcepti. 799. Quæritur an qui rite confessus modo, oblitus fuerit alicujus peccati mortalis teneatur illud confiteri ante communionem. 800-801. 2° Necessitas urgens, et defectus confessarii. 802-803. 3° Clausula *quam primum.* 804-807. Quæritur an præceptum confitendi quam primum obliget sacerdotem qui habens copiam confessarii celebrat sine prævia confessione, vel celebrat sine urgente necessitate ? 808. — SECTIO II. De dispositionibus positivis. — I. Præcipui actus quibus constat devotio. 809-812. — II. Peccatum illius qui absque ulla devotione accedit. Prænotanda. 813. Prop. *Qui voluntarie accedit ad sacram mensam sine devotione et cum distractionibus, peccat venialiter.* 814-818. — III. An qui cum indevotione venialiter culpabili communicat, nullum Sacramenti fructum percipiat ? Duplex sententia. 819. Prop. *Devotio non est necessaria ut sumens Eucharistiam percipiat ejus fructum principalem.* 820-825. — *Nota :* Qui sæpe, sed nunquam ferventer, communicat, debet timere ne sit in peccato. 826. — PARAGRAPHUS II. De dispositionibus corporis. — SECTIO I. De dispositionibus negativis. — I.

Maculæ externæ. 827-828. — II. Mundities et castitas corporis. 1° De pollutione nocturna. 829-832. 2° De debito conjugali. 833-837. — III. Jejunium naturale. 1° Jejunii naturalis præceptum. 838-842. 2° Natura hujus jejunii quoad tempus et materiam. 843-854. 3° Casus in quibus non obligat lex jejunii : Articulus mortis. 855-856. Quæritur an et quoties liceat in eadem ægritudine iterum ministrare Viaticum non jejuno ? 857-858. Quæritur an sacerdos non jejunus possit celebrare ad communicandum infirmum, qui alias sine Viatico moreretur ? 859-861. Perfectio Sacrificii. 862. Reverentia Sacramenti. 863-864. 4° Potestas dispensandi a lege illius jejunii. 865-867. — Sectio II. De dispositionibus positivis. 1° Nihil statuit jus divinum. 868. 2° Jus ecclesiasticum. 869. 3° Jus naturale. 870-872. — Pag. 377-426.

ARTICULUS IV. — De obligatione communicandi. — PARAGRAPHUS I. De præcepto divino sumendi Eucharistiam. — Sectio I. De existentia illius præcepti. Duplex sententia. 873. Prop. *Datur præceptum divinum sumendi Eucharistiam.* 874-878. Corollarium : Communio in voto est probabilius de necessitate medii. 878-880. — Sectio II. Quosnam obliget illud præceptum ? Prænotanda. 881. Prop. *Probabilius infideles obstringuntur præcepto divino communionis.* 882-884. — Sectio III. Quandonam obliget illud præceptum ? Multiplex sententia. 885-887. Prop. 1ª *Probabilius præceptum divinum communicandi obligat pluries in vita.* 888-889. Prop. 2ª *Est speciale præceptum divinum communicandi in articulo mortis.* 891-893. Tria corollaria notatu digna. 894-896. Quæritur 1° quoties homines debeant accedere ut præcepto Christi satisfaciant? 897. 2° An ille qui, devotionis causa, paucis ante diebus jam communicavit, teneatur, superveniente mortis periculo, Viaticum sumere ? 898-899. 3° An qui mane communicavit ex devotione, teneatur, aut possit, urgente mortis periculo, Viaticum sumere ? 900-903. 4° An, et quoties liceat communionem iterum ministrare infirmo non jejuno qui jam Viatico munitus est ? 904. — PARAGRAPHUS II. De præcepto ecclesiastico sumendi sacram Eucharistiam. — Sectio I. De existentia hujus præcepti. 1° Antiqua disciplina Ecclesiæ. 905. 2° Recentior et adhuc vigens disciplina. 906. 3° Protestantium blasphemia. 907. — Sectio II. Quasnam personas obliget illud præceptum ? 1° Solos baptizatos. 908. 2° Non improbabiliter hæreticos et schismaticos. 909. 3° Anni discretionis moraliter sumendi. 910. 4° Ætas qua facienda est prima communio. 911. — Sectio III. Quandonam obliget ? 1° Obligat tempore Paschæ. 912? 2° Quid sit tempus paschale? 913-914. — Sectio IV. In

quo loco facienda communio paschalis. 1° Regula generalis. 915-917. 2° Exceptiones vi consuetudinis introductæ. 918-921. — Sectio V. Per quamnam communionem adimpleatur præceptum? 1° Sententia falsa et olim sat communis. 922. 2° Doctrina catholica. 923-925. — Sectio VI. Excutiuntur duo dubia. Quæritur 1° an qui prævidet, se impediendum fore ne in Paschate communicet, teneatur tempus præscriptum prævenire? 926-928. Quæritur 2° an qui tempore paschali communionem omisit culpabiliter, aut versatus fuit in impossibilitate communicandi, teneatur communicare, transacto tempore paschali? 929-931. — Pag. 427-457.

ARTICULUS V.—De frequenti communione.—PARAGRAPHUS I. De catholica doctrina circa frequentem communionem. Exponitur triplex error. 932-935. Prop. 1ª *Nullum est præceptum obligans fideles ad communionem faciendam quoties Missæ intersunt.* 936-938. Prop. 2ª *Frequens communio ex se optima atque valde utilis est.* 939-946. Prop. 3ª *Non expedit omnibus qui immunes sunt a mortali, cujuscumque status et vitæ sint, quotidiana communio.* 947-950. Prop. 4ª *Unusquisque fidelis, quoad frequentis communionis usum, tenetur sui confessarii judicio et moderamini obtemperare.* 951-955. Quam prudenter eligendus conscientiæ moderator! 956. — PARAGRAPHUS II. De regulis præcipuis ad frequentem communionem spectantibus.— I. Tres regulæ pro agendi ratione concionatorum : 1ª Nunquam deterreant a frequenti communione. 957. 2ª Nullum limitem ex cathedra præfigant. 958-959. 3ª Attamen non convenit incitare ex cathedra, nisi forte in cœtu religioso, ad frequentiorem quam hebdomadariam. 960. — II. Regulæ pro agendi ratione confessariorum : 1ª Habenda est ratio status et muneris pœnitentis. 961. 2ª Facilius permitti debet frequens communio sacerdotibus celebrantibus, quam cæteris fidelibus omnibus. Non ideo tamen sacerdos est immunis a perfectiori præparatione. 963. 3ª Frequentem communionem nefas est permittere iis qui frequenter in mortale labuntur. 964. 4ª Lapsus etiam frequens in venialia non obest frequenti communioni, bene vero affectus ad illa. 965. 5ª Frequentia restringenda est, si minuatur reverentia Sacramenti et non augeatur profectus in via perfectionis. 966. 6ª Frequentia extendenda est sensim usque ad quotidianam, si non minuatur reverentia Sacramenti et augeatur fervor. 967. Quonam sensu requiritur magna devotio? Necessitas gratiarum actionis. 969. — Pag. 458-478.

PARS POSTERIOR

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRIFICIO

PRÆNOTIONES

I. Nexus hujus partis cum priore. 970. — II. Dignitas et jucunditas hujus partis. 971-972. — III. Vocis *Missæ* etymologia et antiquitas. 973-977. — IV. Definitio sacrificii Missæ. 978. — V. Divisio hujusce partis. 979. — Pag. 479-483.

CAPUT I

DE SACRIFICIO IN GENERE

ARTICULUS I. — De natura sacrificii. Sacrificii variæ acceptiones. 980-981. — PARAGRAPHUS I. Arcentur adulteratæ definitiones. 982. Prop. 1ª *Nec quævis cæremonia, neque quodvis opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, est vere ac proprie dictum sacrificium.* 983-987. Corollarium : Declaratur quo sensu cultus dicatur sacrificium. 988. Prop. 2ª *Omnis oblatio Deo facta non est verum ac proprie sacrificium.* 989-990. — PARAGRAPHUS II. Proponitur ac fulcitur germana sacrificii definitio. 991-1003. — Pag. 484-492.

ARTICULUS II. — De necessitate sacrificii. 1° Variæ sententiæ. 1004. 2° Sacrificium est de jure naturali. 1006. 3° Quomodo sacrificium est de jure naturali ? 1006-1007. — Pag. 493-494.

ARTICULUS III. — De auctore sacrificii. 1° Ponitur quæstio. 1008. 2° Duplex sententia. 1009. Prop. 1ª *Inspecta generali tantum ratione sacrificii, homines potuissent valide ac licite sacrificia instituere.* 1010-1013. Prop. 2ª *Nonnisi publica auctoritas sive divina, sive humana potest sacrificia instituere.* 1014-1016. — Pag. 495-498.

ARTICULUS IV. — De sacrificiorum speciebus. — I. Ratione causæ instituentis. 1017-1019. — II. Ratione materiæ. 1020. — III. Ratione formæ. 1021-1022. — IV. Ratione finis. 1023. — Pag. 499-501.

CAPUT II

DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ

Error Protestantium. 1024. Prop. *In Missa seu celebratione Eu-*

charistiæ verum et proprie dictum offertur sacrificium. Probatur thesis. 1° Figuris. 1025-1032. 2° Vaticiniis. 1033-1035. 3° Novo Testamento. 1036-1042. 4° Summis Pontificibus et Conciliis. 1043-1044. 5° SS. Patribus. 1045. 6° Praxi Ecclesiæ. 1046-1049. 7° Præscriptione. 1050-1051. 8° Ratione. 1052-1056. Solvuntur difficultates. 1057-1063. — Pag. 502-525.

CAPUT III

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ

ARTICULUS I.— De re oblata quæ Missæ essentiam ingreditur. — PARAGRAPHUS I. Exponuntur et impugnantur falsæ sententiæ. 1ª Sententia exponitur. 1064-1065. 2ª Sententia. 1066. 3ª Sententia. 1067. 4ª Sententia. 1068. — PARAGRAPHUS II. Declaratur et fulcitur vera sententia. Prop. 1ª *In Missæ sacrificio Christus est res primario oblata*. 1069-1072. Prop. 2ª *Christus quatenus est in propria specie neutiquam offertur in Missæ sacrificio*. 1073. Prop. 3ª *Christus inquantum existit sub speciebus sacramentalibus est res oblata in Missæ sacrificio, tanquam terminus sacrificationis, non vero proprie ut materia quæ actioni sacrificandi præsupponatur*. 1074-1075. Prop. 4ª *Species sacramentales cum Christo, quem velant, unum sacrificii Missæ terminum constituunt*. 1076-1080. Corollarium : Panis et vinum offeruntur sicut materia transiens. 1081-1082. — Pag. 526-532.

ARTICULUS II. — De actione quæ sacrificii Missæ essentiam ingreditur. 1° Ponitur quæstio. 1083. 2° Variæ sententiæ. 1084. Prop. 1ª *Oblatio panis et vini nec ad essentiam, neque ad integritatem Sacrificii pertinet*. 1085-1087. Prop. 2ª *Communio fidelium nec ad essentiam, neque ad substantialem Sacrificii integritatem pertinet*. 1088-1089. Prop. 3ª *Oblatio quæ consecrationem subsequitur, nec de essentia, neque de integritate Sacrificii est*. 1090-1093. Prop. 4ª *Fractio hostiæ in tres partes nec de essentia, neque de integritate Sacrificii est*. 1094-1095. Prop. 5ª *Consecratio est de essentia sacrificii Missæ*. 1096-1099. Prop. 6ª *Consecratio utriusque materiæ, scilicet panis et vini, est de essentia sacrificii Missæ*. 1100-1103. Quæritur an vere Sacrificium offerret qui prius vinum consecraret ? 1104. Prop. 7ª *Probabilius est quod tota sacrificii Missæ essentia consistit in consecratione utriusque materiæ*. 1105-1112. Solvuntur difficultates. 1113-1117. Prop. 8ª *Communio sacerdotis est de integritate sacrificii Missæ*. 1118-1122. Solvuntur difficultates. 1123-1126. — Pag. 533-551.

ARTICULUS III. — De comparatione sacrificii Missæ cum cæ-

teris. Prop. 1ª *Sacrificium Missæ est maximæ dignitatis, et infinite exsuperat omnia antiqua sacrificia.* 1127-1131. Prop. 2ª *Sacrificium Missæ numero tantum et accidentalibus circumstantiis differt ab oblato in ultima Cœna.* 1132-1133. Prop. 3ª *Sacrificium Missæ cum sacrificio Crucis convenit in re oblata, et differt in sacrificandi modo.* 1134-1135. Quæritur an sacrificium Crucis et sacrificium Missæ, ratione ritus, sint specifice diversa ? 1136-1138. Prop. 4ª *In rei dignitate, sacrificium et sacramentum Eucharistiæ, quoad terminos, sunt æqualia inter se ; in esse autem virtutis, sacrificatio est perfectior sacramenti effectione.* 1139-1141. Prop. 5ª *Naturæ ordine autem, terminum termino, et actionem actioni adaptando, Eucharistiæ sacrificium et sacramentum sunt æqualia ; ordine autem intentionis, prius, ordine executionis, posterius Sacramento est Sacrificium.* 1142-1144. — Pag. 552-559.

CAPUT IV

DE CAUSA EFFICIENTE SACRIFICII MISSÆ

ARTICULUS I. — De auctore Sacrificii in nova Lege, seu de causa instituente. Breviter innuuntur quæ omnino certa sunt. 1145-1146. Prop. *Ecclesia non potest aliquod sacrificium instituere.* 1147-1151. — Pag. 560-561.

ARTICULUS II. — De causa efficiente. — PARAGRAPHUS I. De Christo quatenus offerente Sacrificium. Error. 1152. Prop. 1ª *Christus Dominus est Summus Sacerdos qui principaliter offert sacrificium Missæ, quandocumque et ubicumque offertur.* 1153-1157. Prop. 2ª *Non remote tantum et per accidens, sed actu Christus jugiter offert per sacerdotum ministerium.* 1158-1161. — PARAGRAPHUS II. De sacerdote quatenus offerente Sacrificium. 1° Omnis sacerdos valide sacrificat in persona Christi. 1162. 2° Non omnis sacerdos offert in nomine Ecclesiæ. 1163. 3° Fructus ex opere operato nullatenus pendet ex dignitate vel indignitate sacerdotis. 1164. — PARAGRAPHUS III. De populo fideli quatenus offerente Sacrificium. 1° Fideles offerunt Sacrificium. 1165. 2° Quomodo offerunt ? 1166. — Pag. 562-569.

CAPUT V

DE CAUSA FINALI SEU DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ

ARTICULUS I. — De speciebus fructuum sacrificii Missæ. Error Protestantium. 1167. Prop. 1ª *Missæ sacrificium est vere propitiatorium, id est, habet vim remittendi peccata mortalia et venialia, nec-*

non pœnas peccatis condonatis debitas. 1168-1173. Quæres an Missæ sacrificium conferat immediate et ex opere operato augmentum gratiæ ? 1174. Prop. 2ª *Sacrificium Missæ habet vim impetrativam pro obtinendis a Deo beneficiis sive spiritualibus, sive temporaneis.* 1175-1179. — Pag. 570-574.

ARTICULUS II. — De intensitate et extensione fructuum Missæ. 1° Declaratur quæstio. 1180-1183. 2° Punctum controversiæ. 1184. Prop. 1ª *Valor sacrificii Missæ, quoad sufficientiam, est extensive infinitus, sed quoad efficaciam seu ex parte effectus, est semper finitus.* 1185-1190. Prop. 2ª *Sacrificii Missæ fructus est etiam extensive infinitus quoad offerentes illud, id est, quantumvis magnus sit numerus offerentium, unusquisque tantum percipit, quantum si solus offerret.* 1191-1093. Prop. 3ª *Effectus sacrificii Missæ respondens oblationi sacerdotis, ut sic, quem ipse potest pro aliis offerre, utpote finitus, non æque singulis prodest, si pluribus applicetur, ac si uni tantum applicaretur.* 1194-1200. Solvuntur difficultates. 1201-1205. — Pag. 575-588.

ARTICULUS III. — De modo quo Missa operatur suos effectus. Prop. 1ª *Sacrificium Missæ plures producit effectus ex opere operato.* 1206-1211. Prop. 2ª *Effectus quos ex opere operato applicat Missa, dimanant e sacrificio Crucis.* 1212-1215. Prop. 3ª *Sacrificium Missæ, quoad justificationem, habet vim ex opere operato, non ad modum Sacramentorum, scilicet non immediate et directe, sed mediate et indirecte tantum.* 1216-1219. Corollarium : Missæ sacrificium est maxime impetratorium. 1220-1223. Quæritur 1° an peccata venialia proxime et immediate remittat sacrificium Missæ ? 1224. 2° An immediate remittat pœnas, sive ex mortalibus, sive ex venialibus condonatis relictas ? 1225. 3° An conferat etiam immediate ex opere operato augmentum gratiæ ? 1226. — Pag. 589-596.

CAPUT VI

DE SUBJECTO SACRIFICII MISSÆ SEU DE ILLIS PRO QUIBUS OFFERRI POTEST

ARTICULUS I. — De his qui sunt capaces suscipiendi Missæ fructus. Prop. 1ª *Missæ sacrificium offerri potest et debet pro universa Ecclesia militante et omnibus membris ejus.* 1227-1228. Peccat graviter sacerdos, si aliquem excludat a communi oblatione 1229. Quæritur an sit etiam de præcepto divino, nempe ex institutione Christi, quod sacerdos offerat pro universa Ecclesia ? 1231. Prop. 2ª *Licet offerre sacrificium Missæ pro infidelibus non excommunicatis.* 1232-1234. Corollarium : A fortiori potest offerri pro

catechumenis. 1235-1236. Quæritur quomodo offerre liceat pro infidelibus? 1237. Prop. 3ª *Sacerdoti, quatenus est minister Ecclesiæ, non licet offerre Sacrificium pro quibuslibet majori excommunicatione ligatis.* 1238. Corollarium : A fortiori non licet offerre pro hæreticis et schismaticis. 1239. Prop. 4ª *Sacrificium Missæ offerri potest pro animabus purgatorii.* 1240-1243. Prop. 5ª *Sacrificium Missæ potest Deo offerri in honorem Sanctorum.* 1244-1246. *Nota :* Stricte non tam pro Sanctis, quam pro nobis, tunc offertur. 1247. Prop. 6ª *Nullo pacto Missæ sacrificium offerri potest pro damnatis.* 1248-1249. Corollarium : In inferno nulla est pœnæ relaxatio. 1251. — Pag. 597-605.

ARTICULUS II. — De dispositionibus illorum pro quibus offertur Sacrificium. Prop. 1ª *Non baptizatus quilibet incapax est effectus hujus sacrificii ex opere operato.* 1253-1257. Quæritur an animæ purgatorii sint capaces fructus *ex opere operato* sacrificii Missæ? 1258-1261. Prop. 2ª *Ex parte illius pro quo offertur Sacrificium, non requiritur actualis devotio, ut ejus fructum percipiat.* 1262-1263. Prop. 3ª *Verisimillimum est quod uberiorem Sacrificii fructum satisfactorium percipit qui aptiori dispositione majorique devotione potitur.* 1264-1268. Quæritur an necesse sit quod ille pro quo offertur Sacrificium, habeat nunc et actu temporalem pœnam luendam, ut reapse illius fructum percipiat? 1269. — Pag. 606-612.

ARTICULUS III. — De applicatione facienda a sacerdote. — PARAGRAPHUS I. De fructu applicando a celebrante. 1° Triplex fructus Missæ. 1270. 2° Fructus specialissimus non subest dispositioni sacerdotis. 1271-1272. — PARAGRAPHUS II. De intentione requisita ad applicandum fructum. 1° Sufficit habitualis. 1273. 2° Debet sacrificans determinare personam cui applicatur Missa. 1274-1275. Quæritur an Deus attendat habitæ, vel debitæ celebrantis intentioni, scilicet ei quam de facto habet, vel ei quam debuisset habere? 1° Causa hujus quæstionis. 1276. 2° Vera sententia. 1277. 3° Corruuntur fundamenta adversariorum. 1278-1280. — PARAGRAPHUS III. De tempore quo facienda est applicatio. 1281. — PARAGRAPHUS IV. Definitur generatim cuinam facienda sit applicatio. Delineatur duplex regula. 1282-1283. Quæritur 1° an licita et valida sit applicatio Missæ ei qui primus oblaturus est eleemosynam? 1284-1285. Quæritur 2° an sacerdos debeat satisfactionem quæ provenit *ex opere operato*, pro omnibus Ecclesiæ membris offerre? 1286. — PARAGRAPHUS V. De obligatione applicandi Missam, ratione officii. — I. Existentia obligationis. 1287. — II. Natura hujus obligationis. 1288-1291. — III. Subjectum hujus obligationis.

1292-1294. — IV. Tempus hujus obligationis : 1° Regula a Benedicto XIV eadem pro omnibus statuta. 1295. 2° Recensentur dies festi. 1296-1297. 3° Non excipiuntur festa suppressa. 1298. 4° Quid de Natalitio Domini? 1299. 5° Applicatio missæ Conventualis. 1300-1301. Quæritur an liceat missam pro populo transferre infra hebdomadam, quando nullus est alius sacerdos ad missam cantandam, præsente cadavere ? 1302-1303. — PARAGRAPHUS VI. De applicatione Missæ, ratione stipendii. — I. Origo stipendii : 1° Oblatio panis et vini ad altare. 1304. 2° Oblatio aliarum rerum, sed non ad altare. 1305. 3° Gazophylacium. 1306. 4° Mos erogandi pecuniam instar stipendii. 1307. — II. Licitas stipendii. Errores. 1308. Prop. *Licet accipere stipendium pro Missa celebranda.* 1309-1312. — III. Explicatur quomodo non sit simonia in stipendio Missæ : 1° Nodus difficultatis. 1313. 2° Solvitur. 1314. Corollaria : 1° Dives sacerdos potest stipendium recipere. 1315. 2° Potest sacerdos tria stipendia recipere pro tribus missis Natalitii Domini. 1316-1317. 3° Declaratur quandonam sacerdos celebrans intuitu stipendii inquinetur labe simoniaca. 1318-1320. — IV. Quantitas stipendii : 1° Abusus. 1321. 2° Jus et munus taxandi stipem Missarum. 1322. Corollaria : 1323-1327. Quæritur an Episcopus prohibere possit ne sacerdotes accipiant infra taxationem præfixam ? 1328. — V. Perpenduntur varii casus circa Missarum stipendia. 1329. Quæritur 1° an Missa dicenda sit in loco seu ecclesia in qua petitur? 1330. 2° An sacerdos a quo Missa petitur, dato ei stipendio infra quantitatem taxatam, possit una missa satisfacere pluribus istiusmodi stipendiis, donec singulis missis correspondeat integrum stipendium taxatum ? 1331. 3° An sacerdos pauper possit accipere tot stipendia quot sufficerent ad ejus diurnam sustentationem? 1332. 4° An aliquis possit colligere stipendia juxta loci taxationem, missasque celebrandas tradere sacerdotibus alienæ diœcesis, in qua taxatio est inferior,retinendo sibi excessum ? 1333-1334. 5° An qui colligit missas easque celebrandas tradit alieno sacerdoti, possit aliquid sibi retinere, si consentiat hic sacerdos ? 1335-1339. 6° An procurator vel executor testamenti, faciens celebrare alibi missas sibi commissas, ubi minor est taxa, possit excessum sibi retinere? 1340. 7° An sacerdos qui pinguius accepit stipendium pro missa celebranda hodie, possit, si prohibitus sit ab illa celebranda, procurare ut alius pro se celebret, promittens die crastina celebrare pro illo qui stipendium accepit juxta taxam, non mutato, sed retento utrinque stipendio ? 1341. 8° An qui accepit stipendium pro celebratione Missæ, possit aliud quoque accipere pro ejus applicatione? 1342. 9° An sacerdos qui, ratione aut stipendii, aut voti, aut

præcepti, tenetur applicare Missam, peccet lethaliter, si culpa sua non celebret, vel non applicet Missam juxta finem præstitum ? 1343. 10° An qui partem stipendii sibi retinet, quando missas celebrandas alteri committit, teneatur ad restituendum, et cuinam ? 1344. Corollarium : Munus Episcopis a Tridentino impositum, et momentosissimum de stipendiis Missarum decretum S. Congreg. Concilii, 9 sept. 1874. — Pag. 513-660.

CAPUT VII

DE TEMPORE SACRIFICII MISSÆ

ARTICULUS I. — De tempore quo licet Missam celebrare. — PARAGRAPHUS I. De multiplici celebratione eadem die : 1° Quæstio ponitur pro Latinis. 1346. 2° Regula juris. 1347. 3° Excluduntur aliqui casus. 1348-1349. 4° Ponitur germana exceptio. 1350-1351. 5° Exceptio communienda est duplici conditione. 1352-1354. Quæritur quandonam liceat Missam interrumpere ? 1355. — PARAGRAPHUS II. De diebus quibus licet Missam celebrare. — I. Regulæ generales : 1ª Missa privata interdicitur quibusdam diebus. 1356. 2ª Missa debet esse solemnis triduo mortis Domini. 1357. 3ª Debet cantari in ecclesia parochiali aut conventuali. 1358. 4ª Missa lecta permitti potest ab Episcopo in Cœna Domini. 1359. 5ª Missa lecta nonnisi ex indulto Apostolico dici potest in Sabbato Sancto. 1360-1361. — II. Regulæ particulares : 1ª Pro feria quinta in Cœna Domini. 1362. 2ª Pro feria sexta in Parasceve et Sabbato Sancto. 1363. — PARAGRAPHUS III. De hora qua licet Missam celebrare. — I. Traditur regula juris : 1° Enuntiatio regulæ. 1364. 2° Solvitur difficultas. 1365. 3° Determinatur aurora pro nostris regionibus. 1366. 4° In praxi, res sumitur moraliter. 1367. 5° Ratio regulæ. 1368. — II. Exceptiones ab Ecclesia admissæ. 1369-1371. — III. Ablegantur duæ exceptiones. 1372. — IV. Peccatum illius qui violat temporis regulam. 1373. — V. Obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante Missæ celebrationem. Triplex sententia. 1374. Prop. 1ª *Non est peccatum mortale dicere, absque causa rationali, Missam ante Matutinum et Laudes.* 1375-1376. Duplici tamen in casu est peccatum mortale. 1377-1378. Prop. 2ª *Celebrare Missam ante Matutini et Laudum recitationem, sine ulla rationali causa, est peccatum veniale.* 1379-1381. — Pag. 661-678.

ARTICULUS II. — De tempore quo sacerdos tenetur Missam celebrare. — PARAGRAPHUS I. De tempore quo sacerdos tenetur celebrare, ratione Ordinis. Duplex sententia. 1382. Prop. *Sacerdos tenetur sub gravi, ratione Ordinis, Missam aliquando celebrare.* 1383-

1389. Quæritur quoties urgeat præceptum celebrandi Missam? 1° Urget saltem sub veniali, Dominicis et Festis solemnibus. 1390. 2° Dubium est an urgeat sub gravi omnibus illis diebus. 1391. 3° Certe peccat mortaliter qui nunquam celebrat in anno. 1392. — PARAGRAPHUS II. De tempore quo celebranda est Missa, ratione stipendii : 1° Ubi est conventio. 1394. 2° Ubi non est conventio. 1395. 3° Ubi præsumitur error ex parte offerentis stipendium. 1396-1397. — Pag. 679-688.

ARTICULUS III. — De frequenti celebratione Missæ. Duplex sententia. 1398. Prop. *Per se loquendo, et seclusa speciali prohibitione Ecclesiæ, non solum est licitum sacerdoti quotidie sacrificare, verum etiam ex se melius est magisque consulendum.* 1399-1406. Evertuntur fundamenta sententiæ adversæ. 1407. — Pag. 686-694.

ERRATA

PAGINA.	LINEA.	CORRIGE.
4	21 multo	multis
6	2 exterminendas	exterminandas
12	14 Rorbacher	Rohrbacher
26	32 donum	domum
42	7 , injuria dici	injuria dici,
69	31 Centuratores	Centuriatores
94	26 magis explicitius	explicitius
129	9 indebilem	indelebilem
162	39 accurrate	accurate
163	17 intus totum	exterius totum
176	27 riquiritur	requiritur
223	32 præsertum	præsertim
226	5 et si	etsi
243	31 quia, hæc	, quia hæc
281	33 Testamenti qui,	Testamenti, qui
306	4 et seq., abscinde omnia, a vocabulo *unde,* usque ad vocabulum *cœna* inclusive	
353	27 Aqui	Atqui
505	18 *interpretabilis*	*ininterpretabilis*
509	6 oblatum	ablatum

1062. — CAMBERII, EX TYPIS CHATELAIN, 24, VIA VERNEY.

236.302
R 735

32673

ROSSET, MICHAEL
AUTHOR

De Sanctissimo ac Divinissimo
TITLE Eucharistiae Mysterio

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	O'Neill
	STORAGE - CBPL

32673